


2077

R. PATRIS

DOCTORIS COMPLVTENSIS

GASPARIS DE RIBADENEIRA.

TOLETANI

SOCIETATIS IESV IN SVO COLLEGIO COMPLVTENSI PRIMARII S. ACRÆ THEOLOGIÆ PROFESSORIS.

TRACTATVS DE VOLVNTATE DEI.

IN PRIMAM PARTEM S. THOM. QVÆST. 19. ET 20.



Anno 1655.

CVM PRIVILEGIO.

COMPLVTI. In Typographia Mariæ Fernandez.

SVMMA PRIVILEGII.

PHilippus Quartus Hispaniarum, & Indiarum Rex, &c. Priuilegium concessit P. Gaspari de Ribadeneira, vt per decennium typis excudat, nullusque alius nisi de ipsius facultate librum cuius titulus est *Tractatus de Voluntate Dei*, vt constat ex litteris Madriti datis apud Michaelem Fernandez de Noriega die 15. Nouembris Anno 1654.

SVMMA FACVLTATIS FACTÆ AB ORDINARIO.

COncessit facultatem, vt hic *Tractatus de Voluntate Dei* typis mãdetur Doctor D. Ioseph Beno de Rey Canonicus S. Ecclesiæ Magistralis SS. Iustì, & Pastoris. Complutique Vicarij Generalis Eminentissimi Cardinalis Archiepiscopi Toletani, vt constat ex litteris Compluti datis apud Iosephum Lopez Mogro die 21. Octobris. Anno 1654.

FACVLTAS R.P. PROVINCIALIS IN TOLETANA PROuincia Societatis IESV.

FRanciscus de Montemaior in Prouincia Toletana Præpositus Prouincialis potestate ad id mihi facta à R. admodum P. nostro Gosvvino NiKel Præposito Generali facultatem facio, vt liber inscriptus *Tractatus de Voluntate Dei* P. Gasparis de Ribadeneira nostræ Societatis Theologi, & eiusdem Societatis grauium, doctorũque hominum iudicio approbatus typis mandetur. In quorum fidẽ has litteras manu nostra subscriptas, & sigillo nostro munitas dedimus. Compluti die 20. Octobris, anno 1654.

Franciscus de Montemaior.

SVMMA TAXÆ.

SEnatores Regij disposuerunt, vt hic liber inscriptus: *Tractatus de Voluntate Dei* quatuor marauetinis pro singulis chartis diuendatur. Madriti die 20. Februarij Anno 1655.

CEN-

CENSVRA R. P. IOANNIS DE IOS CLERICORVM Minorum, Sacræ Theologiæ Professoris, & in Supremo Consilio Sanctæ Generalis Inquisitionis Qualificatoris.

SVpremo imperante Senatu, attentè vidi tractatum de diuina voluntate elaboratum à celebri, & subtili Theologo R. P. Doctore Gaspare de Ribadeneira è Societate Iesu primariam Theologiæ Cathedram in suo Collegio Complutensi Regente. Et arbitror, Auctoris calamum Apellis Catholici penicillum, non exarans; sed depingens diuinæ voluntatis altitudinem: ita claritatis in eloquio, acuminis in confutando, profunditatis in stabiliendo colores mihi persuadent, picturam, seu imaginem intellectualē materiæ prædictæ, Fide comite, componentes. Quapropter existimauerim hoc opus omnis doctrinæ fœcunditate refertum, & exornatum Nouitiorum ingenia ad copiam, & typum; & talenta Sapiētum ad laudem, & subtilis memoriæ conseruationem inuitare. Ob quod iure optimo illud omnibus maximè profecuum iudico: & eapropter dignum, vt luci, & posteritati mandetur. Matriti in hac nostra Domo Spiritus Sancti Clericorum Regularium Minorum die 2. Nouembris. Anno Domini 1654.

Ioannes de Ios
Clericorum Minorum.

APPROBATIO.

Doct. D. Michaelis de Barreda Ecclesiæ SS. Iusti, & Pastoris Canonici: in Complutensi Vniuersitate Sacræ Theologiæ pro Durandi Cathedra Professoris, & in Præinsigni Collegio Clarissimorum equitum de Manrique Rectoris.

EX cōmissione D. Doct. D. Iosephi Beno de Rey Vicarij Generalis Complutensis, attente perlegi *Tract. de Volunt. Dei* elaboratum à R. P. Doct. Gaspare de Ribadeneira in suo Complutensi Societatis Iesu Collegio Primario Theologiæ Professore, & eximio nostræ Vniuersitatis ornamento in quo tractatu nihil inueni Catholicæ Religioni, aut bonis moribus aduersās;

sed plura, quæ tantum Authorem valde commendent, præcipuè apud viros Scholasticos, quibus vtpote cunctis disciplinæ scholasticæ dotibus absolutissimus, norma, & exemplar esse deberet: quippe in eo breuitatem styli reperies cum claritate coniunctam; in pertractandis quæstionibus mirabilem præcellentis ingenij perspicaciam; in euoluendis antiquorum Theologiæ parentum mentibus, nouiorumque enucleandis opinionibus eruditionem pene immensam; summam in Scripturæ, SSque PP. testimonijs ad ipsorum mentem explicandis maiestatem; haud vulgarem denique in eligendis sententijs iudicij maturitatem. Quapropter dignum iudico nunc tractatum, vt typis mandetur, vt consecretur æternitati in maximum Theologiæ ornamentum; in Societatis Iesu decus eximium; in discipulorum vtilitatem, nostræque Complutensis Academiæ haud exiguum emolumentum. Compluti. Die 21. Octobris. Anno Domini 1654.

Doct. D. Michael Barreda.

Errata sic corrige.

PAgina 45. columna 1. lin. 1. loquantur, leg. loquuntur. Ibid. lin. 13. infinitæ, leg. infinitè. Pag. 69. col. 1. lin. 1. & 2. aliæ perfectiones absolutæ diuinæ: leg. alias perfectiones absolutas diuinas. Pag. 210. col. 1. lin. 3. creatum Deo, leg. creatura Deum. Pag. 128. col. 2. lin. 22. reali, leg. morali. Pag. 147. col. 2. lin. 29. tunc, leg. nunc. Pag. 97. col. 2. lin. 25. Immensitate, leg. æternitate. Pag. 389. col. 1. linea 15. imitatus, leg. limitatus. Pag. 380. col. 1. lin. 35 probatæ, leg. prolatæ. Pag. 483. col. 1. lin. 11. & 12. dimitæ, leg. diminutæ. Pag. 188. col. 1. lin. 12. Sed, leg. Sic. Pag. 511. col. 1. lin. 5. & 6. pectentur, leg. spectetur. Pag. 519. col. 1. lin. 1. & 2. eam vero carentiam. leg. ea vero carentia. Pag. 535. col. 1. lin. 10. determinationem. leg. denominationem. Pag. 369. col. 2. lin. 29. optimam. leg. minimam.

¶ Hæc menda si demas, respondet suo originali.

Datum Compluti die 12. Februarij, Anno 1655.

Doctor Franciscus de Porres.

Corrector Vniuersitatis.

ILLVS-

ILLVSTRISSIMO.

NOBILISSIMO, AC REVERENDISSIMO D.D. IOANNI Coello de Ribera, & Sandobal Episcopo Placẽtino, Comiti de la Ventosa, & Catholicæ Maiestatis Consiliario; atque olim in sancta Conchensi Ecclesia Archidiacono de Alarcon, necnon Inquisitionis Cordubensis Censori, deindeque Ecclesiæ Zamorensis Præsuli, &c.

VSQVE adeò me inconcussâ tenet fide benignus ille Illust. Dominationis Tuæ affectus, quo leuissimum hoc suscipere dignabitur munusculum, quanquam tot nominibus, quibus tota Societas deuincta hæret, longè impar, vt ad Tui patrocinij aras cõfugere minimè dubitauerim, non quòd tantis beneficijs mea qualiacũque officia exæquari posse, vel debere arbitrer; sed quòd prima fronte cassus, & erubescendus videatur labor imparibus, semperq; lõginquioribus passibus sequi id, quod assecuturus sim nũquã. Cæterùm hoc vnũ mihi succurrit solatiũ, nempè, acceptum iri pro re volũtatẽ, animũq; officiosum. Atque vtinã per singularẽ, Illust. Comes, modestiã Tuã calamo meo liceret animi affectũ aliqua ex parte, quanuis non passibus æquis, sequi. Anhelat sanè calamus in amplissimũ encomij Tui æquor exspatiari: sed rursus ad Tuarũ virtutũ splendorem refugit, nec humilitatis, & modestiæ singularis patientiã tentare audet, cui pluris est, mea verba adulationem non sapere, quàm in omnia Demosthenis, & Tullij encomiastica schemata efflorescere. Quid faciam? Quod Phaetonti præcepit Phœbus *medio tutissimus ibis*. Qui iusto pondere Tua meritatur decora, Nobilissime Antistes, oportet volumina multiplicet: mihi vero intra breuis epistolæ cancellos clauso sat fuerit compẽdia *Ouid. lib. 2. Metamorph.*

diariam nõnullorũ anácephaleõsin summatim perstringere.

Atque idem imprimis vitæ, laudisque principiũ cerno priscum generosis palpitantẽ venis sanguinem ex perillustri deriuatum prosapiâ Comitum de la Vẽtosa. D. Petri Coello de Ribera, & D. Constantiæ de Sãdobal Dominorũ del Villarejo, Tractusque cõtermini, & Ditionis de Calcelen, &c. Primogenitũ Te fecit natura foeta, quo suos crebro in natalium Primatu contingere solitos errores pensaret; solus equidem familiæ Tuæ fœcunditati sufficias, & lõgæ propaginis legem, vt Angel⁹, qui sibi filius, nepos, & tota posteritas est, expleas: nam tam proculdubio est, naturam Tibi soli formando tãtã impendisse industriã, vt procreandis fratribus supperijsse vires sit instar miraculi. Fratres non habuit virium portentum Samson, & eorundem exors haberi voluit Alexander Magnus (vt scribit Sidon. Apollin) maluitque serpentis esse filius, quàm hominum frater, ne suam vitam communi auspicatus lege existimaretur, qui ad tot aliorũ mortes in lucẽ prodierat: ast Tu ambitione cordatiori, minusque fastum redolẽte, cœlitus eosdem, reclamantibus naturæ legibus, traxisse videris, vt passibus aduersis fieres Alexandro celebrior.

Sidon. Apoll. de laudibus Alexand.

Fratres habes D. Petrũ, & D. Alfonsũ Coello de Ribera sanè pieratis Tuç; & magnificẽtiç probè æmulos; Primũq; exinde Tuarũ ditionũ Dominũ, & Comitẽ meritissimum, cui illas ideo gratificatus es, quòd suspecta ducas bona, quæ citra meritũ dispẽtat natura, præsertim cũ *nõ rarò imbellẽ progenerẽt Aquilæ columbam*. Hæreditaria forsan quandoque sorte in posteros descendunt vitia; at virtutes in Te sudori acceptam referũt originẽ; nõ otio, vt cecinit Hesiodus: Virtutẽ voluère Dij sudore parare. Ille verè nobilis cẽsendus est, inquit Græcç eloquẽtiæ Princeps Demosthenes, qui illustriũ natalium splẽdori affulgere facit præclara facinora: *De nobilitate*, inquit, *parũ laudis prædicare possim: bonus enim vir mihi nobilis videtur: qui verò non iustus est, licet à Patre meliore, quàm Iupiter, sit, ignobilis mihi videtur*. Et Ennod. in paneg. *Campus est vulgator natalium*: quippe sanguinẽ virtus probat, & nobilitatem opera, eaq; propria, *nã genus, & proauos, & quæ non fecimus ipsi* (inquit Horatius) *vix ea nostra voco*. Patriam ergo, quã à Maioribus hausisti, nobilitatẽ missam facio, quo Tuorum operũ, & virtutum sumptu partus honos Te securius nobilitare queat.

Horat.

Perpusillo contentos illos, Præsul Illust. cum Cassiodoro duxisti, qui in proauorum tumẽtes hærẽt sanguine, eumq; nullis

nullis euehere decoribus satagunt, gnarus vtique quàtopere in tantum Senatorem quadret ista veritas: *Nulla in orbe*, inquit, *potest esse fortuna, quam literarū non augeat gloriosa doctrina.* Quamobrē fortunæ Tuæ, & ingenitæ nobilitatis culmen omnigenæ sapientiæ lauro coronatti. Vnde necessariò cōtigit, vt Te Vniuersitates in suū ornamētū natū cōsono plausu vocitarent; in suum decus Philosophiā; in suā gloriā Theologiam; in intelligentiā Iura; in splendorē scientias omnes; demùm in suum Patronum Iesuiticam scholam. Hinc Tibi redundabant dotes ad eminentissimas Ecclesiæ dignitates capessendas; quin imo istis inter mortales vulgò iustum deficere videbatur pretium, quo Tua merita æquipararentur: nihilominus eas, ne vel despicari videreris, vel omnino querulas relinquere, gradatim admittebas. Atque imprimis Archidiaconus fuisti de Alarcon in sancta Conchensi Ecclesia tanto virtutis exemplo, & inopū solamine, vt, si Pythagoræ philosophiā de metempsychosi, seu animarum tranſmigratione Theologia non damnasset, ambigi meritò posset: numnā sese in Te transfudisset anima vigilantissimi, & zelosissimi Pastoris Iuliani. Per idem temporis Inquisitor fuisti Cordubensis. Postea Zamorensis Ecclesiæ pedum dextera Tua vtvt delicata validè temperauit: delicata, inquam, quia Christi Vicariū in ætate dotibus impari dispensare necessè erat, quando cōplures grandæua niue venerabiles ad Aulicos iuuenescunt splendores, & torpentē annis gressum curua senectus ad id genus vitrea fortunæ fastigia anhelo studio properat, quod indubie inter maximè conspicuos Tuæ magnitudinis indices nō postremo subsidet loco, sicuti de Mirandulæ eruditione expendit Aquilensis Patriarcha. *Omnino summū*, ait, *& humano captu maius est, quod tu, aut genio, aut certè opifici debes, tā tenera ætate consecutus, quod extrema senectute impudentissimū sit optatu.*

Eximijs virtutibus, quæ in Te ad sanctæ illius Sedis clauū sedenti enituêre, percensendis non immoror: taceo solliciti pastoris suas toties grato, & iucūdo ore, animoque inuisentis oues studiū perpes, quod maiorē sui admirationē, quā notitiā peperit: dispensationis præmiorū in benemeritos æquitatem prætereo: miserorū, & oppressorū leuamen, solatiū, & asylum sileo: & cōmune exiliū vitiorū epidemicorū, quæ in medio Tuarū virtutū radioso iubare deprehensa præteritos voluptatū triūphos mœstis condunt exequijs, & salutaris pœnitentiæ longis prosequuntur lachrymis. His, alijsque id genus innumeris Tuis nitoribus supersedeo, quia Tua Tibi opera

in Encomiasten facundiorem allegisti: illa maiorem sibi, quã mea verba, fidem flagitant, iuxta id, quod ait Ennod. *Splẽdorem Pontificis res; non lingua testatur; plus dicit claritas huius officij veritatis iudicio, quàm loquelæ.*

Ennod. Dec. 11.

Silere tamẽ nequeo, Nobilissime Princeps, Te, licet Tuis ditionibus, luxui, fastosæque sæculi pompæ renũciaueris; cõgenitã tamẽ animi magnitudinẽ haudvnquã exuisse, nec nobilis equitis efflauisse spiritus. Nõ idem est placide morigeras oues pascere, & sanguinolẽta arma truci manu vibrare: multum interest, belline, an togæ clarus sis; nec eòdem pertinet festam domi pacẽ sua sponte virentem mulcere, & minaces exercituũ in castris furias tẽperare: nam politica administratio consiliũ maturũ, & sedatũ pectus expostulat; polemica verò animũ promptũ, nec rarò præcipitẽ, imò efferũ. Tuum solius pectus vtriusque imperij capax Ecclesiastici, & Ciuilis, quantumvis in vtroque genere supremi, potuit tranquillam Pastoris pacẽ horrido militis animo maritare: inde intrepida illa, efficaxque, & propositi tenax constantia, quã Pontificis autoritatẽ, iusque tutatus es. Hanc mihi veritatẽ attestetur intempestum Catalinariæ illius noctis silentiũ cæco repente turbatũ strepitu, quo Zamora inopinato inhorruit. Crebrescenti per tenebras murmure, quòd irrumperent Lusitani, & præsidij exitio perfractis muniminibus imminerent, in Consistorium euolasti præceps, Præfectũ, Duces, Prætores extẽplò euocasti, omniũ animos impauidus redintegrasti, erexisti, nouoque spiritu confirmasti. Tunc Te Martẽ alterũ bellacis equi militari more phalerari glomerantẽ pastus, suscipere campus gestijt; confertã Ecclesiasticorũ equitũ turma stipatus emicuisti, animoso pectore Martẽ ciens, lacessens, accendens; conciues nocturni horroris lugubri specie etiamnum palpitantes, maiore animi, quàm corporis præsentia docuisti audere vincere: nec spes incassum excidit, nã vulneribus non indiguit hostium fuga, quandoquidem Te adesse sat erat, vt omne fortunæ periculum euanesceret, conceptaque ab illis tumidior æquo victoriæ spes in qualemqualem vitæ per præcipitia, & salebras quærendæ ancipitẽ sollicitudinẽ actutùm degeneraret.

A Zamora ad Placentiæ Episcopatum, quem hodie pernigili studio tenes, ascendisti. Gesta Tua, Meritissime Ecclesiæ Præsul, semper eadem, & quæ Principis Ecclesiastici pietatem apprimè deceant, cõmendent, ornent: quale imprimis est, Te supremi opificis æmulum, & propensiorem in præmiũ, quã

pœnã, reddere vnicuiq; ſecundùm opera ſua. O quàm cœleſtis illa prouidentia fuit, quæ per Tuas manus fluere iuſsit præmia melioribus deſtinata meritis! Nã meritũ præmij alias inacceſsi exſpes flacceſcere plerunq; ſolet, cum ardua virtutis via, vt ait Pythagoras, difficilẽ ſpectantibus viã offerat: conſilio ergo; nõ caſu, aſperũ illud iter cõplanaturus in hunc mundũ venisti, vbi vis, & opes pleriſque pro virtute ſunt, & largitiones pro meritis; longiora auri, quàm probitatis brachia, ſecurior ad honorũ faſtigia volatus: vt, qui arctũ, & accliuẽ virtutis callem premit, præcipitia quæritare videatur, & Icariam tentare aleam ignoto nomẽ erepturus freto, vt loquitur tragicus Vates: proh vecordia! Non iuuat athletã vltroneis in terrã ponderibus deprimi: totam ſaburræ molem aurum eſſe eſt aurum ludibrio fieri, & non præſtitæ ventis obedientiæ pœnas naufragio luere.

Neque Senecæ vnquã vota, neq; Caſsiodori encomia eam, quæ Tuã nunc diœceſim beat, fœlicitatẽ æquauêre. Vnde peruagatã Theognidis querelã Tua iãdiu eliminauit prudentia, dũ ingemiſceret, bonos quidẽ deſpectiores eſſe, peiores verò ſortitos honorẽ. Hęc, inquã, querela iãdudũ diœceſi exulauit Tuã, vbi iuſta Aſtræa ſemper, ſiniſtra propenſio nunquã viget; vbi eã in partẽ Tua ſemper propẽdent præmia, quò meritorũ põdera iuſtitiæ libram inclinant, quã nulli, niſi propriæ dextræ (ſeueris Tuorũ examinibus ſemper præſens) librandã credis; vbi deniq; Tuis ipſius auribus minime fidens, oculis rẽ ſemper, tãquã arbitris fideliorib⁹, cõmittis. Et vero, quaſi & hi Te fallere poſſent, Quælitorum vota in iuſtitiæ ſubſidiũ accerſis; ita planè, vt nihil præpediat corporum abſentia, vbi merita, famæ veluti eſſedo aduecta, præſentia ſunt. *Animi abſentes*, exclamat Caſsiod. *nec fitis de Principis ignoratione ſollicitis: longiſsimè conſtitutũ mentis noſtræ oculus ſerenus conſpexit, & vidit meritũ.* O terque, quaterque beatũ Atalarici imperiũ, exclamat hic nobiliſsimus Senator, vbi feliciſsimũ inter merita, & præmia certamen cerneres: illa, vt deliteſcerent: hæc, vt coronarent. Atalaricus in id vnum curas omnes deriuabat, vt ad dignitates promoueret eos, ad quorum ſæpe aures vix etiam pertinuerat nomen Atalarici: ac ſollicitiori paſsu merentes venabatur dignitas, quã vnquã dignitates ambitio venata eſt. *Caſsi. 9. var. 22.*

Cæterũ, licet hæc Te virtus, Comes Illuſt. excelſo, quo eminens, honoris gradu digniſsimũ effinxerit; nouus adhuc è Tuis infulis emicat fulgor, qui tãta Te claritudine coronat, vt eius intuitu, quas hactẽ⁹ in Te obſtupuimus effulgeſcere, virtutes, tãquam ſidera minora, quæ ſolis ortu argenteos vultus verecũdię velo

velo obtegunt, veluti extinctæ delitescant. Sed quænã virtus tã inusitatum spargit iubar? Agnosco, agnosco sacros tuos vultus, Religio, quæ, vt tuũ imperiũ non solis religiosorũ virorũ claustris circumscribi ostenderes, ad nobilissimi huius Principis aulã cunctis stipata virtutibus cõmigrasti. Atque adeo, Nobilissime Præses, quicũque Tua limina attigerit, intuebitur ille quidẽ, quæ religionẽ magis, quàm fastũ spirent: nam, vt Isocrates de Theodos. Imperat. sic ego de Te pronuntiẽ: nempè quòd *Palatium sic*
Isocrat. de Theod. Imperat. lib. 7. c. 22. Senec. in Hipolit. *dispositi, vt haud alienum sit à monasterio.* Sapiẽtissimus Seneca lui sæculi vitia depingens, indiscriminatim in omnes Principũ aulas inuehitur, quia nimirũ Tuã nõ nouit, vbi Tecũ Religio scep trum tenet, vbi duntaxat merentur ij, quorũ modestia, virtusque vnà cum litterarum studio coniunctæ regularium etiã religiosorum tacitæ increpationis rubore suffundant.

Verum Tua religio angustis Tuæ curiæ limitib⁹ minime circumscribitur: cuius veritatis testis est illa Tuorũ celeritas pasluũ, quibus tota diœcesi altissima tum seueritatis, tum lenitatis vestigia imprimis, dum maximã anni partẽ in Ecclesijs Tibi subditis visitandis insumis, summa sollicitudine Ecclesiasticorũ mores, vitã, exercitia ad seuerũ Tuę religionis tribunal aduocando, vbi hos increpas; illos laudibus effers; hos pœnis; illos præmijs afficis *Metuendus seueritate, benignitate venerãdus* (vt ait Euseb. Gallican. de S. Maxim.) *autoritatis censurã, humanitatis mansuetudine tẽperans*, ita, vt cum præsentiã Tuã subditi vix sustineant, absentiã ferre non possint. Nimirũ iudicia constituis, fidem reuocas, libidines cõprimis, omnia denique, quæ dilapsa iam fluxerant, seueris legibus vincis. O Pastorẽ Argo illo semper peruigili vigilantiorẽ! Quibus, oro Te, grex ille Tuus tantã, tam paternam, tam inusitatã sollicitudinẽ gratijs æquabit? Equidem nulla me tenet dubitatio, quin singuli suæ vitæ, annorũq; impendio Tuã per omnia æternitatis spatia vitã propagarent, atque immortalitati, si possent, cõsecrarent: cum nullus sit, quẽ nõ ore; sed penitiori è corde depromentẽ mihi audire videor illud Hilderici Turonẽs. epist. 15. ad Regin. Angliæ. *Gaudebo quoties meas aures aura, quæ te sospitem nuntiet, afflauerit: quoties audiam, viuere, & valere, cui est potestas collata ad iudicium sceleris, & mores ad exempla honestatis imbuere.*

Nulla est gemma, quæ tam claros eiaculetur è Principis Ecclesiastici tyara radios, ac in egentiores Liberalitas. Haud affirmauerim, hunc esse Cassiodori, aut Tertuliani sensum: at, quod illustrius est, pro cõperto habeo esse Tuũ, Colẽdissime Dynasta, siquidẽ crebris soles vsurpare sermonibus, inter omnes Episcopi vir-

virtutes liberalitatem esse, quæ principatū, sceptrumq; obtineat. Verum hic calamum in latissimo Tuarum laudū campo exspatiari cupientem subitus incessit timor, ne, si Tuæ liberalitatis orbitam prosequatur, è virtutis sit finibus in vitij septa excedēdum. Nam quemadmodum apposite ille alter: *Est modus in rebus; sunt certi denique; fines, quos vltra, citraque nequit consistere virtus.* Tua verò liberalitas modum excedit; vereorque ne sit tanta, vt sit nulla. Doctissimum Senecam huius controuersiæ arbitrum constituamus. *Dabo*, inquit, *egēri; sed vt ipse non egeam.* Itaque, vt vult Seneca, si largitus fueris egenti ea, quibus ipse non egeas, Liberalitas est; sin verò illa etiā, quib⁹ egeas, effuderis, Prodigalitas. At quā aduersa his præceptionibus Tua liberalitas vrget vestigia! Siquidem aliquando (vt alijs Tuæ munificentiæ, pieratisque indicijs supersedeam) omnia horrea; omne, quod messueras, triticum egentioribus erogasti: & Ipse ad Tuorum perimēdam famem tritico non egeas? Præsertim in tanta annonæ caritate, vt eo ipso anno tritici mensuræ singulæ aureis decē Tibi essent comparandæ. Quin? Quod non corpus duntaxat proprium, nec solùm tota Tua domus, sed ipsi etiam parietes, ac tecta Tuam liberalitatem vehemēter incusent, quòd, quò nudos operires, ornatu ea expoliaueris. Nec verò minus querulam reliquisti Curiositatem, dum argenteas monetas, quibus veneranda Antiquitas veteres priscorum Imperatorum effigies ad seculorum omnium memoriam excuderat, vsitata Tibi vni liberalitate egentibus impertiuisti. *Horat.*

At ò celeberrimum Tuum in vrbem Placentinam iter! Quò cū properatis passibus Tua præcurrisset liberalitas, atq, aduentum Tuum præueniisset, omne, quod ad mille circiter mēsuras Tibi accreuerat, triticum prius erogasti, quàm cernere potuisti. Huc tandem cum Ipse appulisses, atque octingentos, eoque amplius egentioris sortis homines reperisses, qui omnes nullum, nisi à Tua liberalitate, spiritum ducebāt, quasi verò in tāta multitudine paucitate laborares, Tuo addictos famulatui per plateas expediuisti, qui copiosiorē inopum numerum cogerent, Ipse sollicitior de salute aliena, quàm alij de sua. Atque in his Tu intereà ita distinebaris, vt neque Deo dicatas familias Tua præteriret benignitas: neque nobilioris sortis homines, quos ad egestatis angustias fortuna depresserat, atque intestinis vulneribus afflixerat, Tua liberalitas præcermitteret; quanto tectius, tanto propensius, prolixiusque omniū penuriam sublenians. Denique, vt nulla omnino

nimo hominū conditio manus Tuas liberalissimas, quæ totū Tagū vndique depluere videbātur, effugeret, suscepisti in Te vnum leuare onera, quæ omnes diuexabāt, qui è venatione, ex agricultura, è pagis comeatū, annonā, ac quæcunque victui oportuna in vrbē inueherent: quo ciues caritate, exteros vexatione, inopes publicanorū oppressione redimeres, pluribusque diuini numinis iniurijs obuiam ires. Atque hæc Tua egregia facinora, quā procul à Senecæ præceptionib⁹ abhorrent! *Dabo egenti; sed vt ipse nō egeā.* Nimirū nobiliorē nouo volatu virtutis orbitā premis: nec degeneri orbis curriculo insistis, qui nūquā liberalitatis gloriā tanti facit, vt incōmodorum, ac indigentiæ impensis emendā arbitretur. Quē Te in sensum si deprauati seculorū mores pertraxissent, summū gloriæ decus, quo Theodoricū olim coronauit Pacatus, & indigentiores largitas, Tibi Ipse detraxisses, quod nūc Tibi quadrat vni. *Tu autē*, inquit Pacatus, *vt naturam corrigeres; pauperes diuites, & diuites ditiores effecisti.* Imo ipsam annorum malignitatem Tua liberalitas, tanquam altera Amalthæa, vbertate summa coronauit, atque auaræ naturæ peccata Tua generositas castigauit, correxitque.

Hactenus rudi hoc calamo de Tuis laudibus, Sapientissime Antistēs, nonnullas delibaui potius, quàm descripsi. Qua in re vt stili tenuitas omnē mihi metum discutit, ne vlla meę orationi adulationis suspicio adhæresceat, sic non leuem mihi timorē iniicit, ne in enarrandis Tuis virtutibus apertæ historiæ leges attingere minimè potuerim. Cæterum id me hac in perturbatione recreat, quòd si quid est à me hac in prouincia peccatum, omnem à me culpā Tuæ in se ipsas virtutes adscisceant. Quid enim mirum, si extra orationem meam, cum etiam extra omnem numerum peruagatæ sint? Quamobrē hic iure optimo Cecilij secundi verba vsurpem: *Quid est in principatu tuo, quod cuiusque prædicatio vel transilire, vel præteruehi debeat? Quod momentum, quod imò temporis punctum aut beneficio sterile, aut vacuum laude? Num omnia eiusmodi, vt is optimè te laudasse videatur, qui narrauerit fidelissimè?* Vnum hic requiritur Illustris. Præsul, vt in Tui patrocinij asylum hīc meus confugiat liber, vbi ad Tuos pedes prouolutus supplex expectat, dexteram sibi auxiliatricem prorendas. VALE.

Plin. in panegy. ad Traian.

Illustrissimæ Dominationis Tuæ.

Minimus seruus, & filius.

Gaspar de Ribadeneira.

INDEX:

DISPVTATIONVM, ET

CAPITVM HVIVS OPERIS.

DISPVT. I.

Existentia diuinæ voluntatis.

LVmine fidei, & rationis cõstat existentia diuinæ voluntatis. cap. vnic. pag. 1.

DISPVT. II.

De appetitu innato Dei.

An extstat in Deo appetitus rationalis, & innatus? cap. 1. pagin. 5.

Soluuntur aliqua. cap. 2. pag. 10.

Concluditur obiectionum solutio, dilucideque explicatur natura disiuncti. cap. 3. pag. 17.

DISPVT. III.

De identitate, ac distinctione diuinæ voluntatis ab essentia Dei.

Controuersiæ status, & placita Theologorum, cap. 1. pag. 27.

Diuina voluntas accepta pro capacitate proxima volendi nõ distinguitur ab essentia Dei distinctione virtuali intrinseca. cap. 2. pag. 9.

Argumenta aduersariorum. cap. 3. pag. 33.

Diuina voluntas accepta pro capacitate proxima volendi distinguitur ratione nostra, id est, extrinsecè ex modo nostro concipiendi ab essentia Dei. cap. 4 pag. 37.

Præcluditur quodam effugium. cap. 5. pag. 44.

Exposita breuiter distinctione, quam vocant rationis ratiocinatæ, & rationis ratiocinantis, diluuntur nonnulla, proponunturque alia. cap. 6. pag. 48.

Propositę obiectiones expeditę. cap. 7. pag. 56.

Factis quibusdam illationibus, obuiam fit aliis, quæ possunt opponi. cap. 8. pag. 62.

DISPVT. IV.

De distinctione virtuali intrinseca inter necessariam intellectionem, & amorem necessarium Dei nonnullæ rationes expediuntur.

Referuntur sententiæ Theologorum, nonnullaquè argumẽta pro parte affirmatiua diluũtur. cap. 1. pag. 67.

Argumenta petita ex mysterio Trinitatis. cap. 2. pag. 74.

DISPVT. V.

Euersis firmioribus fundamentis, quibus intellectionis, & amoris distinctio virtualis intrinseca nititur, indistinctio protegitur.

Proponitur fundamentum principale. cap. 1. pag 81.

Firmior solutio. cap. 2. pag. 88.

Expediuntur obiectiones aliæ. cap. 3. pag. 95.

Explicatis quibusdã corollarijs, eligitur sententia negans omnem

nem distinctionem intrinsecam inter intellectionem, & amorē necessarium Dei. cap. 4. pag. 104.

DISPVT. VI.

An, admissa distinctione virtuali intrinseca inter Dei essentiam, & amorem necessarium, admittendum etiam sit principium virtuale talis amoris?

Status controuersiæ & AA. sententiæ. cap. 1. pag. 108.

Etiam admissâ distinctione virtuali intrinseca inter essentiā Dei, & amorem necessarium, hic nō producitur physicè virtualitèr ab illa. cap. 2 pag. 111.

Vlterior eiusdem rei probatio. cap. 3. pag 118.

Exponitur posterior nostræ sententiæ pars. cap. 4. pag. 127.

Soluuntur arg. contra posteriorē partem nostrę sent. c. 5. p. 131.

Soluūtur arg. cōtra aliā partē nostræ sententiæ. c. 6. p. 136.

DISPVT. VII.

Expediuntur nonnulla circa volūtatē diuinā per modū potentiæ.

Nostra sententia. c. 1. p. 143.

Quædā obiectiones soluuntur. cap. 2. pag. 150.

DISPVT. VIII

De existētia diuini amoris erga Deū

Statutis, quæ certa sūt, quędā dubitationes dirimūtur. c. 1. p. 161

Soluuntur arg. cōtra doctrinam præiactam. c. 2. p. 165.

Aliorū arg. cōtra nostrā doctrinam solutio. c. 3. p. 171.

Proponitur aliud arg. & doctrina pro expeditione pluriū apprimè necessaria. c. 4. p. 180.

Soluitur præcedens arg. & replicationes contra solutionem expediuntur c. 5. p. 186.

DISPVT. IX.

Attributa nonnulla diuini amoris erga ipsum Deum.

De necessitate, quâ Deus amat se ipsum. cap. 1 pag. 191.

An Deum amare se ipsum sit necessarium quoad indiuiduanem actus? c. 2. pag. 197.

Placitū cōmune defenditur, & ab argumentis oppositis vindicatur. c. 3. p. 205.

Quarūdā qq decisio. c. 4. p. 208.

DISPVT. X.

Variorū affectuū natura exponitur.

De natura specialis amoris, gaudij, & desiderij. c. 1. p. 220.

Eiusdē instituti prosecutio. c. 2. pag. 227.

Comparātur inter se prædicti affectus quoad idēritatē, ac distinctionem; oppositionem, & compositionem: & alię qq. resoluuntur. c. 3. p. 237.

De proprio modo tendēdi amōris stricti. c. 4. p 246.

Duo alij dicēdi modi. c. 5. p. 254.

Alij tres dicendi modi expediūtur. c. 6. p. 261.

Nostra sententia. c. 7. p. 266.

DISPVT. XI.

An Deus amet suas perfectiones intrinsecas amore stricto prout distincto à gaudio?

Præmissis quibusdā certioribus, controuersiæ status aperitur,

Theo-

Theologorumque placita recenſentur.c.1.p.272.
Præmittuntur quatuor aſſertiones.c.2.p 277.
Infertur ex dictis potiſsimũ intẽtum, & expeditur obiectio ex D. Thoma.c.3 p.289.
Obiectiones à ratione.c.4 p.300.
Concluditur explicatio noſtræ ſententiæ.cap.5.p.310.
DISPVT. XII.
De amore Dei circa creaturas poſsibiles. (pag.318.
Præmittuntur quædã certa.c.1.
Authorum placita, priorq; pars noſtræ ſententiæ.c.2.p.324.
Obiectiones contra ſtabilitam aſſertionem.c.3 pag.332.
Secunda noſtræ ſententiæ pars cap.4.pag.339.
An Deus amet, vel amare poſsit malitiam formalem peccati poſsibilis?cap.5.pag.343.
Soluũtur obiectiones cõtra noſtrã aſſertionẽ c.6.p.346.
DISPVT. XIII.
De neceſsitate, vel libertate diuini amoris circa creaturas poſsibiles.
Relatis AA. placitis, eligitur, vt verius, Deũ amare neceſſariò creaturas poſsibiles.c.1.p.355
Argumẽtorũ ſolutio.c.2.p.363
DISPVT. XIV.
De neceſsitate morali Dei ad optimũ creaturarũ decernendum.
Quibuſdam poſitis, referuntur AA.ſententiæ.c.1.p.368.
Non habet Deus neceſſariò, & abſolutè talẽ neceſsitatẽ moralẽ ad productionẽ optimi, vt ex illa per conſequentiã metaphyſicè legitimã inferatur, Deum non eſſe Deum omiſſa electione optimi.c 2.p.372.
Aduerſariorũ inſtãtiæ.c 3.p.376
Aduerſariorum arg. c.4 p. 385.
Secũdapars noſtrę sẽt.c.5.p.391
Impugnatis aduerſariorum ſolutionibus, firmatur ſuperior doctrina, & expoſitio noſtræ ſentẽtię cõcluditur.c.6.p.398
Arg.cõtra noſtrã ſent.c.7.p.405
Expediũtur quæ ſupersũt.c.8. p. 412. DISPVT. XV.
An actus liberi Dei conſtituantur per prædicata Deo intrinſeca, quæ ſint idem adæquatè cum ipſo?
Poſitis quibuſdã certis, rei difficultas aperitur, plurium que Theoll. placitũ proponitur.c. 1.p 421. (tis.c.2.pag.332.
Iudicium de ſententijs propoſi-
Idem inſtitutum proſequimur. cap.3.pag.340.
DISPVT. XVI.
De cõſtitutione actuũ liberorũ Dei per cõplementa extrinſeca Deo.
Iudicium de ſententia Aureoli. c.1.pag.447.
Proponitur opinio cõſtituẽsactus liberos Dei partim per intrinſeca Deo, partim per extrinſeca.c.2.pag 451.
Eadẽ ſentẽtia vindicatur ab alijs argumentis.c.3.p.459.
Quæ ſint nobis in hac ſententia difficiliora.c.4 p.469.
Excluditur conſtitutio liberorũ actuũ per moralitates; & carentias.cap.5.pag.474.
DISPVT. XVII.
Quid in re tam difficili dicendum videatur? Sen-

Sentẽtia proponitur aliorũ iudicio probanda, vel reprobanda cap. 1 pag. 480.
Argumẽtorũ solutio. c. 2. p 487.
Alijs obiectionib⁹, quæ fieri possunt, occurrunt eiusdem sententiæ corollaria c. 3. p. 492.

DISPVT. XVIII.

De perfectione, vel non perfectione physica liberorũ actuũ Dei, &c.

Expenditur quorundam Theologorum sententia. c. 1. p. 501.
Expẽditur singularis modus &c. cap. 2. p. 505.
Quid iuxta principia ex dip. 17. cap. 3 pag 511.

DISPVT. XIX.

De libertate cõtradictionis, & cõtrarietatis in Deo.

Præmittitur trium dubitationũ expeditio. c. 1. p. 513.
An in Deo sit libertas cõtradictionis per puram omissionem liberamẽ? cap. 2. p 518.
Obiectionum solutio. c. 3. p. 521

DISPVT. XX.

Exponitur immutabilitas decretorum Dei.

Explicata prima parte veræ sententiæ, nonnulla circa posteriorẽ proponuntur. c. 1. p. 525
Eligitur, & probatur commune placitũ Theologorũ. c. 2 p. 529
Duo proponũtur arg. c. 3. p. 533.

DISPVT. XXI.

De ordine actuum liberorum Dei.

Nonnulla nobis certa statuũtur cap. 1. pag 543.
Stabilitur ordo intrinsecus inter actus liberos Dei. c. 2. pag. 550.
Discrimẽ inter voluntatẽ intẽdentẽ, & exequẽtẽ. c. 3. p. 558.
Quo pacto sit admittẽdus in decretis diuinis ordo intẽtionis, & executionis. c. 4 p. 563.
Argumen. solutio. c. 5. p. 569.

DISPVT. XXII.

Diuisiones diuinorum affectuum.

Volũtas signi, & beneplaciti. Antec. & consequens. c. 1. p 575.
Voluntas inefficax, & efficax, &c. cap. 2. p 581.
Diuisio decretorũ efficaciũ in absoluta, & cõditionata. c. 3. p. 588
Alijs argumẽtis solutis cõparantur inter se decreta cõditionata, & decreta disiũctiua, c. 4. p. 596.
Percurrim⁹ diuisiones alias diuinorum effectuum. c. 5. p. 602.
An odium sit propriè, & formaliter in Deo? c. 6. p. 607.

DISPVT. XXIII.

De obiecto formali diuinæ voluntatis.

Relatis Theoll sent. ponũtur nõnulla. cap. 1. pag. 612.
An bonitas creata possit esse motiuum formale diuini amoris. cap. 2. pag. 616.
Soluũtur obiectiones. c. 3. p. 622

DISPVT. XXIV.

Cõcordia virtutũ moraliũ diuinarum cum præiactis principijs.

An virtutes morales Deo repugnent ratione obiecti formalis? &c cap. 1. pag. 629.
An Deo repugnent exercitia virtutũ moraliũ ratione libertatis ad ea exercitia prærequisitæ. c. 2. p. 633.

TRA-

TRACTATVS DE VOLVNTATE DEI.

HAC de re tractant Magister sent. in 1. à distinct. 45. vsque ad 48. Vbi ipsius interpretes, & D. Thomas, qui de eodem instituto iterùm agit 1. p. à quæst. 19. vsque ad 21. His in locis cæteri Theologi, quibus consultis, & potissimùm auxilio numinis implorato, diuinæ voluntatis ininuestigabiles vias, quantum nostræ tenuitati fuerit fas, inuestigare aggrediмur. Vtinam fœlicitèr.

DISPVT. I.

Existentia diuinæ voluntatis.

PRimum sibi locum iure vendicat existētia obiecti, de quo tractandum est.

CAP. VNICVM.

Lumine fidei, & rationis constat existentia diuinæ voluntatis.

1 VOluntas, vt notat D. Th. 1. 2. q. 8. art. 2. in corpore, sumitur, vel pro facultate volendi, vel pro actuali exercitio, quòd ab scholasticis *volitio* consueuit appellari. Et sanè, si in Deo existat actualis volitio, certum est existere facultatem ad volendum sumptam pro capacitate, vt Deus sit volens, quidquid sit de alijs volitiuæ facultatis acceptionibus, quæ possunt in dubium verti, quanuis actualis volitio concedatur. Qui enim vult, capax est, vt velit. Ideo, probatâ existentiâ diuinæ volitionis, probata manet existentia diuinæ voluntatis acceptæ pro capacitate volendi. Iam voluntatem in genere sumptam definiuit Arist. lib. 1. Rethor. cap. 10. *Est appetitus boni cum ratione*, nempè bonum prosequens quia rationis actu propositum est tanquam bonum. Hinc, voluntas dicitur appetitus

A ratio-

rationalis, differtque ab appetitu sensitiuo, qui non ducitur ratione; sed sensu. Sicut autèm volũtas est appetitus boni cum ratione, ità volitio est appetitio boni cum ratione. Voluntas igitur est habilitas ad prosequendum obiectum, quia proponitur per rationem tanquam bonum; volitio verò actualis prosecutio ipsius, quia sic per rationẽ propositi. Definiuit autèm Arist. voluntatem secundùm denominationem *voluntatis*, quam à volendo suscipit; non secundùm denominationem *Nolun-tatis*, quàm à nolendo posset induere: quippè non solùm ad voluntatem spectat prosequi obiectum, quia ratione proponitur vt bonum; sed etiam ab obiecto fugere, quia ratione proponitur vt malũ; sicut non solùm pertinet ad intellectum *affirmare* tribuendo prædicatum subiecto; sed *negare* remouendo.

2 Nostra conclusio sit. Lumine fidei, & rationis cõstat existentia diuinæ voluntatis. Prior pars probatur. Nam, vt optimè D. Augustin. lib. 2. de doctrina Christianâ cap. 8. hanc veritatẽ docet: *Totus canon Scripturarum.* Paulus ad Ephes. 1. *Qui operatur omnia secundùm consilium voluntatis suæ.* Psalm. 103. *Omnia quæcunque voluit, fecit.* Paulus ad Rom. 12. *Renouamini nouitate sensûs vestri, vt probetis, quæ sit volũtas Dei bona, beneplacens, & perfecta.* Ad Colos. 1. *Postulantes, vt impleamini agnitione voluntatis Dei in omni sapientia.* Plurima alia frequentissima sunt. Videatur D. Thom. 1. contrà gent. cap. 72. Dices. Cur hæc testimonia non accipientur de volũtate impropriâ, & metaphorica? Respõdeo. Primò, quia testimonia scripturæ sunt propriè accipienda, vbi manifestissimũ incõmodum non apparet, quod non apparet hîc. Nam alioquin nihil esset ex fide constans. Vt enim optimè Mag. Aluiz, nisi vox *homo* sumeretur in scripturâ iuxtà propriam vsurpationẽ, non esset de fide Christũ esse propriè hominem, quippè nonnunquam ea vox metaphoricè accipitur.

3 Secundò. Nam ex his testimonijs, voluntas propriè dicta statuitur à Concilijs, tanquam Deo conueniens. Sic Agato Papa per integram Epistolam, quæ habetur in 2. tomo Conciliorum, in 6. Synodo Cõstantinopolitana, fol. 243. & 258. docens dari duas voluntates in Christo D. creatam, & increatam: & hanc esse vnam, & eamdem in tribus personis. Tertiò, quia constans Ecclesiæ traditio rem facit de fide. Et iuxtà eam traditionem voluntas propriè sumpta Deo competit. Quam traditionem firmat vnanimis Patrum consensus, quos aduocat præcitata Synodus à fol. 152. ad 156. & fol. 171. Et sanè, si hæc veritas fixa

fixa non esset, Theologiæ sacramenta euanescerent. Mysterium Trinitatis, quod sine processione personarum per intellectum, & voluntatem nō constat. Mysteriū Incarnationis, quod omninò cessat, nisi diuina, & humana voluntas Christo D. conueniant. Mysterium prædestinationis, & reprobationis, quod sine Deo volente nonnullos eligere ad gloriam, & nolente eligere alios, prorsus ruit. Et sic in alijs.

4 Deindè lumine rationis constare diuinæ voluntatis existentiam, probatur. Primò. Nam ethnici Philosophi veritatē hanc assequuntur, natura duce. Legātur Arist. lib. de mundo propè finem. lib. 7. Ethic. cap. vlt. lib. 10. cap. 8. Plato in Alciuiade 1. sub finem, & in Timæo antè medium. Ideò gentes omnes, quātunuis barbaræ, voluntatem in suis inanibus dijs recognoscunt. Vndè sacrificijs, orationibus, & obsequijs, ipsos habere placatos, propitios, & gratos curant. Secundò, quia nullum ens melius Deo excogitabile est. Nullâ igitur perfectione, quæ melior sit ipsa, quàm non ipsa, potest carere, & consequenter neque voluntate, cum ex ipsis terminis manifestum sit, melius esse voluntatem habere; quàm secùs. Tertiò. Nam, vt optimè D. Bonauent. in præsenti, artic. 1. q. 1. Deus est necessariò beatus modo perfectissimo. At non stat perfectissima beatitudo sine gaudio, quod est actus voluntatis: ergo Deo voluntas inest. Quarto. Quia Deus est perfectissimus Dominus omnium creaturarū: ergò prędictus est libero arbitrio, per quod possit de creaturis pro suo libito disponere. Hoc autèm sine voluntate non constat.

5 Quintò. Nam, vt rectè Scotus distinct. 2. q. 2. Deus operatur perfectissimè: ergò cognoscendo naturam operis, quod executioni mandat, & decernēdo ipsum propter honestum finem. Vbi iam cernitur voluntatis actus. Sextò. Quia Deus non solùm est perfectissimus in genere physico; sed etiam in genere morali. At perfectio in genere morali importat voluntatem, quæ amare possit, & eligere obiecta propter motiuum honestum: ergò voluntas est in Deo. Septimò. Quia Deus est perfectissimum viuēs, cuiusmodi solùm est, quod potest intelligere, & amare obiecta. Octauò. Quia Deus est infinite simpliciter bonus: ergò dignus amore simpliciter infinito, & nullius imperfectionis: ergò talis amor non est impossibilis. At non est creatus, quia omne creatū est imperfectū: ergò increatus. Amor autē increatus proprius est Dei: ergò amare, & volūtas dātur in Deo. Nonò. Nam, vt arguit Propheta

Psalm. 93. vers. 9. *Qui plantauit aurem; non audiet, aut qui finxit oculum, non considerat:* Ergo stultum est existimare intellectu carere, qui alijs intellectū tribuit: ergo similiter stultum erit existimare, volūtate carere, qui dat alijs voluntatem. At Deus, iuxta Paul. ad Philip. 2. *operatur in nobis velle, & perficere:* ergo stultè putabitur voluntate carere.

6 Decimò. Quia Diuina omnipotentia, neque producit omnia, quæ potest absolutè producere, neq; producit simùl illa omnia, quæ potest simùl producere. At oppositū accideret, nisi cohiberetur à voluntate diuina, quo minùs nonnulla produceret: ergo exiitit in Deo voluntas, quæ sic posit omnipotentiam cohibere. Vndecimò cōfirmatur ex D. Thom. 1. cōtra gent. cap. 72. Quia inter innumeras species, & indiuidua possibilia, species aliæ, & alia indiuidua præ alijs producuntur. At hoc nequit stare citrà diuinam voluntatem seligē tem has species, & indiuidua præ alijs: ergo datur in Deo volūtas. Demùm in medium producitur ratio D. Th. hîc art. 1. pòst Athanasiū tract de definitionibus colum. 4. dicentem: *Quidquid intelligit, constat quòd etiam voluntate ducatur.* Nam in Deo est intellectus: ergò & voluntas. Antecedēs supponitur ex q. 14. Cōsequentia probatur. Quia prædicatū intellectiui secum affert essentialiter prædicatum volitiui.

7 Hæc tamèn ratio sic vniuersalitèr accepta nonnullis displicet existimātibus possibilem esse substantiam intelligentē, cui repugnet velle. Quare, sicut non benè colligitur hominē esse rationalē, quòd sit sensitiuus, quia plura sensitiua sunt; & non rationalia; ità, non benè colligetur, Deum esse volitiuū, quòd sit intellectualis, quia plura sunt intellectualia; & nō volitiua. Sic sentiunt quidam Recentiores cum P. Arriaga disp. 2. de Anima sect. 4. & 1. p. disp. 24. sect. 1. At repugnare substātiam intellectualem non volitiuam censent cōmuniter Thomistæ, quos sequūtur Mag. Aluiz disp. 1. de voluntate, sect. 1. P. Herice disp. 11. c. 3. P. Ruiz disp. 1. sect. 1. P. Puēte Hurt. disput. 5. de Anima, sect. 9. Deinde rationē D. Th. demonstratiuā nō esse iudicant P. Vaz. ad hunc art. num. 15. P. Valentia punct. 1. P. Fasol. ibidem num. 1.

8 Eam tamē rationē satis esse clarā, & efficacē, quatenùs contractam ad rem præsentem, obseruat P. Ruiz suprà n. 28. quamuis præscindamus à possibilitate; vel impossibilitate substantiæ intellectualis non volitiuæ. Sic enim prædicta ratio potest explicari cum Durando in præsenti quæst. 1. vbi vtitur argumento Diui Thomæ. Deo intelligenti tribuenda est vis intellectualis plenè perfecta intrà

genus

genus intellectualitatis. At pertinet ad integritatem, & plenitudinem intellectualitatis posse intelligere bonum per intellectionem motiuã intelligentis ad amandum bonũ, iuxtà dignitatẽ suæ bonitatis: ergo Deus hoc modo intelligit bonum, quod proinde potest amare iuxtà meritum bonitatis. Confirmatur. Mancũ, imperfectũ, & mõstrosum esset intrà rationẽ sẽsitiui, quod posset sentire bonũ sibi cõueniẽs, & nõ posset illud appetere appetitione materiali: quia nimirùm sensatio boni carens viribus inclinantibus ad appetitionem, nimis imperfecta sensatio esset: ergo mãcum, imperfectum, & monstrosum erit intrà rationem intellectiui, quòd posset intelligere bonum amore dignum, & non posset illud velle voluntate rationali, nempè quia intellectio boni viribꝰ expers inclinãdi ad amandũ ipsum, iuxtà meritum suæ bonitatis, nimis imperfecta intellectio esset. At Deus non est intrà genus intellectiui mancus, imperfectus, & monstrosus: ergo sic potest intelligere obiectum amore dignum, vt ea intellectio vim habeat inclinandi Deum ad amandum obiectum iuxtà meritum bonitatis obiectiuæ. Vbi nota. Non solùm colligimus in Deo gradum volitiui ex summâ perfectione Dei in omni genere, sed etiam ex plenâ Dei perfectione intrà rationem intellectualis. Hanc autem perfectionem subintelligi in argumento D. Tho. constat primo, nam argumentum ducit ascendendo ab imperfectioribus cognoscitiuis vsque ad Deum. Secundò, quia meminit eius perfectionis lib. 1. contrà gent. cap. 72. eodem vtẽs argumento. Dubium supereſt philosophicũ potius, quã Theologicum, an vsque adeò repugnet substantia intellectualis non volitiua, vt ex ipsâ ratione substantiæ intellectualis vniuersim acceptæ, rectè colligatur eam substantiam esse volitiuam? Circa quod dubiũ plura habebam parata. Sed, vt ad Theologica veniamus, remittamus illa ad Philosophiam.

DISPVT. II.

De Appetitu innato Dei.

Dicamus nõnihil de hoc appetitu, postquam diximus de elicito, vel quasi elicito.

CAP. I.

An existat in Deo appetitus rationalis & innatus?

1 IN præsenti dubio vix potest disceptari de re ipsâ: & fortè totum dissidiũ reuocatur ad vsum huius vocis: *Appe-*

titus. Quam ob rem ſtatutis, vt certis, quæ videntur non poſſe negari, vix diſsidium alicuius momenti ſupererit. Certum eſt primo, exiſtere in Deo appetitū rationalem, ſi nihil aliud ſignificet, quam voluntatem: cum enim voluntas nihil aliud ſit, quā capacitas ad volendum, ſitque Deus capax, vt velit, patet in Deo exiſtere appetitum rationalem ſumptum pro voluntate. At quia, vt optimè notat D. Thom. 1. p. q. 59. art. 1. ad 2. *nomen appetitiuæ partis ſumptum eſt ab appetendo ea, quæ non habentur*, certum eſt ſecundò, non exiſtere in Deo, in hoc ſenſu, appetitum ſiuè rationalem; ſiuè naturalem ad ſua bona neceſſaria, quippè quæ ab ipſo habentur per identitatem perfectiſsimam. An verò cōcedendus Deo ſit affectus deſiderij circà bona creata, quæ non exiſtunt, dicemus in ſequentibus.

2 Sed quia, vt ibidem obſeruat D. Thom. non ſolùm ad ea, quæ non habentur, ſe extendit; *ſed etiam ad multa alia: ſicut, & nomen lapidis ſumptum eſt à læſione pedis, cùm tamen lapidi non hoc ſolum cōueniat. Similiter iraſcibilis potentia denominatur ab ira, cùm tamen in ea ſint plures aliæ paſsiones, vt ſpes, & audacia, & huiuſmodi.* Cum, inquam, hæc ita ſint. Certum eſt tertiò, exiſtere in Deo appetitum rationalem, prout hic non ſolùm dicit proſecutionem affectiuam quærentis, quæ nō habet; ſed affectum conquieſcentis in bonis habitis, nimirùm, ſi nihil aliud prætèriſtum affectum, vel capacitatem ad ipſum, nomine appetitus ſignificetur: ſed quia cōmune eſt voce *appetitus* indicare boni illius indigentiam, circà quod verſatur. Vt enim ait Albertus Magnus 1. p. Summæ, tract. 22. q. 79. memb. 1. *ſemper enim appetitus eſt indigentiæ*: &, vt inquit in 3. diſt. 40. art. 2. ad 2. *Appetibilia appetuntur propter indigentiam*: & S. Bonauent. in 4. diſt. 49. art. 1. quæſt. 2. n. 6. *Duo ſunt de ratione appetitus, ſcilicèt conuenientia, & indigentia.* Propterea.

3 Certum debet eſſe quartò, appetitum acceptum, quatenùs dicentem indigentiam propriſſimè ſumptam non exiſtere in Deo. Nam in ipſo non eſt huiuſmodi indigētia. Tùm quia licèt nulla perſona diuina poſsit eſſe ſine alijs; tamèn Anſelmus in Monologio cap. 58. ait. *Neceſſe eſt, vt nullus eorum trium alio indigeat.* Tùm, quia Epiphan. hæreſi 69. ſub finem. Athan. apud S. Thom. opuſc. 1. contrà græcos errores cap. 7. Deo negant omnem indigētiam. Tùm quia indigentia iuxta ſtrictam, & cōmunem vſurpationem, ſignificat quandam inopiam, per quā aliquis ità caret bonis neceſſarijs ad vſus ſibi proficuos, vt neque ha-

habeat ea bona in se ipsis, neque constituta in suâ libertate; sed egeat ope alterius quem determinare non potest pro suo libito, vt talem opem ferat. Patet autèm talem indigentiam derogare infinitæ plenitudini, ac dominio Dei. ¶ Quintò obseruandum est, D. Thom. in 3. dist. 27. quæst. 1. art. 2. corpore dicere: *appetitum naturalem nihil aliud esse, quàm inclinationem rei in finem suum naturalem, qui est ex directione instituentis naturam.* Et in hac acceptione, certum etiam est, non esse in Deo appetitum naturalem. Quia iuxtà hanc acceptionem, illi soli conuenit huiusmodi appetitus, qui naturam habet acceptam ab alio autore, & institutore, qui talē naturam ad talem, vel talem finē dirigit. Cùm autē Deus sit perfectissimè ens à se independens ab alio, non habet suam naturā ab alio autore, & institutore dirigente ipsam ad talem, vel talem finem.

4 Sextò. Appetitus naturalis dici solet: *Inclinatio innata* (id est intrà ipsam rei naturam existens) *ad bonum sibi conueniens.* Cui definitioni satis consonant S. August. tom. 5. lib. 11. de Ciuitate cap. 27. & 28. S. Thom. 1. p. q. 59. art. 1. corp. & ad 2. & q. 80. art. 1. corp. & ad 3. S. Damascen. lib. 2. de fide, cap. 22. ad medium, & lib. 3. cap. 18. sub finē. Quā definitionem sic plures apprehendunt, quasi ratura eo pondere, ac vehementiâ propendeat in illa bona, quæ appetit innatè, vt eis carens existat in statu violento. Cæterùm hæc definitio non sic intelligi debet. Licèt enim res propendeant innatè in plura sibi conuenientia, quibus quandiù carent, existunt in statu violēto: quomodo corpora grauia, & leuia in suā præsentiam centricā inclinant; non tamèn sic se habent omnia bona, quæ sub appetitum innatum cadunt. Nàm res nihil magis appetunt innatè, quàm suum esse, & conseruari. Patet autèm non existere illas in statu violento; sed potiùs nullatenùs existere, quandiù neque sunt, neque conseruantur. Hæc igitur definitio sic intelligitur, vt appetitus innatus rei ad bonum sibi conueniēs sit ea formalitas rei intrinseca, ex qua res habeat impossibilitatem connaturaliter existendi sine tali bono. Quo pacto facilè constat, posse rem appetere innatè, non solùm alia bona; sed etiam suum esse, & conseruari. Nàm ex prædicatis intrinsecis res habet nullo modo posse existere, ac proinde non posse existere cōnaturaliter, sine suo *esse*. Habet itidem ex prædicatis intrinsecis nullo modo, ac proinde neque connaturaliter posse permanere in *esse* sine sui conseruatione.

5 Denique certum est, in Deo

non esse appetitum purè innatum circa bona Dei. Sicut enim, & est creatura possibilis; & est creatura *purè* possibilis: creaturaque possibilis est, cuius existentia non implicat contradictionem, siuè simul cum hâc nō repugnantiâ creatura existat; sivè non: creatura autèm purè possibilis est, quæ reuerà non existit, quamvis ipsius existentia non implicet contradictionem: ità similitèr, & est appetitus innatus; & est appetitus purè innatus. Appetitus innatus rei ad aliquod bonum est intrinseca rei impossibilitas existendi connaturalitèr sine tali bono; sivè talis impossibilitas coniuncta sit cum appetitu voluntario eius boni; sivè non. Appetitus *purè* innatus est prædicta impossibilitas excludens coniunctionem sui cum appetitu voluntario eius boni. At in Deo non est circà bona Dei appetitus eorum bonorum excludens appetitū diuinum voluntarium ipsorū: ergo in Deo non est appetitus *purè* innatus circà bona Dei. Minor probatur. Nam quodlibet bonum Dei, vel est Deo intrinsecum; vel extrinsecum, nempè quid creatum diuinam bonitatem, & attributa Dei manifestans. Hæc autem omnia per diuinum intellectum proponuntur bona, & per diuinam voluntatem, quia talia sunt, amantur, vel liberè, vel necessariò, vt ex toto tractat. constabit: ergo appetitus Dei circà ipsius bona non excludit appetitum diuinum voluntarium ipsorum.

6 Ex his difficile non erit explicare breuiter nostram sententiam. *Dico primò.* In Deo est appetitus innatus circà sua prædicata necessaria, essentialia, & communia omnibus personis, prout condistincta à notionalibus. Ratio est. Nam, vt constat ex num. 4. appetitus rei innatus vniuersim acceptus, non est aliud, quàm impossibilitas rei ad existendum connaturalitèr sinè tali, aut tali bono. At optima sunt, Deo que conuenientissima sua prædicata necessaria communia; & aliundè in Deo est impossibilitas existendi connaturalitèr sinè ipsis, quippè Deus nullomodo potest ab ipsis separari: ergò est in Deo appetitus innatus circà sua prædicata necessaria communia. Sed quid de notionalibus? Duæ sunt celebres sententiæ, quas accuratè examinabimus tract. de Trinitate. Altera est, prædicata personalia prout distincta à prædicatis cōmunibus (eo modo, quo distinguuntur ab ipsis) non dicere in suâ ratione formali perfectionem, aut imperfectionem entitatiuā, sed ab vtraque præscindere. Altera est, ea prædicata personalia, etiam vt formaliter distincta à prędicatis communibus

bus importare perfectionē entitatiuam.

7 Iuxtà vltimam sententiam. *Dicendum est secundo* propter rationem primæ conclusionis, in Deo esse appetitum innatū circà sua prædicata notionalia, vt formaliter distincta ab essentialibus: nam etiam vt sic accepta sunt perfectiones Dei, à quibus, neque connaturaliter, neque vllo modo potest Deꝰ separari. At iuxtà priorem sententiam, videtur *dicendum esse tertiò*, non esse in Deo appetitum innatum circà sua prædicata necessaria, vt formaliter distincta ab essentialibus. Tametsi namque Deus nequeat existere absque huiusmodi prædicatis notionalibus; hæc tamen prædicata prout sic distincta non sunt perfectiones entitatiuæ Dei; sed ab hâc ratione præscindunt. Cum igitur appetitus innatus Dei nō sit nisi ad bonum Dei, non erit ad prædicta prædicata vt sic sumpta. Cęterum propter oppositā rationem *dicendum erit quartò*, in ipsis prædicatis notionalibꝰ prout ab essentialibꝰ distinctis dari appetitum gaudij prædicatorum essentialium. Nam hæc prædicata essentialia optima sunt, & cōuenientissima prædicatis notionalibus, ab his possidentur per communicationem perfectissimam identitatis, nulloq; modo possunt ea prædicata notionalia existere sinè essentialibus. Nihil ergo deest, vt istorum possessione gaudeant innatè.

8 *Dico quinto.* Verosimilius est, non existere in Deo appetitum innatum adhùc disiunctiuū circà creaturam, vel carentiam eius: & similitèr, neque circà vnum, vel alterum ex oppositis exercitijs libertatis diuinæ. In præsenti conclusione supponitur vnum, & asseritur alterum. Supponitur, in Deo non esse appetitum innatum determinatè circà creaturam: v. g. circà Petrum: quippè Deus potest connaturalissimè existere sinè Petro. Propter quam rationem, neque in Deo est appetitus innatus determinatè circà carentiā Petri; neque appetitus innatus determinatè circà suum decretum liberum de existentia Petri; neque appetitus innatus determinatè circà omissionem liberam decernendi existentiam Petri. Dubium est. An existat in Deo appetitus innatus disiunctiuus, quo appetat, vel existere Petrum, vel non existere; vel decernere liberè existentiam Petri, vel liberè omittere decretū eius existentiæ? Ratio dubitandi est: quia, non solùm connaturalitèr loquendo; sed neque vllo modo, potest Deus existere simul sinè Petro, & ipsius carentiā, sine decreto libero circà existentiam Petri, & sine omissione liberâ decernendi existentiā Petri. At in Deo est appetitus innatus

natus, illius rei, sine quâ nequit existere: ergo appetitus innatus disiunctiuus existentiæ, vel non existentiæ Petri; decreti, vel omissionis decreti circà existentiam Petri.

9 In quo dubio verosimilius esse asserimus, non existere in Deo talem appetitum. Ratio sit. Quia non sunt obiectum appetitus innati disiunctiui ea extrema, cum quibus ita res comparatur, vt absolutè, & simplicitèr æquè benè se habeat præscindēdo ab ipsis. At respectu Dei talia sunt creatura, & carentia creaturæ; decretum creaturæ, & omissio talis decreti: ergo talia extrema non sunt obiectum appetitus innati disiunctiui diuini. Minor constat. Quia Deus præcisè acceptus secundum sua prædicata essentialia necessaria, abstrahendo à creaturis, & à prædicatis cōtingentibus, adeò simplicitèr infinitus est; vt nullius alterius accessione possit esse melior. Maior, in quâ est difficultas, probatur, & explicatur facilè. Nam licèt impossibile sit me existere, nisi vel existente, vel nō existente tali, aut tali muscâ; nō tamèn in me est appetitus innatus disiunctiuus existentiæ, vel non existētiæ talis, vel talis muscæ, quod ideò tantùm esse potest, quia æquè benè me habebo, siuè musca existat, siuè non; & aliunde requiritur ad hoc, vt aliquod extremum terminet appetitum innatum disiunctiuum alicuius rei, quod hæc res non se habeat æquè benè, siuè detur, siuè non tale extremum. Quam ob rem, vt æquiuocationis occasio præcidatur, ea connexio disiunctiua, quam Deus habet cum existentia, vel non existentiâ creaturæ, cum decreto statuente creaturam, vel omissione talis decreti, non est dicenda exigentia disiunctiua talium extremorum; sed pura connexio cum ipsis, quia nomen *exigentia*, & nomen *appetitus innatus* videntur coincidere; & non sic nomen *connexio*.

CAP. II.

Soluuntur aliqua.

10 PLura satis euersa sunt ex his, quæ vt certa statuimus cap. præced. supersunt tamèn nonnulla; sed satis facilia, diluenda. Primò obijcies contrà primam conclusionem positam num. 6. non esse in Deo appetitum innatum circà sua prædicata essentialia necessaria. Nā, vt aiunt P. Arrub. 1. p. quæst. 19. disput. 50. & P. Vazquez 1. 2. disp. 22. cap. 2. num. 10. appetitus innatus est quidam conatus, qui sequitur ad virtutem actiuam, aut passiuam circà terminos, quos agunt, vel patiūtur. At Deus non habet virtutē actiuam, vel passiuam circà sua prædica-

dicata essentialia, & necessaria: nam cum ipsis prorsùs identificatur: ergo neque appetitum innatum. Confirmatur ex Ambrosio Machin. 1. p. quæst. 19. disp. 39. sect. 2. Nam appetitus innatus in rigore acceptus importat relationem realem ad terminum, qui appetitur, proindeque importare videtur relationem realem, vel actiuæ, vel passiuæ virtutis, quia non appareret alia, quæ sit apta ad constituendum appetitum innatum. Patet autem non esse in Deo circà sua prædicata necessaria essentialia virtutem actiuam, aut passiuam.

11 Respondeo. Res creatæ, iuxtà communem sensum, & vsurpationem, appetunt innatè suum *esse*; & conseruari, vt constat ex D. Thom. 1. contrà gent. cap. 27. ratione 3. & tamèn neque respectu sui *esse*; neque suæ conseruationis conatum habent virtutis agentis, aut patientis. Vnde talis connatus non est de ratione appetitus innati; sed hic præcisè consistit, vt dicebam num. 4 in impossibilitate intrinsecâ rei, vt existat sine bono sibi conueniente, quam impossibilitatem habet intrinsecè Deus cõparatione suorum prædicatorũ essentialium. Ad confirmationem respondeo. Appetitus innatus in rigore acceptus nõ importat necessariò relationẽ realem secũdùm *esse* ad terminum, qui appetitur; sed vel relationẽ realem secundùm *esse*; vel rationis secundùm modum significandi. Sicut enim ipsam identitatem Dei cum se ipso explicamus, & concipimus modo cõparãte, ac referente Deum ad se ipsum; ita impossibilitatem intrinsecam Dei ad existendũ sine suis prædicatis essentialibus explicamus, & concipimus modo comparante, ac referẽte Deum ad sua prædicata essentialia. Et quemadmodũ *intellectio* propriè, & in rigore accepta nõ importat necessariò relationem realẽ secundùm *esse* ad obiectum, quod intelligitur; sed vel relationem secundùm *esse*; vel rationis secũdùm modum significandi. Nam intellectio; qua Deus se ipsum intelligit, cum sit omninò idem cum Deo, non importat relationem realem secundùm *esse* ad Deum, quanvis explicetur, & concipiatur comparando ipsam cum Deo; ità appetitus innatus, propriè, & in rigore acceptus, nõ importat necessario relationem realem secundùm *esse* ad terminum, qui appetitur; sed vel relationem secundùm *esse*; vel ex modo significandi.

12 Obijcies secundò aduersùs quintam conclusionem, vbi diximus, non esse in Deo appetitum innatum circà creaturas. Intellectus diuinus, voluntas, & omnipotẽtia Dei important intrinsecam, & tranſcendentalem rela-

relationem ad creaturas, quas possunt intelligere, velle, & producere, & cum ipsarum possibilitate connectuntur ab intrinseco: ergò innatè appetunt creaturas: quia vnumquodque appetit innatè id, ad quod transcendentalitèr refertur, & cum quo connectitur intrinsecè. Confirmatur. Omnis relatio fertur ad suum terminum tanquam ad bonum sibi cõueniens, sinè quo nequit existere. At prædictæ formalitates Dei sunt relationes ad creaturas, sinè quibus vt acceptis sub esse possibili non possunt existere: ergo prædictæ formalitates Dei feruntur ad creaturas tanquam ad bonum sibi cõueniens, sinè quo nequeunt existere. In hoc autèm consistit ferri ad creaturas appetitu innato.

13 In primis argumentum infringitur. Nam si quicquam valeret; probaret eâdem vi, dari in Deo propensionem innatam circà existentiam actualem peccati. Si enim intellectus, voluntas, & omnipotentia Dei, quia sinè creaturis, quatenùs possibilibus existere nequeunt, referuntur transcendẽtalitèr ad creaturas quatenùs possibiles, eaque relatio est appetitus innatus, & consequentèr Deus habens intellectum, voluntatem, & omnipotentiam, habebit appetitum innatum creaturarum, vt possibiliũ; similitèr quia sciẽtia visionis peccati, decretumque, quo Deus post præuisum peccatum decernit pœnitentiam illius, & id genus alia, quia nequeunt existere sine peccato, vt actualitèr exercito, referentur transcendentalitèr ad peccatum, quatenùs actualitèr exercitum, eaque relatio erit appetitus innatus peccati prout actualitèr exerciti, & consequentèr in Deo habẽte prædictos actus intellectus, & voluntatis, dabitur appetitus innatus peccati, prout actualiter exerciti, quod satis durum est.

14 Ad argumentum ergo. Dato antecedẽte, negatur consequentia. Licèt enim admittamus gratis, ea prædicata diuina referri transcendentalitèr ad creaturas, & intrinsecè connecti cum aliquâ ipsarum possibilitate intrinsecâ distinctâ à Deo, quod falsum esse diximus tract. de Scientia Dei, disp. 7; tamèn ea relatio transcendentalis prædicatorum Dei ad creaturas, nõ erit appetitus innatus ipsarum. Quia Deus propter summam ipsius infinitatem intrinsecam, intelligitur æquè benè se habens secundùm se sumptus, atque acceptus in consortio cuiuslibet à se distincti. Vt autèm ea prædicata Dei sortirentur, non connexionem nudam cum creaturis, vt distinctis à Deo; sed propensionem innatam ad ipsas, vt sic sumptas, oporteret verificari hanc propositionem: *Melius est prædicatis diuinis consortium cum*

cum creaturis, vt sic sumptis, quâ existentia talium prædicatorum sumpta secundùm se. Vide n. 9.

15 Hinc ad confirmationē respondeo, negando maiorem. Nam licèt relatio connexionis cum termino nō possit esse sine termino accepto sub eâ ratione, sub quâ est connexio cum illo; non tamèn necesse est omnē relationem esse respectum ad terminum tanquam ad bonum sibi conueniens, vt patet in relatione scientiæ visionis Dei ad existētiam peccati, ad quod cōparatur ea visio præcisè tanquā ad terminum; non tanquam ad bonum sibi conueniens. Omitto plures relationes, quæ tametsi non possint non esse respectus ad suos terminos; possunt tamen existere sine ipsis, vt condistinctis ab eis relationibus. Sic desiderium existentiæ diuitiarū potest esse sine existentiâ diuitiarum, & nolitio diuina efficacitèr excludens existentiam alterius mundi potest esse sine tali existentiâ. Hic nota dictū à nobis est nō esse in Deo appetitum innatum ad creaturas adhùc sub esse possibilitatis *ipsis intrinsecæ, & à Deo distinctæ*. Nam si loquamur de possibilitate extrinsecâ creaturis, & identificatâ cum prædicatis necessarijs Dei, alia est ratio, iuxtà dicta num. 6.

16 Obijcies tertiò. Deus complacet complacentiâ necessariâ in bonitate creaturarum possibilium: ergò similitèr tendere poterit appetitu innato ad eandem bonitatem. Probo cōsequentiam. Nam vel præscindendo à bonitate creaturarum possibilium, æquè benè se habet Deus, ac intellectâ eâ bonitate; vel non? Si hoc vltimum: ea bonitas terminare poterit appetitum innatum Dei. Si primum: non apparet quomodo diuina voluntas rapiatur necessariò ad amorem bonitatis, quâ intellectâ; vel non intellectâ, Deus æquè benè se habet. Confirmatur primò. Id, quod Deum decet, terminare potest appetitum innatum Dei. Sed laus, & honor, quem creaturæ exhibent Deo, decent Deum, iuxtà illud Psal. 64. v. 1. *Tè decet hymnus Deus*: & ad Hebræos 2. vers. 10. *Decebat enim eum, propter quem omnia, &c*: ergo laus, & honor, quem creaturæ exhibent Deo, terminare possunt appetitum innatū Dei. Cōfirmatur secundò. Nullus potest amare propter se ipsum, nisi quod sibi est bonum, tametsi sit sibi extrinsecum. At quanuis Deo sit extrinsecus honor, quē ipsi Deo exhibent creaturæ, potest Deus propter ipsum Deum velle talem honorem: ergò talis honor, quanuis extrinsecus Deo; tamèn bonus; & conueniens Deo erit, ac proinde terminare poterit appetitum innatum Dei.

17 Ad argumētum, concesso an-

antecedente, de quo infrà, nego consequentiam. Ad cuius probationē respondeo. Deus æquè benè se habet præscindēdo à bonitate creaturarum possibilium, ac intellecta ea bonitate. Nam Deus intrinsecè secundùm se sumptus, vt adequatè condistinctus ab omni bonitate, quæ non est ipse Deus, intelligitur infinitè ac summe bonus, & fœlix; summè autèm bonus, & fœlix, præcisè quatenùs talis est, habet non posse esse meliorem, & fœliciorem, ac proindè non posse meliùs se habere. Hinc, nequit Deus innata propensione tendere ad bonitatem creaturarum possibilium, quia de ratione termini propensionis innatæ est, vt innatè propendens in ipsum melius se habeat, vt cum illo cōiunctus, quàm præcisè secundùm se acceptus. Tamètsi autèm Deus, vt condistinctus à bonitate possibilium, æquè sit bonus, ac ea bonitate intellecta, stare potest, vt in illa bonitate necessariò cōplaceat. Nam satis probabiliter dicitur, spectare ad infinitatem diuinæ bonitatis, non posse Deū se cōtinere, quominùs bonum, vt bonum, ipsi placeat, non quia tali bono egeat; sed quià bonum aliquale est participans bonitatem Dei. Idque præsertim verum putabitur. Tum quia Deum non posse se continere, quominùs illi placeat bonum possibile, qua bonum est, non opponitur cum alia perfectione simpliciter simplici necessariò concedenda Deo, vt contendit hæc sententia. Tum quia hæc necessitas Dei, vt placeat illi bonum creabile, quà bonum est, non prouenit ex meritis bonitatis amatæ sua virtute rapientis Deū ad amorem; sed ab infinitudine bonitatis diuinæ, quam decet, vt bonum, quà bonum, sic ipsi consonet, vt à se ipsa nequeat obtinere, quòd ipsi non placeat aliqualiter. Sed de hoc ex professo disp. 13.

18 Ad primam confirmationem dicatur. Dupliciter stat Deum decere bonum aliquod. Primò decentiâ vtilitatis, quæ stat in eo, quod Deus non se habeat in se summè benè secundùm se sumptus, vt ab illo bono præscindens. Secundò decentiâ puræ amabilitatis, quæ stat in eo, quòd tale bonum dignum sit, quòd à Deo ametur. Bonum prioris decentiæ terminat appetitum innatum Dei, ideoque illum terminant prædicata essentialia necessaria Dei. At bonum posterioris decentiæ non terminat talem appetitum propter sæpè dicta: & quia pertinent præcisè ad posteriora bona laudes, & honores, quos Deo exhibemus, ideò non terminant appetitum innatum Dei.

19 Ad secundam confirmationem respondeo. Duplex bonitas

nitas spectari potest: alia, quæ vocetur bonitas commoditatis; alia, quæ vocari potest bonitas complacentiæ. Prior consistit in eo, quod res præscindendo ab illâ non se habeat æquè benè in suo *esse* connaturali, ac sine illâ. Posterior consistit, in eo quòd rei sit gratum, & placens tale, vel tale obiectum, quia dignitatem habet per se, vt decenter, & honestè ametur. Nullus sanè potest amare propter se ipsum, id est, propter commoditatem propriam: nisi quod sibi sit bonum bonitate commoditatis, & vtilitatis prædictâ: & quia laudes, & honores, quos creaturæ deferimus Deo, non sunt Deo boni bonitate prædictæ vtilitatis, nequit Deus propter se ipsum ipsos amare, sensu denotante propter propriam commoditatem eos amare. Cæterùm, quia Deus ex optimâ suâ natura talis est, cui gratum, & placens est quodlibet per se decenter, & honestè amabile, ideò quodlibet tale obiectum potest Deus propter se ipsum amare: ly *propter se ipsum* denotante idem, ac si diceres, quia talis est Deus, cui prædicta obiecta grata sunt: cùm igitur laudes, quibus Deum commendamus, & honores, quos ipsi deferimus, sint obiecta per se decenter amabilia, ideò in sensu dicto potest Deus propter se ipsum affici circà talia obiecta.

19 Objicies quartò, malè à nobis esse dictum num. 7. concedendum esse in Deo appetitum innatum circà personalitates diuinas in sententia, quæ defendit ipsas, prout formaliter ab essentia diuina distinctas, importare perfectionem entitatiuam. Contrà enim est. Nam pro illo signo, quo intelligitur diuina essentia formaliter præcedens ad personalitates, intelligitur Deus æquè benè se habens, ac pro signo posteriori coniunctus cum personalitatibus: ergo iuxtà doctrinam præcedentium, non est in diuina essentia appetitus innatus circà personalitates, quanuis importent, vt condistinctæ ab essentiâ, perfectionem entitatiuam. Probatur antecedens. Quia pro illo signo intelligitur diuina essentia simplicitèr infinitè perfecta, & virtualitèr præcontinens ipsas personalitates. At de ratione simplicitèr infinitè perfecti est, vt eo ipso præscindendo à quolibet alio intelligatur æquè benè se habens, ac coniunctus cum quolibet alio, quapropter Deus pro priori ad productionem creaturarũ æquè benè se habet, ac cõiunctus cum creaturis: ergo pro illo signo intelligitur essentia diuina æquè benè se habens, atque cum personalitatibus.

20 Iux-

20 Iuxtà sententiam, in qua procedit argumentum, respondeo. Pro illo signo rationis, prò quo intelligitur diuina essentia præcedens ad personalitates, nõ intelligitur simpliciter infinitè perfecta formaliter; benè tamèn radicaliter. Ratio prioris est. Quia iuxtà eam sentẽtiam, personalitates diuinæ sunt formalitates perficiẽtes diuinam essentiam, sine quibus diuina essentia non existeret, ac proinde non existeret simplicitèr infinitè perfecta. Non autem intelligitur diuina essentia infinitè simplicitèr perfecta formaliter, donèc intelligatur cum omni perfectione, per quam eo modo perficitur. Ratio posterioris est: quia pro eo signo intelligitur diuina essentia cum reliquis omnib⁹ perfectionibus formaliter, ac deindè tanquam radix essentialitèr connexa cum existentia personalitatũ pro posteriori rationis: & in hoc stat intelligi pro eo signo simpliciter infinitè perfectam radicaliter. Hinc primò: diuina essentia pro illo priori rationis non intelligitur formalitèr cõiuncta cum personalitatibus; sed coniungẽda pro posteriori rationis, proindeque non intelligitur æquè benè formaliter se habens, ac pro posteriori rationis. Secundò: intelligitur tamèn pro illo priori æquè benè se habens radicalitèr, ac pro posteriori: nam pro illo priori intelligitur tanquam radix inexistabilitèr inferens existentiam personalitatum pro posteriori.

21 Vbi pro complemento solutionis, notatur primo. Tamètsi diuina essentia pro illo priori rationis non intelligatur æquè benè formalitèr se habẽs, ac pro posteriori; non tamèn intelligitur *positiuè* minùs benè se habens, quàm pro posteriori: quia pro illo priori non existit *positiuè* personalitatum exclusio; quanuis verum sit non existere personalitates pro illo signo rationis, vt communitèr explicant Philosophi tractantes de prioritate naturæ. Nota secundò. Pro illo priori originis, quo Pater æternus præcedit, v. g. ad filium, concedi potest Patrem æternum innatè appetere subsecutionem filiationis dicentis, iuxtà sententiam, in quâ loquimur, perfectionem entitatiuam formalitèr distinctã à perfectione essentiæ: licèt enim Pater, vt Pater, non perficiatur per filiationem: quia nihil in diuinis perficitur nisi per formalitatem, cum quâ identificatur realitèr, & Pater, vt Pater, non identificatur realitèr cũ filiatione; quia tamèn filiatio perficit essentiam diuinam constitutiuam Patris in *esse* Dei, & aliundè talis essentia nequit sine filiatione existere; neqùm connaturalitèr existere; ideò Pater, vt Pater, potest innatè filiationem appetere: quia vnum-

vnumquodque innatè appetit, quod & perficit suam essentiam, & sine quo nequit existere.

CAP. III.

Concluditur obiectionum solutio, dilucidèque explicatur natura disiunctiui.

22 OBijcies quintò contrà quintam conclusionē, non posse Deo negari appetitum innatum disiunctiuū, quo Deus innatè appetat decernere, vel no decernere liberè productionem Petri, v. g. Item existere, vel non existere Petrum. Nam iuxtà præsentem disputationem datur in Deo appetitus innatus circà sua prædicata necessaria. At iuxtà nostra principia stabilita in meraphysicis, & in tract. de Scientia Dei, omne simpliciter necessarium idem est cum prædicatis necessarijs Dei. ergò datur in Deo appetitus innatus circà quodlibet simplicitèr necessarium. Est autèm simpliciter necessarium Deum decernere, vel non decernere Petrū: item existere, vel non existere Petrum: ergò negari non potest appetitus innatus disiunctiuus, quo Deus innatè appetat decernere, vel non decernere Petrū: item Petrum existere, vel non existere.

23 Sed in primis nimiùm probat argumentū, scilicèt Deo concedendum esse appetitum innatum disiunctiuū circà malitiam peccati. Nàm existere, vel non existere malitiam peccati est necessarium simplicitèr. Mihi autèm sequela est absurda. Pro argumenti solutione, reuocanda est in memoriam doctrina, quam in nostris scriptis sæpè attigimus, & non semèl magno vsui erit. Existere disiunctiuè vnum, vel alterum ex extremis contradictorijs contingentibus stat dupliciter. Primo physicè intrinsecè, in esse rei ex parte ipsorum. Secundò intentionaliter in esse veritatis, siuè intrinsecè ex parte ipsorum, siue extrinsecè ex alia parte. Existere disiunctiuè Petrum, v. g. vel *non esse* Petri, loquendo physicè, intrinsecè, & in esse rei ex parte talium extremorum, duplex habet constitutiuum sufficiens. Primum est ipsa existentia intrinseca Petri: si enim Petrus intrinsecè existit, iàm intrinsecè ex parte horum extremorum: *Existere Petrum. Non existere Petrum*, datur existere vnum ex ipsis, in quo stat *existere Petrum, vel non existere*. Secundum constitutiuum sufficiens eiusdem disiuncti, loquendo physicè, intrinsecè, & in esse rei, est, propter similem rationem, ipsummet *non existere Petri* intrinsecè sumptum.

24 Iàm verò, si loquamur in-

tentionaliter in esse veritatis, certè *existere, vel non existere Petrum* tot habet constitutiua sufficientia, quot dentur fundamenta ineuitabiliter inferentia, non esse falsam; sed veram istam propositionem: *Petrus existit, vel non existit.* Nàm obiectum esse tale, vel tale intentionaliter in esse veri, non est aliud, quàm non esse falsam; sed veram assertionem enuntiantem esse tale. Hinc fit, loquendo intentionaliter in esse veritatis, alia constitutiua sufficientia eius disiuncti esse intrinseca ipsis extremis, quæ importat, & ab ipsis indistincta; alia verò extrinseca, & adæquatè distincta ab eis extremis alia contingentia, & defectibilia; alia necessaria, & indefectibilia. Nàm omnes istas differentias subeunt fundamenta ineuitabiliter inferētia, non esse falsam; sed veram istam propositionem: *Petrus existit, vel non existit.* Primò enim intrinseca existentia Petri intrinseca est vni ex extremis eius disiunctionis, nempè Petro, & est quid contingens, & defectibile fundans ineuitabiliter veritatem eius propositionis disiunctiuæ. Secundò. Decretum efficax Dei de existentiâ Petri est quid contingens, & defectibile fundans ineuitabiliter eiusdem propositionis veritatem; est tamèn extrinsecum extremis eius disiunctionis, & adæquatè distinctū ab ipsis.

25 Tertiò, ipsummet *non existere Petri* intrinsecè sumptum, est quid intrinsecum alteri ex extremis eius disiunctionis, nimirùm carentiæ Petri, & est quid contingens fundans ineuitabiliter veritatem eius disiunctiuæ. Quarto. Decretum efficax Dei de non existentiâ Petri est quid contingens, ac defectibile fundans ineuitabiliter eius disiunctiuæ veritatem; est tamèn extrinsecum extremis eius disiunctionis, & adæquatè distinctum ab ipsis, saltèm iuxtà communem opinionem distinguentem decretum efficax Dei de non existentiâ Petri à formali carentiâ Petri. Quinto. Ipsa entitas necessaria Dei, quatenùs intrinsecè dicit necessitatem conferendi, vel negandi existentiam Petro, est quid omninò necessarium, & indefectibile distinctum ab extremis eius disiunctionis, fundansque ineuitabiliter eius disiunctiuæ veritatem. Patet ergo in multiplici differentiâ esse fundamenta ineuitabiliter inferentia veritatem prædictæ disiunctiuæ, ac proindè constitutiua sufficientia eius disiuncti intentionaliter in esse veritatis: alia intrinseca extremis disiunctionis, cōtingentia, & ab illis indistincta; alia extrinseca ipsis, & etiam contingentia. Aliud ab ipsis distinctum, prorsùs necessarium, & indefectibile, nempè ipsa entitas

tas Dei, prout est necessitas, vt sit verum Petrum existere, vel non existere, quatenus est necessitas, vt ipse Deus conferat, vel deneget existentiam Petro.

26 Fit secundo: hoc disiunctum: *Existere, vel non existere Petrum* (idem dico de alijs disiunctis, quorum omnia extrema sunt contingentia) non esse necessarium absolutè, & simpliciter, si loquamur physicè, intrinsecè ex parte extremorum in esse rei. Ratio est. Quia nihil aliud considerabile est physicè, & intrinsecè ex parte talium extremorum, nisi quodlibet ex ipsis seorsim sumptum, vel coniunctum coalescens ex vtroque. Quodlibet ex ipsis seorsim acceptum non est absolutè, & simpliciter necessarium; sed potiùs absolutè, & simpliciter contingens. Nàm hoc modo contingens est existentia Petri seorsim sumpta, & eodem modo contingens est non existentia Petri seorsim accepta. Iam coniunctum coalescens ex vtroque potiùs est implicatorium, quàm necessarium: quippè repugnat coniungi existere Petrum, & non existere: ergò loquendo physicè, & intrinsecè ex parte istorum extremorum, nihil est necessarium absolutè, & simpliciter.

27 Hinc ad argumẽtum positum num. 22. nego appetitum innatum disiunctiuum Dei circà extrema contingentia, & defectibilia. Ad probationem in contrarium, concessa maiore, distinguo minorem. Omne simpliciter necessarium necessitate determinata, idem est cum prædicatis necessarijs Dei, concedo minorem; indeterminatâ, nego minorem: & sub eadem distinctione concedenda est, & neganda consecutio. Iàm verò Deum decernere, vel non decernere Petrum: item existere, vel non existere Petrum, loquẽdo intrinsecè, & physicè ex parte extremorum non est simpliciter necessarium determinatè. Nàm, vt cõstat ex num. præced. nihil est ex parte talium extremorum, quod sic necessarium sit. Vndè talia disiuncta, quoad sua extrema, sunt indeterminatè solùm necessaria, vt iàm explico. Quare non sequitur ea extrema terminare appetitum innatum Dei, adhùc disiunctiuum, vt videbimus num. 29. Quia verò talia extrema, quamuis non quoad se ipsa; tamèn intẽtionalitèr, & in esse veritatis disiunctiuæ, id est, quoad fundamentum ipsis extremis extrinsecũ, ineuitabilitèr inferens veritatẽ harum disiunctiuarum: *Vel Deus decernit Petrum, vel non decernit. Vel existit Petrus, vel non existit.* Quoniam, inquam, hæc extrema, quoad eiusmodi fundamẽtum, quod iuxtà num. 25.

consistit in prædicatis necessarijs Dei, sunt determinatè necessaria, indè ad summùm consequitur, dari in Deo appetitum innatum, circà tale fundamentum, id est circà sua prædicata necessaria, quod minimè negamus.

28 Pro elucidatione rei præsentis, quæ non intimè perspecta mille æquiuocationibus obnoxia manebit, necessè est, vt nonnulla firmitèr insedeant animo. *Primum.* Extrema huius disiuncti: *Vel existit Petrus, vel non existit* (idem dicatur de similibus disiunctis extremorum cõtingentium) quantum ad *esse* physicum intrinsecum ipsorum non sunt determinatè necessaria. Nàm, vt dicebam num 26. hoc disiunctum quantum ad *esse* physicum, & intrinsecum, non est aliud, quàm existentia Petri secundùm se seorsim accepta, & non existentia Petri similitèr accepta secundùm se seorsim. Patet autèm hæc extrema sic accepta non esse determinatè necessaria; sed potiùs determinatè contingentia. *Secundum.* Tale disiunctum, etiam quantum ad *esse* physicum & intrinsecum extremorum, quæ dicit, est necessarium indeterminatè. Sic enim necessaria est existentia Petri comparata cum non existentiâ ipsius; & non existentia Petri comparata cum ipsius existentiâ. Ratio est. Quia illud extremum comparatum cum altero est necessarium necessitate disiunctiua, vel, quod idem est, necessitate indeterminata ipsius, & alterius, quod sic se habet ad alterũ, vt licèt quodlibet seorsim possit deficere; implicatorium tamèn est deesse simùl vtrumque: ità verò comparantur inter se existentia, & non existẽtia Petri: licèt enim quodlibet ex his extremis seorsim acceptum possit deficere; repugnans tamèn est simùl deesse vtrumque, quippè implicat, neque Petrum, quantum ad suum *esse* intrinsecum existere; neque non existere: igitùr prædictum disiunctum, etiàm quãtum ad *esse* physicum, & intrinsecum extremorum, quæ dicit est necessarium indeterminatè.

29 *Tertium.* Est ergò diligentèr distinguendum, & id *quod* est indeterminatè necessarium, & id, *quo* constituitur indeterminatè necessarium. Quod in prædicto disiuncto est indeterminatè, disiunctiuèque necessarium, est ipsa existentia intrinseca Petri comparata cum ipsius carentia, & etiàm ea carentia comparata cum illa existentia, vt constat ex num. 28. Id autèm, *quo* hæc extrema quantùm ad suum *esse* constituuntur necessaria indeterminatè, est ipsa entitas Dei ipsis extrinseca, quatenùs est ne-

necessitas, vt ipse Deus concedat, vel deneget existentiam Petro. *Quartum.* Tametsi Deus appetat innatè, quæ sunt necessaria determinatè, absolutè, & simpliciter, nō indè infertur appetere innatè, quæ sunt necessaria indeterminatè duntaxat. Ideò nanque Deus innatè appetit, quæ sunt necessaria determinatè, absolutè, & simpliciter, quia sola prædicata necessaria Dei, sine quibus Deus, neque connaturaliter, neque vllo modo potest existere, sunt ità necessaria. Terminant autèm appetitum innatum Dei perfectiones illæ, sine quibus Deus nequit existere. Cæterùm ea, quæ sunt indeterminatè necessaria, sunt absolutè contingentia, eaque, sinè, & cum quibus æquè benè se habet Deus, proindèque non terminant appetitum innatum Dei adhùc disiunctiuum, vt colligitur ex num. 9. At quia ipsa necessitas indeterminata existentiæ, & non existentiæ Petri, v.g. consistit in ipsa entitate necessaria Dei, quatenùs necessitas est, vt non simùl ab ipso Deo concedatur, & negetur existentia Petro, ideò, licèt extrema indeterminatè necessaria non terminent appetitum innatum Dei; benè tamèn ipsa necessitas indeterminata, quippe talem appetitum terminat entitas necessaria Dei, vt patet ex dictis.

30 Restat tamèn scrupulus amouendus, vt hæc doctrina valdè necessaria de naturâ disiunctiui firmitèr consistat. Sic enim vrgebis. Necessitas identificata cum Deo, vt Petrus existat, vel non existat, aut est præcisè necessitas fundamenti omninò necessarij inferentis verificationem huius disiunctiuæ: *Petrus existit, vel non existit*; aut est necessitas alicuius alterius, nimirùm existentiæ, vel non existentiæ Petri quoad intrinseca horum extremorum? Si dicatur primum: certè talis necessitas nullius erit indeterminata, & disiunctiua necessitas; sed præcisè erit necessitas determinata entitatis diuinæ, in quâ, iuxtà prædicta, consistit huiusmodi fundamentum. Si dicatur secundum: iam hæc extrema: *Existentia Petri. Non existentia Petri* physicè quoad intrinseca sua necessaria erunt disiunctiuè in esse rei; & non solùm extrinsecè, & intentionaliter in esse veritatis, quod cum anterioribus non videtur constare. Confirmatur. Implicatorium est simùl deesse physicè, & intrinsecè existentiam, & non existentiam Petri: ergò necessarium est non deesse simùl physicè, & intrinsecè existentiam, & non existentiam Petri. At non deesse simùl physicè, & intrinsecè existentiam, & non existentiam Petri, est physicè, & intrinsecè alterum ex prædictis extremis

mis adesse : ergò necessarium est alterum ex prædictis extremis adesse physicè, & intrinsecè.

31 Ad argumentum respondeo. Necessitas identificata cum Deo, vt Petrus existat, vel non existat, est necessitas determinata vnius ; & necessitas indeterminata, & disiunctiua aliorum. Est quidèm necessitas determinata sui ipsius, &, quod idem est, fundamenti omnino necessarij inferentis verificationem huius disiunctiuæ : *Petrus existit, vel non existit.* Nàm ea necessitas, & hoc fundamentum sunt prorsùs idem. Deindè prædicta necessitas est necessitas indeterminata, & disiunctiua ipsius *esse* physici, & intrinseci existentiæ Petri comparati cum non existentiâ Petri ; nec non ipsius *esse*, vel quasi *esse* physici, & intrinseci non existentiæ Petri comparati cum existentiâ Petri, vt explicui num. 29. Nequè id opponitur cum dictis, vt constat ex eodem numero. Quanuis enim dixerimus disiunctum hoc : *Petrum existere, vel non existere* non esse simplicitèr, absolutè, ac determinatè necessarium physicè in *esse* rei ; sed intentionalitèr in esse veritatis disiunctiuæ, quatenùs simplicitèr, absolutè, ac determinatè necessarium est fundamentum inferens veritatem huius disiunctiuæ : *Petrus existit, vel non existit* ; non tamèn negauimus ; sed libentèr concessimus, ipsum *esse* physicum, & intrinsecum extremorum, circà quæ versatur ea propositio disiunctiua, esse necessarium, cum hoc addito diminuente *indeterminatè, ac disiunctiuè* : quanuis verum sit, necessitatem illam, per quam ea extrema sunt indeterminatè necessaria, non consistere in ipso *esse* physico, & intrinseco talium extremorum ; sed in entitate necessaria Dei ipsis extremis extrinseca.

32 Quamobrem, sicut quãdo quis animo intendit diuitias, quas non habet, dicuntur diuitiæ quoad suum *esse* existere ; cum hoc tamen addito diminuẽte *in intentione* ; ità eo ipso, quòd Deus sit in se ipso necessitas, vt ipse Deus det, vel neget existentiam Petro, hæc extrema : *Existere Petrum. Non existere Petrum* quoad *esse* ipsorum necessaria sunt ; sed cum hoc addito diminuente, *indeterminatè, disiunctiuè*: & quemadmodùm ipsa existentia physica, & intrinseca intentionis, quâ diuitias intendis, reddit ipsam intentionem physicè, intrinsecè, & in se ipsâ existentem ; & simùl reddit diuitias existentes intentionalitèr, extrinsecè, & in intentione ; sic entitas necessaria Dei, quæ est necessitas, vt ipse Deus det, vel ne-

neget existentiam Petro, reddit ipsum Deum, & hanc ipsam necessitatem absolutè, simpliciter, ac determinatè necessariã; & simùl reddit ipsum *esse* horum extremorum: *Existentia Petri. Non existentia Petri*, necessarium; cum hoc tamèn addito diminuente, *indeterminatè, ac disiunctiuè.*

33 Ad confirmationem, fateor, implicatorium esse, simùl deesse physicè, & intrinsecè existentiam, & non existentiam Petri, & consequentèr necessarium omnino esse, non deesse simùl physicè, & intrinsecè existentiam, & non existentiam Petri. Deindè distinguo minorẽ subiunctã. Nõ deesse simùl physicè, & intrinsecè existẽtiã, & nõ existẽtiã Petri est physicè, & intrinsecè alterum ex prædictis extremis adesse quoad sufficiẽtiam, vt hæc disiunctiua euadat determinatè vera, *Petrus existit, vel non existit*, concedo minorem. Est præcisè, alterum ex prædictis extremis adesse, existentiâ consistente in *esse* intrinseco Petri, vel consistente in *esse* intrinseco non existentiæ Petri, nego minorem. Vnde distinguendum est consequens, concedendo, necessariũ esse disiunctiuè, & indeterminatè, non deesse simùl physicè, & intrinsecè existentiam; & non existentiam Petri; non autèm determinatè: *Non deesse*, in quam, *simul &c.* consistens in *esse* intrinseco existentiæ Petri; item consistens in *esse* intrinseco non existentiæ Petri. Nàm non deesse simùl ea extrema physicè, & intrinsecè consistens in sufficientia, vt euadat vera hæc disiunctiua: *Petrus existit, vel non existit*, est necessarium absolutè, simpliciter, ac determinatè. Cuius rei explicatione tota doctrina tradita comprehendetur plenissimè.

34 Non deesse simùl physicè, & intrinsecè existentiam, & non existentiam Petri triplicitèr dari potest. *Primò*, datâ existentiâ intrinsecâ Petri. Nàm hanc dari est ipsam non deesse, ac proindè non deesse simùl ipsam, & non existentiam Petri. *Secundò*, datâ non existentiâ Petri. Nàm hanc dari est ipsam non deesse, atque adeò non deesse simùl ipsam, & existentiam Petri. Hæc duo constitutiua huius, quod est: *Non deesse simùl &c.* necessaria sunt indeterminatè, & disiunctiuè præcisè. Nàm hoc duntaxat modo necessaria est existentia Petri; & similitèr non existentia ipsius. *Tertiò*, dari potest non deesse simùl physicè, & intrinsecè existentiam, & non existentiam Petri, datâ ex parte Dei necessitate, vt tribuat, vel deneget existentiam Petro: & hæc necessitas est non deesse si-

nùl physicè, & intrinsecè existentiam, & non existentiam Petri. Itèm est sufficientia ad hoc, vt euadat determinatè vera hæc disiunctiua: *Petrus existit, vel non existit.* Demùm est absolutè, simplicitèr, ac determinatè necessaria. Ratio prioris est. Quia non deesse simùl ea extrema est impedimentum essentialitèr, & ineuitabilitèr impediens simùl deesse. Patet autèm essentialitèr, & ineuitabilitèr impedire simultaneum defectum talium extremorum omnimodam necessitatem, vt non deficiant simùl. Deindè hæc necessitas propter eandem rationem est sufficiens determinatiuum ad hoc, vt euadat determinatè vera illa disiunctiua: *Petrus existit, vel non existit.* Nam id, quo impeditur hoc: *Petrus simùl existit, & non existit* determinata est veritas huius: *Petrus existit, vel non existit.* Diximus autèm illud primum impediri per prædictam necessitatem. Tandem, cum hæc necessitas consistat in prædicatis simplicitèr, absolutè, ac determinatè necessarijs Dei, patet esse simpliciter, absolutè, ac determinatè necessariam. Vndè hoc modo necessarium est quoddam *non deesse simùl physicè, & intrinsecè existentiam, & non existentiam Petri.* Placuit hæc circà naturam disiunctiui fuso calamo tradere. Tùm quia hæc doctrina valde vtilis est, vt plura expediantur, quæ primo aspectu satis apparent impedita. Tum, quia eâdem doctrinâ, iam olim à me traditâ breuiori calamo in disputationibus de prædestinatione, & auxilijs, video plures se implicuisse non satis intimè illam perspicientes.

35 Obijcies sextò contrà id, quod suppositimus num. 8. nempè in Deo non esse appetitum innatum determinatum circà creaturas. Nàm oppositum dicendum videtur. *Primò.* Quia, vt communitèr loquuntur Theologi cum D. Dionisio cap. 4. de diuin. nomin. & cum alijs PP. agentibus de Incarnatione Verbi, Deus, quia infinitè bonus, est summè communicatiuus sui. Deindè, quia infinitè misericors, est summè pronus ad miserendum: ergò summam habet propensionem, & inclinationem ad actiones externas, quibus se communicet creaturis, earumque miseriam subleuet. Talis autèm inclinatio est appetitus innatus ad creaturas. *Secundò.* Deus appetit innatè perfectissimo modo suam omnipotentiam, iustitiam, & misericordiam. At nequit innatè appetere perfectissimo modo huiusmodi attributa, quin talis appetitus sese extèndat ad eorum attributorũ terminos, nèpè ad crea-

creaturas, quibus omnipotētia, iustitia, & misericordia diuina exercētur, & ostēdatur: ergò est in Deo appetitus innatus circà creaturas. Minor probatur à simili. Nā eo ipso quod per cognitionem diuinam perfectissimè intelligantur ea attributa, talis cognitio se extendit ad creaturas, quæ sunt termini eorum attributorum: ergò eo ipso, quòd eadem attributa perfectissimè appetantur per appetitum Dei innatum, huiusmodi appetitus se extendet ad creaturas, ad quas terminātur ea attributa. *Tertiò.* Fœcunditas actiua bonorum effectuum dirigitur, & tendit, tā quam in exercitium sibi valdè congruum, ad productionem eorum effectuum. At omnipotentia Dei est talis fœcunditas: ergò dirigitur, & tendit ad productionem creaturarū, tanquàm in exercitium sibi valdè congruum. Quid autē aliud est hæc directio, & tendentia quàm appetitus innatus Dei ad creaturas?

36 Ad primum respondeo. Potest dupliciter accipi, Deum habere summam propensionē, & inclinationem ad actiones externas, quibus se communicet creaturis, earumque miseriam subleuet. *Primò*, quatenùs cognitâ bonitate, quæ in eis actionibus splendet, complacet in ipsis, vt sic bonis, per complacentiam infinitam, quæ, omni imperfectione seclusâ, Deum alliciat ad tales actiones. *Secundò*, quatenùs præscindendo ab eâ cognitione, Deus intelligatur tendens ad eas actiones, tāquam in bonum reale, sine quo Deus non possit connaturaliter existere. Hic secundus appetitus esset innatus circà bonum reale præscindendo à ductu cognitionis. At propter rationes allatas negamus eiusmodi appetitum competere Deo circà creaturas. Prior appetitus est elicitus, vel quasi elicitus ex directione cognitionis, per quam obiectum apparet bonum: & hunc affectū libenter concedimus Deo, de quo dicemus infrà, vbi de amore diuino circà possibilia.

37 Secundum argumentum nimis probat, nempè innatum appetitum Dei circà suas perfectiones necessarias, se etiam extendere ad peccatum formaliter, vt peccatum: hoc enim est terminus diuinæ perfectionis quatenùs permissiuæ malorum; sicut aliæ creaturæ sunt termini diuinæ perfectionis quatenùs effectiuæ bonorum. Deinde respondeo, negatâ minore. Ad probationem dicatur. Quanuis non stet cum summa perfectione diuinæ cognitionis attingentis attributa Dei respectiua ad creaturas non se extendere ad intellectionem illarum: benè tamen stat cum summa perfectione diuini appetitus innati tendentis circà

circà eadem attributa nō se extendere ad appetendas innatè creaturas. Ratio discriminis manifesta est. Quia non est summè perfecta cognitio omnipotentiæ, v.g. nisi quæ omnipotentiā penetrat, quātum citrà omnem imperfectionē cognoscibilis est: cùm igitùr citrà omnem imperfectionē cognoscibilis sit à Deo omnipotentia per cognitionem exactissimè penetratiuam, quarum creaturarum sit factiua, idquè nequeat exactissimè penetrari ignotis creaturis, patet, diuinam cognitionem exactissimè, & perfectissimè penetrantem omnipotentiam, non posse non se extendere ad creaturas. At appetitus innatus diuinus, quo Deus suam omnipotētiam, v.g. prosequitur, benè potest nō se extendere ad appetendas innatè creaturas, quantumcumque talis appetitus perfectissimus sit, imò quia perfectissimus est. Cuius ratio est. Quia ad perfectionem appetitus innati diuini pertinet, vt præcisè contineat se intrà illa obiecta realitèr bona, sine quibus nequit connaturaliter existere. Cùm igitùr huius generis sint perfectiones necessariæ Dei; non verò creaturæ, appetitus huiusmodi vt perfectissimus sit, oportet sistat in diuinis perfectionibus; & non vltrà porrigatur ad creaturas.

38 Ad tertium respondeo. Fœcunditas actiua bonorum effectuum respicit productionem ipsorum, tanquam exercitium ipsi potentiæ congruum; vel cōgruentiâ vtilitatis in eo cōsistētis, quòd ea potentia nequeat existere connaturaliter sine tali exercitio; vel congruentiâ dignitatis, per quam tale exercitiū dignum sit, vt per illud ea fœcunditas exerceatur potens alioquin connaturalissimè sine tali exercitio existere. Negamus ergò diuinam omnipotentiam respicere productionem creaturarum, tanquam exercitium ipsi omnipotentiæ congruum congruentiâ vtilitatis, ratione cuius nequeat connaturaliter existere sinè tali exercitio; benè tamèn congruentiâ dignitatis, ratione cuius non dedecet Deum producere creaturas. Modus respiciendi creaturas, quem negamus, necessarius erat ad appetitum innatum circà creaturas, ad quem non sufficit modus respiciendi, quem concedimus.

DISPVT. III.

De identitate, ac distinctione diuinæ voluntatis ab essentia Dei.

NOmine *voluntatis* non intelligimus in præsenti disput. exercitium actuale volendi; sed capa-

capacitatem Dei, vt velit, præscindendo ab eo, quod ea capacitas sit, vel non sit omnibus modis identificata intrinsecè ex parte obiecti cum ipsa volitione actuali, de quo agemus in disput. seq.

CAP. I.

Controuersiæ status, & placita Theologorum.

1 ESsentia Dei est prædicatum diuinum, quod triplicem cõditionem subeat. *Prima* conditio est conuenire per identitatem omni rei, quæ Deus est. *Secunda* conditio est repugnare quoad identitatem omni rei, quæ Deus non est. *Tertia* cõditio est esse primarium prædicatum Dei modo explicando cap. 4. Quæstio ergò est, quomodo ab hoc prædicato Dei distinguatur, vel non distinguatur diuina voluntas. Non est dubium de distinctione reali simpliciter, & absolutè dicta: quippè catholicis omnibus certissimum esse debet, inter Dei essentiam, & volũtatem minimè talem distinctionẽ dari. Nam, teste P. Vazquez 1. p. disp. 120. c. 2. Concilium Rhemense sic definit. *In nullo sensu Catholica negari potest quin diuinitas sit relatio, & relatio diuinitas.* Cùm igitùr inter diuinam essentiam, & relationes longè difficilior sit, quã inter Dei essentiam, diuinamque voluntatem realis identitas excludens distinctionem realem simpliciter dictam, certè vbi hæc distinctio excluditur inter priora extrema, secludenda erit à fortiori inter posteriora.

¶ Iàm verò, semèl exclusa distinctione formali ex natura rei, quæ non conueniat omninò cũ distinctione virtuali intrinseca, cuius meminimus tract. de Sciẽtia, disp. 2. num. 8. vt excludendam esse constabit tract. de Essentia, & attributis: deindèque statutis, vt certis, quæ eodem tract. & disp. cit. de Scientia posuimus à num. 52. duo supersunt examinanda. *Primùm* est, an voluntas, & essentia Dei ità distinguantur intrinsecè, & ex parte obiecti, vt in se ipsis admittere possint prædicata contradicentia: quemadmodùm essentia diuina admittit hoc prædicatum: *Communicatur filio*; diuinaque paternitas admittit hoc: *Non communicatur filio. Secundum* est, an voluntas, & essentia Dei distinguantur, saltèm ratione nostra.

2 In hac re. Prima sententia est, ea extrema distingui formaliter ex natura rei. Ita communiter Scotistæ. At propter nupèr indicata nihil agimus nunc de hac sententia, nisi prorsùs conueniat cum secunda, quæ prædicta extrema distinguit virtualiter intrinsecè ex parte obiecti,

Ita

Ità communitèr Thomistæ, qui non solùm sic distinguunt ab essentia Dei voluntatem diuinam sumptam pro actuali exercitio volēdi; sed etiàm sumptam quasi in actu primo pro capacitate proxima ad volitionem, quod clariùs exprimunt Iuniores. Pro qua sententia citantur P. Herice disp. 12. cap. 2. P. Alarcon tract. 3. disp. 1. cap. 6. & alij ex nostris. Sed immeritò. Nam P. Herice diuinam volūtatem accipit pro exercitio actuali volendi, & hoc solùm exercitium; non verò capacitatem ad volendum distinguit virtualitèr intrinsecè ex parte obiecti ab essentiâ Dei. P. Alarcon, & alij ex nostris, qui diuinam volūtatem, etiàm sumptam pro capacitate proxima volendi, excludunt ab essentiâ metaphysica Dei, loquuntur de sola distinctione rationis cum aliquo fundamento ex parte obiecti; non tamèn ità, vt tale fundamētum sit capacitas intrinseca talibus extremis, vt independentèr ab intellectus operatione suscipiant in se ipsis prædicata contradictoria.

3 Tertia sententia distinguit ratione nostra, id est, extrinsecè ex modo nostro concipiendi diuinam volūtatem, etiàm sumptam pro capacitate proxima volendi, ab essentia Dei. Sic Doctor eximius Suarius disput. 30. met. sect. 16. n. 13. & 14. Licèt non omnino expressè: quippè agit de actuali exercitio volendi comparato cum diuina essentia. Item lib. 11. de Trinitate, cap. 5. num. 17. & 18. Pro eadem sententia stat P. Arriaga, quatenùs 1. p. disput. 24. sect. 2 non distinguit volūtatem diuinam sumptam pro capacitate proxima ad volendum ab intellectione diuina; & hanc intellectionem distinguit ratione nostrâ ab essentia Dei disp. 16. sect. 4. P. Hemelm. tom. 1. tit. 4. disp. 1. & 2. P. Ripalda in m. l. de Voluntate Dei, disp. 4. sect. 7. apùd quem Alexand. 1. p quæst. 34. memb. 1. P. Arrub. 1. p. disput. 49. cap. 4. P. Coninch. 2. 2 disp. 2. num 31. P. Alarc. sup. num. 4. apùd quem P. Mol. P. Vazquez, & P. Torr. P. Ribas disp. 1. de Voluntate cap. 3. num. 15. Tannerus disp. 2. de Deo, quæst. 1. dub. 5. num. 6. Frāciscus de Lugo lib. 1. de Deo vno, disp. 16. cap. 7. quatenùs gradum intellectualitatis excludunt formaliter ex modo nostro cōcipiendi ab essentia Dei; cùm tamèn aliundè certum sit, Deum nō intelligi proximè volitiuum, donèc intelligatur vt intellectualis. Quare pro hac sententia stant omnes, qui nolunt intellectualitatem includi formalitèr in essentiâ Dei.

4 Vbi notandum est. Tametsi plures AA. citati num. 3. agant de voluntate diuina accepta pro actuali exercitio volendi, non factâ expressâ mentione

tione illius acceptæ pro capacitate proximâ volẽdi, iure tamẽ ad præsens institutum adducuntur, quia, vel non agnoscunt in Deo capacitatem aliam volendi, quàm volitionem substantialem per se subsistentem, quam ab essentia Dei formalitèr distinguunt, vel, si aliam capacitatem volendi agnoscunt, nolunt illam sub eo conceptu formali includi in essentiâ diuina; sed tantùm intrinsecè ex parte obiecti.

¶ Quarta denique sententia nõ distinguit, adhùc ratione nostra, capacitatem volendi diuinam; imò neque actualem volitionẽ ab essentia Dei. Sic Mag. Albiz disp. 2. de Scientia, sect. 6 à num. 7. cui nonnihil fauere videntur S. Thom. Zumel. P. Suarez, P. Becanus, quos ipse citat. Suffragantur expressè P. Zuñiga de Trinitate, disp. 2. dub. 20. mẽb. 8. & ingeniosi Recentiores ex nostris, qui tamètsi concedant cum Mag. Albiz, Deum, vt intelligentem, præcedere prioritate intelligentiæ nostræ ad se ipsum, vt volentem; hoc tamèn nõ obstante, tuentur diuinam voluntatem, & actualem volitionem includi formalitèr ex modo nostro concipiendi in essentiâ metaphysica Dei.

CAP. II.

Diuina voluntas accepta pro capacitate proxima volendi non distinguitur ab essentia Dei distinctione virtuali intrinseca.

5 PRobatur. Nullæ formalitates Dei sortiuntur distinctionem virtualem intrinsecam, nisi prędicata, quæ ipsis cõueniunt, cohærere non possint absque tali distinctione. At omnia prędicata, quæ prædictis formalitatibus conueniunt, cohærere possunt absque tali distinctione: ergò prædictæ formalitates non sortiuntur eam distinctionem. Consequentia patet, ac maior est certa. Tùm, quia, cùm Deus sit summe simplex, nullus identitatis gradus excludendus est à formalitatibus diuinis, nisi qui non constet cum prædicatis, & perfectionibus conuenientibus eis formalitatibus. At aliquis identitatis gradus est ille, qui etiã distinctionem virtualem intrinsecam excludit: talis enim gradus est tàm omnimoda extremorum in prædicatis concordia, vt idem, quod vni ipsorum conuenit, & quomodocunque conueniat, alteri quoque conueniat: ergò talis identitatis gradus distinctionem virtualem intrinsecam excludens ponendus est in formalitatibus diuinis, vbi a liud

ſiud non requiratur titulo prædicatorum, & perfectionum, quæ talibus formalitatibus conueniunt. Tùm, quia vnum extremum tali, vel tali modo ſe habere, & aliud non ſic; ſed oppoſito modo ſe habere, (quod ad diſtinctionem virtualem intrinſecam requiritur) tàm difficultèr ratio naturalis componit cum eo, quòd talia extrema non ſint *aliud, & aliud*; ſed vnum quid indiuiſibile, vt imprudentèr ea diſtinctio intèr formalitates realitèr identificatas intrudatur, niſi ex irrefragabilibus principijs conſtet, & eas formalitates eſſe vnumquid omninò ſimplex; & tamèn ea prædicata, perfectioneſque ſuſcipere, quæ citrà talem diſtinctionem componi nõ poſſunt. Quocircà prudẽs Theologia mihi videtur expoſcere, vt à formalitatibus diuinis diſtinctionem virtualem, de qua loquimur, excludamus, vbi neque fides diuina captiuitatem intellectus noſtri poſtulat; neque clariſsima rationis euidentia, vt oppoſitũ ſentiamus, prorſùs cogit.

6 Probatur minor primi ſyllogiſmi, nempè cuncta prædicata, quæ prædictis formalitatibus conueniunt, cohærere poſſe ſine tali diſtinctione. Si Deus intrinſece, & ex parte rei loquendo, eadem formalitate Deitatis, quà conſtituitur in ratione Dei, conſtituatur in ratione capacis, vt velit; & rurſùs eadem formalitate voluntatis, qua conſtituitur in ratione capacis, vt velit; cõſtituatur in ratione Dei, certè tales formalitates, ita erunt virtualitèr intrinſecè indiſtinctæ, vt ſummè conueniant in omnibus prædicatis, quæ ſortiantur. At nihil prohibet ſic ſe habere prædictas formalitates intrinſecè ex parte rei: ergo nihil prohibet, ita virtualitèr intrinſece identificari, vt ſummè conueniant in omnibus prædicatis, quæ ſortiantur. Maior conſtat. Minor probatur. Nàm, quod prohibere poſſet, quominùs prædictæ formalitates ſic ſe haberent, id vnum eſt, nempè diuinam capacitatem ad volendum conſtituere Deum *ratione noſtra*, vt volitiuum; non verò, vt Deũ; Deitatem autèm conſtituere Deum *ratione noſtra*, vt Deum; non verò, vt volitiuum. Ad hoc reducitur quidquid putant aduerſarij obſtare virtuali prædictarum formalitatum identitati, vt poſteà conſtabit. At hoc non prohibet virtualem identitatem prædictarum formalitatum: ergo nihil.

7 Hæc vltima minor probatur duplici exemplo manifeſto, rationeque à priori. Primum exemplum ſit. Eſſentia diuina per eandem formalitatem indiuiſam, adhùc virtualitèr, conſtituit Deum in ratione Dei, & in ratione illatiui per bonam conſequentiam intellectualitatis,

vo-

voluntatis, omnipotentiæ, cunctarumque perfectionum diuinarum. At essentia diuina *ratione nostra* sumpta sub conceptu Deitatis constituit ratione nostra Deum in ratione Dei; non verò constituit ratione nostra Deum in ratione illatiui prædictarum perfectionum; contrà verò essentia diuina sub conceptu prædicati illatiui per bonam consequentiam prædictarū perfectionum: ergo benè stat prædicata diuina, quæ intrinsecè sunt omnino indiuisa, adhùc virtualitèr, si sumantur in statu nostri modi concipiendi, constituere Deum aliter, & aliter. Maior, præter quàm quod aduersariorum est, patet. Nam essentia diuina non potest non esse prædicatum illatiuum omniū perfectionum Dei: ergo infert per bonam consequentiam id ipsum, quod est esse prædicatum illatiuum omnium perfectionū Dei. Iunc sic. Vel per se ipsam, adhùc virtualitèr, est illatiua talis prædicati, vel per aliud prædicatum virtualitèr intrinsecè distinctum ab ipsa? Si hoc vltimum, abibimus in infinitum absurdè ponentes in Deo infinita prædicata virtualitèr intrinsecè distincta quodam ordine sibi subordinata. Si primum, eodem iure, quo ponis essentiam Dei se ipsa immediatè illatiuā eius prædicati, ponenda erit se ipsa immediatè illatiua volūtatis, intellectus, & aliarū perfectionū.

8 Probatur ergo minor. Nā Deitas formaliter ratione nostra præcisè dicit id, quod exprimitur sub conceptu definitiuo Deitatis correspondente huic termino *Deitas*: sub eo autèm cōceptu præcisè exprimitur Deitatem esse id, quo res cum quā est idem est *à se infinitè simpliciter perfecta* (Ponamus in hoc essentialiter consittere Deitatem) sub quo conceptu non exprimitur Deitas in ordine ad nostros discursus, vt legitimè interentes ex Deitate, perfectionem intellectualitatis, voluntatis, & reliquas omnes. Deinde formalitas *prædicati illatiui per bonam consequentiam istarum omnium perfectionum* dicit præcisè ratione nostra id quod exprimitur sub conceptu definitiuo prædicati illatiui &c. correlpondente his terminis: *Prædicatū illatiuū, &c.* sub quo conceptu præcise exprimitur, esse id cuius titulo bona est ratiocinatio inferēs cā rem, quæ identificatur cum tali formalitate, habere intellectualitatem, & omnes perfectiones, vbi non exprimitur, an talis res habeat illas à se ipsa, & an, vt omnes habeat, requiratur, vel non requiratur esse ens habens illas à se ipso necessario; an secùs: ergo prima formalitas constituit Deū in ratione entis à se ipso infinite simplicitèr perfecti, id est Dei; non autem in ratione illatiui logicè

gicè cunctarum perfectionum; secunda autèm in ratione illatiui logice cunctarum perfectionum; non verò entis à seipso præditi cunctis perfectionibus.

9 Secundum exemplum sit. *Deus est omnis formalitas dicens perfectionem sine imperfectione.* Item. *Deus est intellectus, voluntas, omnipotentia, æternitas, & c. sumendo distinctè reliquas formalitates Dei.* Tùnc sic. Prædicta Dei prædicata sunt idem omninò, etiàm virtualiter intrinsecè ex parte obiecti. Quis dubiret? Nàm vtrumque prædicatum intrinsecè ex parte obiecti directè significati nihil est aliud, quàm omnis formalitas Dei, neque plùs, neque minùs. At huiusmodi prædicata sub assignatis terminis distinguuntur ratione nostrâ, diuersimodèque Deum ratione nostrâ constituunt: ergò rectè componitur, prædicata Dei virtualitèr intrinsecè eadē distingui sub diuersis terminis mentalibus ratione nostrâ, diuersimodèque Deum ratione nostrâ constituere. Minor quoad priorem partem probatur. Nàm Deus sub conceptu mentali *omnis formalitatis dicentis perfectionem sine imperfectione*, non aperitur expressè, vt æternus, iustus, immensus, &c. vt aperitur sub conceptu mentali expressè, ac distinctè designante æternitatē, iustitiam, immensitatem, &c. Ideòque Deus, vt apparens sub priori conceptu, poterit negari vt habens iustitiam strictam (ponamus illam habere) quia per errorem existimatur non dicere perfectionem sine imperfectione. Contrà verò Deus, vt apparens sub conceptu æterni, iusti strictè &c. negari non potest habere iustitiam strictam. Vndè, vt apparens sub priori conceptu dissimilibus terminis definietur, ac prout apparens sub posteriori conceptu: nempè vno modo sub terminis expressè definitiuis; & alio modo sub terminis non expressè definitiuis æternitatis, iustitiæ, immensitatis, & aliarum perfectionum Dei singillatim acceptarum. In hoc autèm stat distinctio rationis, vt sæpè diximus.

10 Hinc patet posterior pars minoris, nempè dicta prædicata diuersimodè Deum ratione nostra cōstituere sub assignatis terminis mentalibus. Nàm Deus sub conceptu æterni, iusti, immensi, &c est ratione nostra cōstitutus in ratione æterni, iusti, & immensi, vt patet. At non est constitutus ratione nostra in his rationibus sub conceptu omnis formalitatis dicentis perfectionem sine imperfectione. Nàm sub eo conceptu non aperitur Deus, vt æternus, iustus, & immensus; sed potiùs manet negabilis sub eis rationibus, necnon definibilis, non definitis expressè talibus rationibus: ergo dicta præ-

prædicata diuersimodè Deum ratione nostrâ constituunt sub assignatis terminis mentalibus. ¶ Confirmatur. Demus hominem scire, Deum esse præditum omni formalitate dicente perfectionem sinè imperfectione; nescire tamèn distinctè, quænam singillatim sint perfectiones istæ, quæ non dicunt imperfectionē. Modò sic. Hæc notitia humana: *In Deo est omnis formalitas dicens perfectionem sine imperfectione* potest exactè penetrari, non expresso Deo, vt æterno, iusto, immenso, &c. sed, solum expresso Deo, vt habente omnem formalitatem, quæcunque ipsa sit, dicentem perfectionem sine imperfectione. Non enim amplius petit ad sui exactam penetrationem ille cōfusus ordo talis notitiæ ad Deum: ergò dissimilis est in modo exprimendi Deum expressio, quà exprimitur, vt cū omni formalitate dicente perfectionem sine imperfectione; & quâ exprimitur, vt cum æternitate, iustitia, & immensitate. At istæ dissimiles expressiones sufficiunt, vt sub illis ipsarum obiecta ratione nostra distinguantur, & similitèr ratione nostrâ diuersimodè constituant Deum, vt ex dictis cōstat: ergò sic distinguuntur, & constituunt. Mitto plura, quæ sumi possunt ex dictis in Logicâ de præcisionibus obiectiuis, & ex dicendis cap. 5.

11 Ratio à priori est. Nàm capacitatem Dei ad volendum constituere *ratione nostra* Deum, *vt* volitiuum; nō verò, *vt* Deū: Deitatem autèm constituere ratione nostrâ Deum, *vt* Deū non est aliud, quàm expressiones istas mentales * Capacitas Dei ad volendum * Deitas * esse dissimiles in modo explicandi obiectum. At cum hac dissimilitudine in modo explicandi obiectum benè stat obiectum vtriusque expressionis omninò identificari intrinsecè ex parte rei, etiā virtualitèr, vt patet in Deo ex vna parte sic expresso: *Omnis formalitas diuina*; & ex alia parte sic explicato: *Aseitas, omnipotentia, æternitas, immensitas, &c.* ergò capacitatem Dei ad volendū, vt sic ratione nostra acceptam, cōstituere Deum, *quoad nos*, vt volitiuum; & non, vt Deum; Deitatem autèm, vt sic ratione nostra sumptam, constituere, *quoad nos*, Deū, vt Deū; nō verò vt volitiuum non arguit ea obiecta ex parte rei distingui virtualitèr intrinsecè.

CAP. III.

Argumenta aduersariorum.

12 SVnt tamèn recentiores Thomistæ, qui nobis cōtradicant his argumentis. *Primò*. Capaciras Dei ad volendū constituit Deum ratione nostra, vt

volitiuum; non vt Deũ. Deitas autẽ constituit Deũ ratione nostra, vt Deum, non vt volitiuum. At constituere Deũ ratione nostra, vt Deum; & non constituere Deum ratione nostra, vt Deum, sunt prædicata contradictoria, pariterque sunt prædicata contradictoria constituere Deũ ratione nostra, vt volitiuum; & nõ constituere Deum ratione nostra, vt volitiuum: ergò prædicata contradictoria conueniunt prædictis formalitatibus, quæ proindè distinguentur virtualiter intrinsecè. Simili argumento respondi tractat. de Scientia Dei, disp. 2. n. 63. ex quo loco, & ex nuper dictis instantiæ suppetunt. Respondeo breuiter. Totũ hoc obiectum: *Capacitas Dei ad volendum, & Deitas* constituit Deũ ratione nostra, nõ vt Deũ; sed vt volitiuum sub vna expressione mẽtali, nempè sub expressione, quæ indicatur his terminis: *Capacitas Dei ad volendũ*. Itẽ, totum idem obiectum constituit Deum ratione nostra, nõ vt volitiuũ; sed, vt Deum, sub alia expresione mentali, nempè, sub illa, quæ indicatur hoc termino *Deitas*: cùm autèm non sint prędicata contradictoria respectu formalitatũ diuinarũ, idem obiectum diuinum aliter cõstituere Deum ratione nostra sub vna expresione; & aliter constituere Deum ratione nostra sub alia expresione, patet argumentũ non probare distinctionẽ virtualem intrinsecã in obiectis diuinis; sed distinctionem realem simpliciter expresionum mentalium creatarum.

13 Obijciunt secũdò. Essentia diuina, voluntasque Dei distinguuntur formaliter ratione nostra, cũ aliquali saltẽ fũdamẽto, intrinsece ex parte ipsarũ: ergò in se ipsis distinguũtur virtualiter intrinsecè. Antecedens patet. Nã fundamentum ad prædictam distinctionem rationis est, quod illi fabricãdæ præbet occasionẽ, eamque præbet partim ea extrema esse illa ipsa, quæ sunt, & partim nostrum intellectum propter suã imperfectionẽ posse iàm vno modo; iàm alio diuerso exprimere talia extrema. Cõsequentia probatur. Nam distinctio virtualis intrinseca formalitatũ consistit in intrinseca aptitudine, virtuteque ipsarũ, vt formaliter ratione nostra distinguãtur: cũ igitur ea extrema in se ipsis intrinsecè fundamentum habeant, id est, aptitudinẽ, ac virtutẽ, vt formaliter ratione nostra distinguantur, distinguẽtur in se ipsis virtualiter intrinsecè.

¶ Resp. Hoc argumentũ deflectit aliorsùm disputationẽ. Cõcesso antecedenti, distinguo cõsequens. Distinguuntur virtualiter intrinsecè in acceptione nostrę disputationis, nego cõsequẽtiã; in alia acceptione transeat. Itaquè nõ negamus, eas formalitates

litates virtualitèr intrinsecè distingui distinctione (vt vt illa sit) aptitudinis intrinsecæ, vt in mente nostra diuersimodè exprimatur. Negamus tamē virtualitèr intrinsecè distingui distinctione capacitatis, vt aliquid de ipsarū altera verificetur, & nō illud; sed oppositum verificetur de altera.

14 Obijciunt tertiò. Volūtas diuina stat in facultate proximè volitiua; natura autē Dei in principio radicali volitionis. Hæc autèm extrema distingui virtualitèr, probatur *Primò*. Quia volitio actualis distinguitur virtualitèr à natura, vt probatū supponūr: ergo etiàm distinguitur virtualitèr à naturâ facultas proximè volitiua: nā hęc facultas cum actu potius, quàm cū radice debet identificari. Si igitùr nō idētificatur virtualitèr cum actu: ergò neque cum radice. *Secundò*. Quia in creatis non minùs proxima facultas distinguitur à radice, quā operatio: ergò sicùt in diuinis illimitatio non obstat distinctioni virtuali operationis à radice; neq; oberit ei distinctioni proximæ facultatis. *Tertiò*. Omnipotentia, quæ est facultas proximè productiua, distinguitur virtualitèr à natura diuina radice producēdi: ergò facultas proximè volitiua à natura diuina radice volendi.

15 Hoc argumentum multis peccat. *Primò*. Quia supponit naturam diuinam esse radicē physicā volitionis actualis; voluntatē autē esse principium formale immediatū physicū eius volitionis; cùm tamē, vt constat ex dictis in simili disp. 2. de Scientia Dei, & inferiùs attingendis, natura diuina, volūtasq; diuina stēt præcisè in potētia logica subst̄ātiali, id est, in nō repugnātia substantiali Dei, vt ipse velit. *Secundò*: constabit ex disp. seq. volitionem actualem Dei non distingui virtualitèr intrinsecè à natura diuina, vnde à fortiori nō erit, cur ea distinctio à natura conueniat omnipotentiæ necessariæ Dei. Quare, cū tota vis probationū nitatur in hac distinctione volitionis, & omnipotētiæ à natura Dei, fundamento nituntur infirmo. *Tertiò*: demus gratis, tū diuinam naturam, sub hoc conceptu, esse principium radicale physicū volitionis; voluntatē autē principiū physicū formale proximū; tùm etiā volitionē actualē distingui virtualitèr à natura Dei: adhùc ad primā probationē, concesso antecedenti, negetur consequētia. Ad probationem dicatur, facultatē proximā volendi, nō oportere, vt potiùs cū actu, quàm cum principio radicali identificetur virtualitèr; sed potiùs contrà. Nam, vt patet ex hac disp. partim, & plenè patebit ex seqq. longè apparentiùs probatur potentiā radicalē, & potentiā proximā volendi distingui virtualitèr à volitione, quàm eas potentias

tias distingui virtualitèr intèr se.

16 Ad secundam probationē, admissa sentētiâ, quæ in antecedente supponitur, cuius opposita satis cōmunis est extrà scholā Thomisticā, negatur consequētia. Ratio est, quia illimitatio Dei, summaq; simplicitas ipsius obest omni prædicatorū diuinorum discordiæ, susceptionique rationum contradicentium, nisi perfectiones, quæ talibus prædicatis diuinis conueniunt, cohærere non possint absq; talium rationum contradicētium susceptione, in quâ stat virtualis distinctio. Cū igitù, tamètsi demus, propter apparētissimas probationes, de quibus disp. 4. & 5. non cohærere perfectiones conuenientes principio volendi, & actuali volitioni absque distinctione virtuali talium formalitatum, non idcirco simile cogamur asserere de formalitatibus principij radicalis, & proximi, planè fit, ibi adstructa distinctione virtuali, non esse necessario consequens, eam hîc adstruere. ¶ Ad tertiā probationē, negatur antecedēs. Nā, vt suo loco videbimus, nulla potest solidè assignari prædicatorum cōtradicētium susceptio, quæ nos cogat diuinā essentiā, & necessariū omnipotētiæ attributū distinguere virtualitèr intèr se.

17 Obijcitur quartò. Quælibet proprietas naturæ est extrà rationē obiectiuā naturæ. At diuina voluntas est proprietas naturæ diuinæ: ergò est extrà rationē obiectiuā naturæ diuinæ, & cōsequētèr distinguitur virtualiter, intrinsecè, ex parte obiecti, & nō solùm extrinsecè ex parte modi concipiēdi à natura diuina. Cōsecutiones legitimæ sunt, & maior videtur colpicua, quippè omnes nomine proprietatis alicuius essentiæ percipimus aliquid tali essentiæ conueniens, & ex illa deriuatū: quod autē ab essentia deriuatur, est extrà rationē obiectiuā essētiæ. Minor probatur ex 6. Synodo generali, vbi definitur in Christo D. existentia diuinæ, & humanæ volūtatis, vt naturæ diuinæ, & humanæ naturales suæ proprietates cōueniāt. Vrgetur. Nā, vt cōstabit legenti Conciliū actione 18. in sermone acclamatorio ad Cōstantinū Augustū post mediū, sicùt humana voluntas dicitur proprietas naturæ humanæ; ita diuina diuinæ. At humana voluntas intrinsecè ex parte rei est extrà naturā humanā, & ad hanc cōsequens: ergo diuina voluntas intrinsecè ex parte rei est extrà naturam diuinam, & ad ipsam consequens.

18 Huic argumento respondent optimè docti RR. qui sibi illud opponūt, proprietatē essentiæ posse sumi laxè, & strictè. Laxè est quodlibet necessario conueniens rei. Sic dicimus propriū esse hominis esse rationale, non quia rationalitas sit extrà essentiam hominis; sed quia necessariò

sariò competit homini. Strictè proprietas est, quod necessariò rei conuenit, tanquam positum extra ipsius essentiam, & ab hac deriuatum. Hæc secunda proprietas est necessario extra rationem obiectiuam essentiæ; secùs autèm prior. Iàm verò intētum Concilij solùm est decernere, conuenire Christo D. diuinam, humanamque volūtatem, quia, cum sint in Christo diuina, & humana natura in plenitudine suarum perfectionum, oportet, vt gaudeant omnibus, quæ necessario, saltèm connaturalitèr, ipsis conueniunt. Hoc enim sufficiens est, vt damnentur Monothelitæ, prout Concilium intendebat, quatenùs hæreticè ponebant in Christo vnam solam voluntatem. ¶ Ad confirmationem respondeo, Concilium nō intendere, diuinam voluntatem esse proprietatem diuinæ naturæ; *sicut* humana voluntas est proprietas naturæ humanæ, significatâ per ly *sicut* similitudine adæquata. Nàm alioqui, sicùt humana voluntas, iuxtà arguentes, est proprietas naturæ humanæ realitèr distincta, realitèrque cōsequens ad naturam humanam; paritèr dicendum esset de diuina voluntate cōparata cū natura diuinâ, quod tamen dici nequit. Dicatur ergò volūtatē diuinam esse proprietatē naturæ diuinæ; *sicut* humanam humanæ, significata per *sicut* inadæquata similitudine, nimirùm quia in eo conueniunt vtraque volūtas, vt neutra ex prædictis naturis possit naturalitèr existere absque prædicato suæ voluntatis.

CAP. IIII.

Diuina voluntas accepta pro capacitate proxima volendi distinguitur ratione nostra, id est, extrinsecè ex modo nostro concipiendi ab essentia Dei.

19 HOc nomen *Essentia* nimis dubiæ, ac lubricæ significationis est, vt plures ex nostris Recētioribus explicatiùs obseruant. Itdeque ortum, vbi quæstiones occurrūt, quæ notitiam *essentiæ* desiderant, parùm firmitèr, & incōsiātèr dirimi. Quamobrem, vt quò possimus, firmiùs in hac, & alijs quæstionibus incedamus, præmittendū est primò, quid nomine *essentiæ* intelligatur, significationē conijcientes ex his, quæ cōmunitèr Autores dicunt, & ex ijs, quæ communi conceptioni cōgruentiora sunt, quæ maximè attendi debent in quæstionibus de voce. Cōmunitèr dicitur, essentiā rei esse primariū constitutiuum ipsius. Vbi certum esse debet, non sufficere ad rationem essentiæ, quòd sit vtcunque primarium cōstitutiuū rei. Ratio est. Quia nihil omnibus constantius est, quàm perpetuò rei essentiam esse simpliciter idē cū re, cuius est essentia. At non semper primarium cō-

constitutiuum rei est simpliciter idem cum re, vt patet in compositis substantialibus, præsertim materialibus, vbi primariũ constitutiuum ipsorum, v. g. in equo, & leone, est materia prima, quæ natura præcedit ad formam equi, & leonis: ergò non sufficit ad rationem essentiæ, quòd sit primarium constitutiuum rei; sed vlteriùs requiritur, quòd sit primarium constitutiuum rei simpliciter idem cum ipsa.

20 Sed statim petes, an hoc vltimum non solùm requiratur ad rationem essentiæ; sed etiàm sufficiat? Partem negatiuam cõijcio ex his in quibus omnes videntur conuenire. Nam iuxtà omnes, quos hactenùs audiui, quanuis risibilitas non sit de essentia hominis, vt hominis; benè tamèn de essentia hominis, *vt hominis risibilis*. At licèt risibilitas, sit constitutiuum hominis, vt hominis risibilis; non tamèn primarium constitutiuum huius complexi. *Homo risibilis*. Nàm huius complexi constitutiuum primarium identificatum cum illo est ratio animalis compotis rationis; secundarium autèm risibilitas: ergò licèt ad essentiam rei desideretur; non tamen sufficit esse primarium cõstitutiuũ rei identificatum simpliciter cũ ipsa. Quid igitùr vlteriùs ad essentiæ rationem exigitur? Arbitror op⁹ esse distinctione, vt dicamus, quod probati quique Autores dicere volunt, quanuis non omnes sese satis explicent. Potest accipi res, vel sub aliqua, vel aliquibus tãtũ suis rationibus; vel sub omnibus suis rationibus simùl sumptis. V. g. homo potest accipi sub ratione hominis præcisè; vel sub ratione hominis volitiui, liberi, admiratiui, risibilis, capacis disciplinæ, enumeratis sic omnibus prædicatis ipsius simùl sumptis. Hominem primo modo accipi est sumi sub hoc nomine *homo*, & sub conceptu mentali correspõdente tali nomini. At secundo modo accipi est sumi sub aggregatione omnium illarum vocũ, quas nupèr descripsimus, & sub conceptu mentali correspondẽte tali cumulo vocum.

21 Quemadmodũ ergò res potest capi prædicto duplici modo, potest etiàm essentia rei iuxtà eandem proportionem duplicitèr accipi. Primò pro essentia rei acceptæ sub vnâ, vel aliquib⁹ rationibus suis. Secũdò pro essẽtiâ rei acceptæ sub omnibus suis rationibus simùl sumptis. Dico ergò, essentiam rei primo modo acceptã, nihil aliud esse, quã id, quod per identitatẽ cum re cõstituit ipsam in suo *esse*, tanquam id, quod sub tali, vel talibus rationibus exprimitur *per se primò, directè, & principaliter*, quæ omnia syncathegoremata ferè pro eodẽ vsurpãtur. Similitèr essentia

tia secundomodo accepta, non est aliud, quàm id, quod per identitatem cum re constituit ipsam in suo *esse*, tãquã id, quod sub adequata ratione rei exprimitur *per se primò, directè, & principaliter*.

22 Explicatur. Essentia rationalis sub ratione rationalis est *principiũ ratiocinandi*. Sed quare? Resp. Quia principium ratiocinandi, in primis constituit in suo esse per identitatem cum ipso id, quod vocam *rationale*. Deindè nomine, conceptuque mentali indicato per hanc vocem *rationale* exprimitur directè principium ratiocinationis: licèt enim ipsa etiàm actualis ratiocinatio exprimatur; de obliquo tamèn, & indirectè. Ità eo conceptu exprimitur principaliter ratiocinationis principium; vel principaliter negatiuè, quatenùs eo cõceptu ex modo exprimẽdi nihil principaliùs exprimitur; vel principaliter positiuè, quatenùs, si quid aliud eo cõceptu exprimitur, certè de obliquo, & indirectè; non directè, & in recto significatur. Demùm eo cõceptu *per se primò* exprimitur principium ratiocinationis, vel negatiuè, quia nihil aliud primariè magis, ac directiùs exprimitur; vel positiuè, quia, si rationale sub conceptu rationalis aliter exprimitur, quàm sub hac expressione: *Principium ratiocinationis*, certè non propriè, & formaliter; sed radicaliter, causaliter, secundariò, & ex consequenti, quæ omnia in idem recidunt, scilicèt, quia mens instructa expressione, quà rationale exprimat, vt principium ratiocinationis, inde poterit facilè procedere ad exprimendũ eam rem esse principiũ risus, admirationis, volitionis, capaxq. disciplinæ &c. Similitèr, si inquiras, quænam sit rationalis essentia sub conceptu *rationalis volitiui*, respõdebitur, essentiã esse principiũ ratiocinationis, & volitionis. Et iuxtà hãc proportionem respõdebitur inquirenti essentiã *rationalis, volitiui, risiui, &c.* enumeratis omnibus prædicatis. Id, quod eodem modo, seruata proportione, explicabitur. Hanc esse cõmunem *essentiæ* conceptionẽ, in quã omnes, vel ferè omnes autores oculos intẽdũt, quãuis non omnes, cũ ad explicationẽ venitur, se satis expediãt, cõstabit eorũ scripta legenti, frequenteq, disputationes auscultanti. Itaq; nõ tàm est attẽdẽdũ, quodnã sit absolute prædicatũ primariũ rei; quam quid directe, & per se primo significetur ex vi vocis, & rationis, sub qua petitur: *Quid sit res?*

23 Hinc intelliges primò, cur recte dicatur, carentias nõ habere propriè loquẽdo *essentiã* in opinione illorũ, qui non idẽtificãt ipsas cũ aliquo *esse* positiuo affirmatiuè mõstrabili, quia cùm nihil sint, nulloq; vero *esse* gaudeãt, laborat falsa suppositione, qui

dicit, aliquo per idẽtitatẽ cõstitui in suo *esse*. Secundò intelliges, quare dubia de ijs, in quibus rerũ essentiæ consistũt, lubricæ nimis indaginis sint. Nimirùm, quia, vt plenè tradatur essentia rei sub hac, vel illa ratione acceptæ (quo pacto cõmunitèr rerũ essentias inuestigamus, quia vel raro, vel nũq ã pro hoc statu sub adequatis suis rationibus res cognoscimus) nõ satis est inuenire prædicatũ, quod soli rei ea ratione expressæ conueniat per idẽtitatem; sed vltrà requiritur hinc indè conijcere, quænam prædicata tale nomẽ, & conceptus mentalis, cui nomen illud subest, exprimãt per se primò, directè, & principalitèr. Quoniã ergo sæpè deficiunt argumenta firma, vt significationes nominum adeò pienè, & exactè pateant, ideo lubricum valdè est rerum essentias indagare. Indidem tertio intelliges, cur in eiusmodi quæstionibus maximè standum sit communi conceptioni, frequentiorique Doctorum placito: nempè, quia magnã ex parte de nomine sunt, credibiliusque est, eo modo nomina ad significandum instituta fuisse, quo à pluribus ex Doctoribus vsurpantur.

24. Intelliges quartò, cur quãdo satis deprehendere non possumus, quid de re exprimatur per se primò, directè, & principalitèr sub aliquo cõceptu, v.g. sub cõceptu *corporis*, vel *spiritus*, nõ imprudẽtèr existimemus essentiam eius rei sub eo cõceptu cõsistere in cõplexo prædicatorum illorũ, quæ simùl sumpta sunt talis rei propria per identitatẽ, & aliundè sunt ordine intelligẽtiæ primaria, id est, in hoc ordine notiora *per se*, quam alia reperta in eâdẽ re. Ratio est, quia, nisi aliud cõstet, credibilius est nomẽ rem significans impositũ esse ad aperiendã eã rei notionẽ, quæ per se clarior est, & patentior, quã obscuriorẽ aliã, magisque recõditã: cũ igitùr notio rei per prædicata per se notiora clarior sit, & patentior, per se loquẽdo, quã notio rei per prædicata per se ignotiora, credibilius est, nisi aliud cõstet, nomẽ significans rẽ, significare illã, vt potiùs subest illi notioni per se clariori, quàm alteri per se minùs claræ. Quid verò, iuxtà nostrã hãc, & cõmunẽ expositionẽ, dicẽdũ sit in illã quæstionẽ: An tres personalitates diuinæ tribus gaudeãt essentijs relatiuis? Res est altioris, & subtilioris considerationis, quã à proprio loco diuellere, & in alieno leuitèr attingere nõ expedit. Demũ intelliges, ad quid tota præsens difficultas reuocetur: nẽpè ad hoc vnũ. An esse Dei secũdũ illud, quod per se primo, directè, & principalitèr significatur his terminis: *Diuina voluntas*, distinguatur ex modo nostro cõcipiẽdi ab illo, quod per se primo, directè, & principalitèr significatur hoc termino: *Deitas*? Ad cuius intelligentiã. Præ-

25 Præmittendum est secundo. Hoc termino *Deitas* nihil aliud per se primò, directè, & principaliter significari, quàm ens plenissimum omni perfectione simpliciter simplici. Eam autèm pertectionem vocant Theologi simpliciter simplicem, cuius carentia constituit rem absolutè imperfectam, seu limitatam in perfectione entitatiua. Cuius præmissi satis clara sunt indicia. Primo, quia notio Dei, quæ frequentissimè, tanquam omnium clarior, vsurpatur, est Deum esse id, quò nihil melius excogitari potest. Secundo. Quia iuxtà D. Thom. 1 p. q. 13 art. 11. corpore. Hoc nomen: *Qui est* est maximè proprium nomen Dei. Cuius rationem affert, & approbat ibidem D. Th. ex Damasceno lib. 1. orthod. fid. cap. 12. illis verbis: *Principalius omnibus, quæ de Deo dicuntur, nominibus, est, qui est: totum enim in se ipso comprehendens, habet ipsum esse, velut quoddam pelagus substantiæ infinitum, & indeterminatum.* (A pùd me *in terminum.*) Addit Angelicus Præceptor. *Quolibet enim alio nomine determinatur aliquis modus substantiæ rei: sed hoc nomen, qui est, nullum modum essendi determinat, sed se habet indeterminatè ad omnes. Et ideò nominat ipsum pelagus substantiæ infinitum.* Tertio satis vrgenti cõiectura. Nàm quoties occurrit dubium, an aliquod prædicatũ ponendum sit in Deo, nec ne? Confestim tãquam primariam, & fixam regulam, qua dirigamur, expendimus, an tale prædicatum sit perfectio simpliciter simplex, vel nõn, vt hanc Cynosuram inspicientes gubernemur. Signum ergo est, quod per se primo, & principaliùs, tanquã notissimũ significatur de Deo, nihil aliud esse, quàm ens omni entitatiuâ perfectione simpliciter simplici cumulatissimum. De his latiùs suo loco.

26 His positis, probatur nostra conclusio. Essentia Dei sub ratione *Deitatis* non exprimit voluntatem diuinam sub ratione *voluntatis diuinæ*. Sed hoc sufficit, ad hoc, vt Deitas, quatenùs est Deitas, distinguatur ratione ex modo nostro concipiẽdi à voluntate diuinâ, quatenus est diuina voluntas: ergo sic distinguuntur. In hoc discursu tota vis posita Probemus singillatim præmissas, quandoquidem consecutio patens est. Maior probatur. Essentia Dei sub ratione Deitatis exprimit præcisè rationem entis pleni omni perfectione simpliciter simplici, vt pono ex num. 25. & ex tract. de Essent. & Attrib. At sub ea præcisione non exprimit voluntatẽ diuinam sub ratione voluntatis diuinæ: ergò sub ratione Deitatis non sic exprimit diuinam voluntatem. Minor huius syllogismi probatur. Exprimere de Deo, quod

quòd est plenus omni perfectione simplicitèr simplici, stat cum iudicio negante Deo voluntatē; nimirùm, si argumentis sophisticis decipiamur, existimātes voluntatem non pertinere ad eam plenitudinem perfectionis. At exprimere de Deo, quod ipsi cōueniat diuina voluntas, non stat cum iudicio negante Deo volūtatem, vt patet: ergò præcisè exprimere illud prius, non est exprimere hoc posterius, & consequentèr Deitas sub præcisâ expressione entitatis plenæ omni perfectione simplicitèr simplici, non exprimit diuinam voluntatem sub ratione diuinæ voluntatis

27 Explicatur primò. Demus veras esse opiniones aliquorum Theologorum, qui putant in Deo esse iustitiam strictam, & continentiam productiuā substantiæ supernaturalis. Tunc sic. Stat cum hoc Deum exprimere expressione affirmante, plenum esse omni perfectione simplicitèr simplici, & non ità ipsum exprimere sub ratione eius iustitię, & continentiæ; sed potiùs hæc prædicata negare propter rationes, quæ apparenter probant excludenda esse à Deo: ergò similitèr cum Deo volitiuo stabit exprimere Deum expressione affirmante plenum esse omni perfectione simplicitèr simplici, & non sic exprimere sub ratione voluntatis, præsertim liberè volitiuæ; sed potiùs eam voluntatem negare, quia talem libertatem esse chymæricam implicatissimis fallacijs apparentissimè ostenditur. Secundo. Demus quantitatem continuam constare ex punctis mathematicè indiuisibilibus (idem argumentum erit, &c. ponamus oppositum.) Tùnc sic. Tamètsi re ipsa sint prorsùs idem, quantitatem esse continuam, & constare prædictis punctis; ratione tamèn nostra quantitas sub ratione continuæ non exprimit quantitatem sub ratione compositæ ex prædictis punctis: quia potest quantitas affirmari sub ratione continuæ, negarique sub ratione sic compositæ: ergò licèt re ipsa sint prorsùs idem Deum esse plenū omni perfectione simplicitèr simplici; ac habere intellectum, voluntatem, cæteraque perfectiones; ratione tamèn nostra Deus sub ratione Dei, nempè plenissimè perfecti, non exprimit Deum sub ratione determinatè habētis intellectum, voluntatem, cæteraque perfectiones determinatè acceptas, quia potest Deus expressè affirmari sub ratione plenissimè perfecti, & negari sub ratione alicuius ex prædictis perfectionibus determinatè acceptæ, eo quòd per errorem tale prædicatum putetur non esse perfectionem simplicitèr simplicem.

28 Tertiò similitèr. Idem pror-

pforsùs re ipsa sunt comprehensionem Dei esse cognitionem exhaurientem omnem cognoscibilitatem obiectiuam Dei, ac esse cognitionem Dei, vt intellectiui, volitiui, æterni, immēsi, & sic deinceps percurrendo reliquas perfectiones diuinas; & tamèn comprehensio Dei sub ratione cognitionis plenè adæquātis cognoscibilitatem obiectiuā Dei non se exprimit sub ratione cognitionis Dei, vt intellectiui, volitiui, æterni, immensi &c; sed sub ratione cognitionis exhaurientis omnem Dei cognoscibilitatem obiectiuam, quæcūque illa sit. Tùm, quia potest definitiuè exprimi sub ratione cognitionis adæquatæ Dei, non factâ mentione expressâ talium perfectionū determinatè, ac seorsim. Tùm, quia potest expressè affirmari, diuinam cognionem adæquari cognoscibilitati obiectiuæ Dei, attingendo ex parte Dei quidquid ex parte ipsius est; & negari quòd attingat ex parte Dei voluntatem, quia per errorem putatur illam non esse ex parte Dei: ergò idem, quòd priùs.

29 Demùm idem ostenditur exemplis, quæ pro se afferūt docti RR. nobis aduersantes. Demus hoc vniuersum constans ex omnibus rebus nunc existentibus includere simùl cum alijs partibus quandam substantiam supernaturalem creatam, vel aliquam aliam entitatem, cuius possibilitas sub lite sit. Iam sic. Idē penitùs re ipsa sunt esse hoc vniuersum, ac esse complexum Dei, subsistātię supernaturalis, Angelorum, hominū, reliquarumque creaturarum hîc, & nùnc existentium; & tamèn hoc vniuersum sub ratione huius vniuersi non exprimit conceptum complexi cōstantis ex Deo, substantiâ supernaturali creata &c; sed præcisè conceptum complexi constantis ex omnibus rebus nùnc existentibus, quæcunque illæ sint: ergò idem, quòd priùs. Minor probatur. Tùm quia, nullâ expressâ mentione factâ substantiæ supernaturalis sub hâc ratione sumptæ, satis definitur hoc vniuersum per rationem complexi constātis ex omnibus rebus nùnc existentibus, quæcūque illæ sint. Tùm quia potest expressè affirmari hoc vniuersum esse complexum constans ex omnibus rebus nùnc existentibus, quæcunque illæ sint, & negari, quòd coalescat ex substantiâ creatâ supernaturali. Idem inuenies in alijs exemplis, quæ possent ex Recentioribus aggerari. Hæc satis de maiori syllogismi formati n. 26.

30 Probatur minor eiusdem syllogismi, scilicèt prædicta sufficere ad hoc, vt Deus sub ratione Dei dittinguatur ex modo nostro cōcipiendi à Deo sub ratione volitiui. Nàm, vt ratio physica,

ſicæ, & intrinſeca rei eſt entitas phyſica per identitatem ipſi intrinſeca; ità ratio logica, & mētalis rei eſt mentalis diffinitio ipſius, iuxtà notata ex Ariſtot. & D. Thom. tract. de Scientia Dei diſp. 1. num. 27. Ergò ſicùt phyſicè, & intrinſecè diſtinguuntur ea, quæ non ſunt idem in entitatibus intrinſecis, cum quib' idētificantur; ità logicè, mētalitèr, & ratione noſtrâ diſtinguuntur, quæ in mentalibus definitionib' diſtinguuntur, nempè quia ſubſunt definitionibus mentalibus diſtinctis (diſtinctis, inquam, non ſolùm phyſicè diſtinctione de quâ non curat logica; ſed etiàm diſtinctis quantùm ad diſſimilitudinē in modo definiendi, quæ eſt diſtinctio pertinens ad logicā conſiderationem.) At ſic diſtinguūtur extrema, quæ definitionibus ità diuerſis ſubſunt, vt de re poſsit affirmari obiectū vnius definitionis ſub vna definitione expreſſum, & negari de eadem re obiectum alterius definitionis ſub hac altera definitione expoſitum: ergò extrema ſic ſe habentia diſtinguuntur ratione noſtrâ logicè ex modo noſtro concipiendi. Et quidèm nullam aliā fixam regulam tradi poſſe pro diſtinctione rationis ex modo noſtro concipiendi dicimus tractatu de Eſſent. & Attribut. ex dictis in Logica, deinceps̄que inſinuandis.

CAP. V.

Præcluditur quoddam effugium.

31 COnabitur aliquis eneruare, quæ diximus cap. 4. proferens in medium duplicem diſtinctionem rationis frequentes apùd logicos. Aliam vocant rationis ratiocinātis fundatam præcisè in imperfectione noſtri intellectus; aliam verò rationis ratiocinatæ fundatam nō ſolùm in ea noſtrâ imperfectione, quæ illis extremis, quæ ratione diſtinguuntur, extrinſeca eſt; ſed etiàm fundatam in ipſa natura intrinſeca aliūm extremorum. Illa diſtinguuntur ratione noſtra priori modo, quæ præcisè diſtinguuntur penès implicitum, & explicitum. Sic diſtinguuntur ratione noſtra definitū, & definitio obiectiua: v. g. *Homo, & animal rationale*: hęc enim extrema nō alitèr in mente noſtra diſtinguuntur, niſi quatenùs homo vt conceptus per cognitionem correſpondentem voci: *Homo* minùs explicitè concipitur, quàm cognitus per cognitionem correſpondentem his vocibus: *Animal rationale*.

¶ Illa verò diſtinguuntur ratione noſtra poſteriori modo (loquamur in Deo) quæ ſic ſe habent, vt alterum, vel quodlibet ipſorum intelligi poſsit in ſua ratione formali, vel, vt alij lo-

loquantur in sua linea, quin intelligatur, & aperiatur esse identificatum cum altero. Sic diuina cognitio, prout in ratione, & linea *cognitionis infinitè perfectæ*, distinguitur ratione nostra ratiocinata à diuina volitione: quia licèt, realiter loquendo cognitio diuina, infinitè perfecta identificetur necessariò cum diuina volitione; potest tamèn cognitio diuina, in ratione, & linea cognitionis infinitæ perfectæ, satis benè concipi à nobis, quin talis conceptus nobis aperiat, eam cognitionem diuinam identificatam esse realitèr cum diuina volitione. Similitèr, quanuis realitèr loquendo, repugnet immensitatem substantialem, v.g. non identificari cum æternitate substantiali; hæc tamèn extrema distinguuntur ratione nostra ratiocinata, quia benè potest concipi à nobis substantialis æternitas in ratione, & linea substantialis æternitatis nullam dicens imperfectionem, quin talis nostra cognitio nobis deroget, eam æternitatem identificatam esse realitèr cum immensitate substantiali. Idem dicito de hac cõparatâ cum æternitate. Porrò autèm, cùm Deus in ratione pleni omni perfectione simplicitèr, simplici, solùm distinguatur penès implicitum, & explicitum à seipso, prout intellectiuo, volitiuo, omnipotenti, &c. fit planè ab his prædicatis non distingui, adhùc ratione nostra ratiocinata fundata in natura obiecti; sed ratione ratiocinãte fundata præcisè in imperfectione nostri intellectus.

32 At, vt in genuè meum sensum aperiam, hanc linearum distinctionem imaginariam potiùs, pro re præsenti censeo, quã solida ratione innixam. Quippè non video, minus, aut alitèr inclusam, aut non inclusam formalitèr æternitatem substantialem in immensitate substantiali, quatenùs infinitè perfecta, in linea immensitatis, quàm sit, vel non sit formalitèr inclusa diuina voluntas in plenitudine omnimoda perfectionis simplicitèr simplicis. Idemque dico de quibuslibet aliis prædicatis diuinis, quæ mutuò identificantur realitèr adæquatè. Sed, vt plenè cõprehendatur probatio, notandũ est, quando loquimur de immensitate substantiali Dei (idem dicatur de quolibet prædicato diuino) sermo non est, siuè de immensitate fictitia, siuè de immensitate præscindente à fictitia, & reali; sed de immensitate substantiali prout vera, & reali. Loquimur enim de immensitate diuina, quatenùs verè, & realitèr habet, & non solùm per fictiones nostras omnẽ perfectionem, saltèm pertinentem ad lineam immensitatis. At, quatenùs verè, ac realitèr habet has perfectiones, eli vera, & realis

im-

immensitas. Sermo igitur est de immensitate diuinâ, quatenùs verâ, & reali. Hoc præmisso, quod à nullo negabitur.

33 Arguo sic. Immensitas substantialis, quatenùs vera, & realis immensitas substantialis, non importat in sua formali intelligentia identitatem cum æternitate? Ergò plenitudo adæquata perfectionis simplicitèr simplicis nō importat in sua formali intelligentia voluntatem diuinam. Probatur consequentia. Sicùt non est plenitudo adæquata perfectionis simplicitèr simplicis, quæ non includit voluntatem diuinam; ità non est vera, & realis immensitas substantialis, quæ non identificatur cum æternitate. Sed, hoc non obstante, immensitas substantialis, quatenùs vera, & realis immensitas substantialis, non importat in sua formali intelligentia identitatem cum æternitate: ergo paritèr plenitudo adæquata perfectionis simplicitèr simplicis non importat in sua formali intelligentia voluntatem diuinam. Sola maior, quæ videtur, quoad secundam partem, difficilis, probatur: quia substantialis immensitas est ineuitabilitèr connexa cum identitate sui ipsius cum æternitate, vt ponimus: ergò chymærica, & fictitia est immensitas substantialis non identificata cum æternitate: quippè talis immensitas erit, & simùl non erit ineuitabilitèr connexa cum identitate sui cū æternitate: ergò non vera, & realis; sed chymærica, & fictitia est immēsitas substantialis, quæ nō est idem cum æternitate.

34 Roboratur. Sicùt voluntas diuina est perfectio simplicitèr simplex; ità *non identitas* immēsitatis substātialis cum æternitate reddit implicatoriam immensitatem substātialem. Deindè: sicùt adæquata plenitudo perfectionis omnis simplicitèr simplicis, iure talis plenitudinis importat omnem perfectionem simplicitèr simplicem, ac proindè voluntatem; ità immensitas substantialis vera, & realis, titulo immensitatis substantialis veræ, ac realis, importat exclusionem omnis reddentis ipsam implicatoriam, ac proindè importat exclusionem non identitatis ipsius immensitatis cum æternitate, id est, identitatem cum æternitate. At, iuxtà aduersarios, rectè constat cum hoc posteriori, immensitatem substantialem verā, & realem distingui, quatenùs talem, non solùm ratione ratiocinante, & præcisè penès implicitum, & explicitum, à se ipsa, quatenùs identificata cum æternitate; sed etiàm ratione ratiocinata: ergò rectè constat cum illo priori, plenitudinem adæquatam perfectionis omnis simplicitèr simplicis distingui ratione ratiocinata à voluntate diuina;

nâ; & non solùm ratione ratiocinãte, & præcisè penès implicitum, & explicitum.

35 Dices. Prædicata, quæ opponũtur cum immensitate Dei, sunt in duplici differentia. Nàm alia opponuntur cum perfectione, quam importat immensitas intrà suam propriam lineam: cuiusmodi prædicata essent, immensitatem non adesse Matriti, vel Compluti, semèl existẽtibus his locis. Alia opponuntur cum perfectione, quam importat immensitas intrà lineam entis infiniti simplicitèr in omni genere. Sic opponitur cum immensitate *non identitas* ipsius cum æternitate. Iàm verò immensitas ex sua ratione formali, & intrà propriam lineam, excludit prædicata prioris generis; non posteriοris, ac proindè intrà eam propriam lineam non importat idẽtitatem cum æternitate.

¶ Sed contrà est. Nàm, vt diximus num. 32. sermo est de immensitate diuina, quatenùs est vera, & realis immensitas substantialis. Nùnc sic. Immensitas, de qua est sermo, excludit formalitèr prædicata opposita immensitati, quia sumitur ipsa intrà lineam immensitatis: ergò quia eadem sumitur intrà lineã immensitatis veræ, & realis, excludet formalitèr prædicata opposita veritati, & realitati immensitatis. At veritati, & realitati immensitatis substantialis opponitur *non identitas* cum æternitate, vt dicebam num. 33. ergò excludit formalitèr eam non identitatem, quod est formalissimè importare identitatẽ cum æternitate.

36 Confirmatur. Nã ex eo quod immensitas Dei non sit vtcunque in linea immensitatis; sed immensitatis substantialis, excludit formalitèr, quod redderet illam accidentalem, nempè, accidere realitèr Deo iã plenè realitèr præcõstituto. Itẽ: ex eo quod nõ sit vtcunque in linea immensitatis substantialis; sed immensitatis substantialis à se, excludit formalitèr, quod redderet illam *ab alio*: ergo quia est in linea immensitatis substantialis à se, veræ, & realis, excludit formalitèr, quod redderet illam fictam, & chymæricam immensitatem substantialem a se. At sic redderet illam *non identitas* cum æternitate ex num. 33. ergò excludit formalitèr hanc non identitatem, quod est formalitèr claudere oppositam identitatem. ¶ Ex quibus constat, quodlibet prædicatum acceptum in vi realis, ac veri, quod nequit non identificari cum alio, similitèr importare, vel non importare, formaliter ex modo nostro concipiendi loquendo, identitatem cum alio, ac plenitudo perfectionis omnis simplicitèr simplicis importat, vel non importat, formalitèr loquẽdo

do voluntatem diuinam. Quomodo autèm prædicta non obstent distinctioni rationis ratiocinatæ intèr prædictam plenitudinem, & voluntatem Dei, partim ex dictis cap. 4. & partim ex dicendis constabit.

37 Dicent secundò, immensitatem substantialem à se, titulo realis, ac veræ in ratione talis, non dicere formalitèr actualem identitatem cum æternitate; sed exigentiam intrinsecã eius identitatis; vel, alijs terminis, necessitatem intrinsecam talis identitatis; vel, quod in idem recidit, impossibilitatem intrinsecã distinctionis. At hoc non satisfacit. Tùm quia per te ratio immensitatis substantialis veræ, & realis à se, & ratio eiusdem immẽsitatis se ipsa actualitèr æternæ pertinent ad lineas ratione ratiocinatâ distinctas: ergò similitèr pertinebunt ad lineas ratione ratiocinatâ distinctas ratio immensitatis substantialis veræ, & realis à se; & ratio eiusdem immensitatis se ipsâ determinatæ, vt per identitatẽ cum æternitate sit æterna. Non enim video quomodo, nisi pro mero libito, possit vnum concedi, & aliud negari. Tùm vrgentius. Sicùt conficta, & chymærica est immensitas substantialis á se, vera, & realis: & tamèn non determinata, vt identificetur cum æternitate; ità conficta, & chymærica est immensitas substantialis à se, vera, & realis; & tamẽ non identificata actualitèr cum æternitate. Sed illud prius asserere cogit, prædictam immensitatem dicere formalitèr determinationẽ essentialem ad identitatem cum æternitate: ergò & posterius dicere cogit, prædictã immensitatem dicere formalitèr actualem identitatem cum æternitate. Hæc nùnc satis.

CAP. VI.

Expositâ breuitèr distinctione, quæ vocant rationis ratiocinatæ, & rationis ratiocinantis, diluuntur nonnulla, proponunturq; alia.

38 EX dictis hùcvsque constat, non esse aliam regulam fixã pro distinctione rationis ratiocinatæ obiecti ab obiecto, nisi sic subesse diuersis nominibus, & conceptibus mentis, vt possit de aliquo subiecto affirmari sub vno nomine, & conceptu illorum, & negari sub alio, nimirùm, quia diuersimodè exprimitur, ac definitur sub vno, & sub alio cõceptu. Sic Deus secundùm formalitatẽ immensitatis substantialis distinguitur ratione ratiocinatâ à se ipso accepto secundùm formalitatem æternitatis substãtialis: quia proposito intellectui nostro Deo, vt immenso, potest intellectus asse-

asserere *ita esse*; & tamen, nostro intellectui Deo proposito, vt æterno, potest negare intellectus dicendo *non ita esse*; scilicèt, quia expressis, ac definitis immensitate, & æternitate sub his terminis, specialis difficultas apparet, quominùs Deus iudicatus, vt immensus; iudicetur, vt æternus. Hinc oppositò modo distinguitur ratione ratiocinãte obiectũ ab obiecto, quãdo instar duorũ idem obiectum cõcipitur; non tamen conceptibus ita dissimilantibus intentionalitèr idem obiectum sibi ipsi, vt sub vno cõceptu possit affirmari de aliquo subiecto, & sub alio negari.

39 Sic quando per iudicium omninò idẽticũ dicimus: *Petrus est Petrus*: distinguitur Petrus ratione ratiocinante à Petro: quia in primis Petr⁹ cõcipitur, vt subiectum, cui Petrus ipse vnitur, proindeq; cõcipitur instar duarum rerũ; & aliunde prædictum iudiciũ non sic in mente, in esse obiectiuo, intentionali, & apparente (quæ omnia idem sonant) Petrum ipsũ Petro dissimilat, vt permittat Petrũ de aliquo subiecto affirmari; & eũdẽ Petrũ de eodẽ negari subiecto. Vnde obitèr inferes, cur distinctio rationis ratiocinatæ fundari dicatur, saltèm partim, in ipsâ naturaobiecti; cũ tamẽ distinctio rationis ratiocinãtis fundetur adæquatè in imperfectione nostri modi concipiendi. Ratio est: quia id, quod est eadem omninò res, nõ præbet occasionẽ, quatenùs est ex parte sui, ad hoc, vt concipiatur per modũ pluriũ; sed potiùs, vt concipiatur per modũ vnius; vndè, hoc non obstante, concipi per modũ pluriũ, in quo stat distinctio rationis ratiocinãtis, inniti precisè potest in imperfectione malè concipiendi res pro hoc statu. Cæterùm distinctio rationis ratiocinatæ eiusdem à se ipso, non stat præcisè in eo, quòd eadem res instar distinctarũ cõcipiatur citra conceptus idẽ obiectum sibi dissimilantes intentionalitèr; sed in eo, quòd idem obiectum prædictos conceptus dissimilantes terminet, quibus meliùs, & meliùs possit ratio reddi de ipso, eiusque cognoscibilitas exhauriri. Prædictos autẽ conceptus in modo repræsentãdi dissimiles terminare, prouenit partim ex nostra imperfectione, quæ in causa est, vt non quolibet rei cõceptu plenè rem penetremus; sed necesse sit varijs, ac dissimilibus notitijs imbecillitatẽ nostrã iuuari; partimque ex ipsa obiecti natura, cui nõ sufficit ad perfectã sui penetrationẽ quilibet circa ipsum obiectũ cõceptus, vtcũque ipsum declarans; sed varij, ac diuersi in modo repræsentãdi requirũtur; vel vnus his omnib⁹ simul sumptis perfectè quoad modũ repræsentãdi æquiualẽs. Hęc nũc satis.

40 Obijcies cõtra doctrinam

nupèr traditã. Definitũ eſt idem formaliter cum prædicatis ſignificatis per diffinitionẽ eſſentialẽ, à quibus ſolũ diſtinguitur penes implicitũ, & explicitũ, ratione ratiocinãte citra fundamẽtũ ex parte obiecti. At poteſt affirmari de aliquo ſubiecto definitum; & tamẽ de eodẽ negari prædicata ſignificata per diffinitionẽ eſſentialẽ: ergo non ſufficit hoc ad diſtinctionẽ rationis ratiocinatæ cũ fundamẽto ex parte obiecti. Cõſequẽtia patet. Maior eſt cõmuniſsima: videturque omninò vera. Minor probatur. Ponamus verã eſſe ſentẽtiã, quæ rationem formalẽ ſubſtãtiæ corporeæ cõſtituit in eo, quòd ſit diuiſibilis in partes integrãtes. Tũc ſic. Poteſt aliquis affirmare de aliquâ ſubſtãtiâ prorſùs ſimplici eſſe corpus; & tamẽ, per errorẽ putans, nõ cõſiũere rationẽ corporis in prædictâ diuiſibilitate, negare ipsã tali ſubſtãtiæ quod etiã in alijs innumeris exẽplis reperietur; ergo poteſt affirmari de aliquo ſubiecto definitũ; & tamen de eodẽ negari prædicata ſignificata per diffinitionem eſſentialẽ.

41 Cõceſſa maiori; minor diſtinguatur ſic. Ignorata ſignificatione nominis, per quod ſignificatur definitũ, cõcedo minorẽ; ſcitâ ea ſignificatione, nego minorẽ. Quod verò iuxta nos ſufficit ad diſtinctionẽ rationis ratiocinatæ rei, ſub diuerſis terminis declaratiuis ipſius, eſt poſſe affirmari, & negari de eodem ſub eis diuerſis terminis, ſcitâ ſignificatione ipſorum. Itaque terminus *homo*, v.g. in ſcientijs, vbi agitur de naturâ hominis, inſtitutus eſt principalitèr, vt ſubſtituatur pro cõceptu definitiuo hominis, nẽpè pro iſto cõceptu: *animal rationale*: ac proinde, qui audit vocẽ: *homo*, ipſiuſq; vocis ſignificationem ſcientificã penetrat, ſcit eâ voce ſignificari animal rationale: cum quo nõ ſtat ſignificatum eius vocis de aliquo aſſerere, & de eodẽ negare animal rationale.

42 Sed inſtabis: hanc ſolutionem manifeſtè ſupponere falsũ, nempè nomen, per quod ſignificatur definitũ, eſſe principalitèr inſtitutũ, vt ſubſtituatur pro cõceptu definitiuo rei: v.g. nomen *homo*, vt ſubſtituatur pro cõceptu iſto: *animal rationale*. Nã definitum vocale, diffinitioq; vocalis in eo diſtinguuntur, quòd hæc ſubſtituitur pro cõceptu definitiuo declarante rem explicitè; illud verò pro cõceptu tangẽte rem implicitè: nam alioqui definitio nõ eſſet clarior definito: nam illã eſſe clariorẽ hoc, nihil aliud eſt, quàm voces, quæ dicuntur diffinitio vocalis, ſubſtitui pro cõceptu declarante rem explicitè; vocẽque illã, quæ dicitur definitũ vocale, ſubſtitui pro cõceptu tãgente rem implicitè.

¶ Reſp. Alius eſt cõceptus, quẽ generat vox *homo*, v.g. vt primũ auditur, licèt ſignificatio ipſius igno-

ignoretur. Alius autē, ad cuius manifestationem ex institutione suâ destinatur, & pro cuius substitutione imponitur. Primus conceptus est iste cōfusus: *Quod significatur voce homo, quidquid illud sit.* Si enim obuiā procedas homini nescienti latinū idioma, proferasque hanc vocē *homo*, statim ille sic cōcipiet: *Ille vult dicere, quod significatur voce* ✻ Homo ✻ *quidquid illud sit.* Secūdus conceptus est iste explicitus: *animal rationale*, voxq; *homo* in scientijs, vbi agitur de natura hominis, imponitur pro substitutione, nō quidē illius prioris cōceptus; sed huius posterioris; & ad istius manifestationē ex institutione sua destinatur. ¶ Ratio est, quia voces, præsertim in scientijs, vbi agitur de indagādis naturis rerum, quas significant, instituuntur, vt res innotescant sub illis potiùs conceptibus, qui naturā rerum aperiunt, quā sub illis, quibus æquè ignotū manet, quid sit res illa, quā significant. Sicùt autē sub hoc conceptu *homo est animal rationale* res, quæ significatur voce *homo*, magis aperitur secundùm suā naturā, quā eo conceptu secluso; sic res, quæ illa voce *homo* significatur, tam ignota quoad suā naturā manet sub hoc præciso cōceptu: *Homo est, quod significatur per vocē homo*, quā eo conceptu secluso. Adhùc enim ignoratur prorsùs, quid eo nomine significetur, an brutū, an ensis, an aliquid, an nihil: voces ergo, præsertim in prædictis scientijs, substituūtur potiùs ex institutione sua pro cōceptib⁹ definitis explicatiuis rerū, quā pro cōceptib⁹ implicatiuis. Vndè quādo dicitur, definitionē vocalem clariorē esse definito vocali, capiendū est definitū vocale, prout subest cōceptui illi circa definitū, quē vox, vt primū auditur, in generare solet in illis, qui significationem non penetrant; non verò prout subest cōceptui, pro cuius substitutione, ex propria institutione, imponitur.

43 Instabis. Vox *homo* nō significat hominē sub eo cōceptu. *Animal rationale*; sed sub cōceptu rei habentis eā figurā externam, & accidētia exteriora, quæ sensibiliter obuia sunt in homine. Sic enim nobis obijcitur homo statim, ac eam vocē audimus. Resp. hanc instantiā non esse specialiter contra me; sed generaliter cōtra omnes, qui putant hominē sub cōceptu hominis non distingui, adhùc formaliter, & ratione nostrâ ratiocinata, ab eodem homine sub conceptu animalis rationalis. Si enim homo, prout subest huic conceptui *animal* referēti ipsū ad cōnotatum sentiēdi, distinguitur ratione ratiocinata ab homine, prout subest huic cōceptui *rationale* referēti ipsū ad cōnotatū ratiocinationis, quomodo ſimili distinctione nō distinguitur, prout sub-

est cõceptui referẽti ipsum ad figurã externã, & alia accidentia sensib⁹ obuia; & prout subest cõceptui referẽti ipsum ad cõnotata magis recõdita sentiẽdi, ac ratiocinandi? Dicatur ergo, aliũ esse conceptũ, quẽ vox *homo* ex quâdã veluti cõsuetudine vulgaritèr excitat: & hic cõcept⁹ est, quẽ arguens assignat; aliũq; esse conceptũ, pro cuius substitutione imponitur in scientiâ de homine, & hic est cõcept⁹: *Animal rationale*. Vnde homo nõ distinguitur formalitèr ab animali rationali, sciẽtificè loquẽdo; quidquid sit loquẽdo de conceptibus ex quâdam consuetudine vulgaritèr excitatis.

44 Vbi, pro amouendis alijs offendiculis, notãdũ est. In sciẽtia de homine (idẽ proportionalitèr dicatur in sciẽtiâ de alijs rebus) posse institui vocẽ *homo* ad significandã naturã hominis, vt subest conceptui exactè definitiuo hominis: potest, inquã, sic institui, aut postiam inuentũ eum conceptũ definitiuũ; aut nõdum eo inuẽto. In primo casu crediderim signatè, & expressè, vocẽ *homo* imponi, vt subrogetur pro illo determinatè conceptu, qui deprehensus est exactè definitiuus hominis, scilicèt, pro cõceptu hoc: *animal rationale*. In secũdo casu crediderim, vocẽ *homo* imponi sub hâc confusione ad significandũ sic. *Substituatur vox homo pro cõceptu, qui deprehendatur exactè definitiuus hominis*: & tunc homo erit formalitèr ipsa hominis entitas, prout subiacẽs cuicunque conceptui exactè definitiuo ipsius.

45 Obijcies secundò ex ipsis, quæ diximus cap. 5. deduci oppositũ illius, quod contendimus. Deducitur enim, essentiam diuinã, etiã formalitèr, & ratione nostrâ, imbibere voluntatem diuinã, Probatur. Nam essentia diuina est formalitèr, & ratione nostrâ plenitudo vera, & realis omnis perfectionis simplicitèr simplicis: ergo imbibit formalitèr ratione nostra cõstitutiuũ essẽtiale talis plenitudinis veræ, & realis. At hoc est imbibere volũtatem diuinã, quæ est perfectio simplicitèr simplex. Nam plenitudo perfectionis omnis simplicitèr simplicis, & vnã ex his perfectionib⁹ nõ includens, nempè diuinam voluntatẽ, est confícta, & chymærica plenitudo: ergo imbibit formalitèr volũtatẽ diuinã. Cõfirmari potest primò ex ingeniosis RR. quia PP. Ecclesiæ plura dicunt, quibus satis significant, voluntatẽ diuinã, etiã formalitèr, & ratione nostra, claudi in essentia Dei. *Primò* enim aiũt, hoc nomine: *Qui est* explicari prę cæteris essentiam Dei, quia totã imbibit essendi perfectionẽ: ergo, cùm diuina voluntas vna sit ex perfectionibus essendi, imbibitur formalitèr in essentia Dei. Videantur Damasc. & D. Tho. cita-

citati num. 25. *Secundò.* Anselmus in monolog. cap. 16. ait, nō minùs essentialitèr de Deo dici attributa, quàm de homine corpus, & rationale. At hæc dicuntur essentialitèr, etiàm ratione nostrâ, de homine: ergò de Deo attributa, & consequentèr diuina voluntas. *Tertiò.* Nàm, vt obseruat P. Montoia disp. 8. de Trinit. sect. 6. PP. dicunt, nō minùs esse reliqua attributa de essentiâ Dei, quàm intellectionem: sed hæc, iuxtà cōmunissimam sententiam, est de essentiâ Dei, etiā formalitèr ratione nostrâ: ergò & alia.

46 *Quartò.* Nam aliqua saltèm perfectio est de essentia, cōceptu, ac definitione formali Dei: ergò & omnes communes omni personæ diuinæ. Nam PP. generalitèr dicunt, non magis vnam, quàm omnes pertinere ad essentiam Dei. Videantur Bernard. 5. de considerat. cap. 6. Anselm. sup. Nazian. in lib. ad Ablabium iuxtà med. *Quintò.* Nam Anselm. sup. satis exprimit, omnes perfectiones diuinas, etiàm secundùm nostram considerationē, dici essentialitèr de Deo: ergò, quia etiàm formalitèr ratione nostra sunt de conceptu Dei, vt Dei. *Sextò.* Nam iuxtà Arist. & Porphirium, quos omnes logici sequuntur, solùm prædicantur *in quid* ea, quæ formalitèr, & ratione nostrâ sunt de constitutiuo essentiæ; ideoque risibilitas prędicatur de homine, non *in quid*, sed *in quale*, prædicatione pertinēte ad *Propriū* quartum prædicabile, quia licèt realitèr idētificetur cum homine; at ratione nostra est extrà ipsius essentiam. At iuxta Anselm. in monolog. cap. 15. omnes perfectiones diuinæ prædicātur *in quid* de Deo: ergò etiàm ratione nostrâ sunt de constitutiuo essentiæ diuinæ.

47 Confirmatur secundò. Essentia diuina, id est, Deitas, vt Deitas, potest imbibere, etiā formalitèr, & ratione nostrâ, volūtatem Dei (idem dicatur de quâlibet aliâ perfectione simplicitèr simplici) ergò sic eam imbibit. Cōsequentia patet. Sicut enim, quia Deitas est realitèr infinitè perfecta, & omniū melior, quæ potest esse, importat realitèr voluntatē, & alias perfectiones; ità etiàm, quia formalitèr ratione nostra est infinitè perfecta, & cōsideranda est omniū melior, quę excogitari possit, imbibet etiàm formalitèr, & ratione nostrâ, voluntatem, aliasque perfectiones, si semèl possit in eo statu rationis ipsas imbibere. Antecedens probatur. Quia nihil prohibet includi formalitèr in essentia rei, plura prædicata ipsius propria & distinctiua, imò talia, vt alterū sit ratione nostra posteriùs alio: ergò quanuis, præter voluntatē diuinā, sit in Deo alia perfectio propria Dei; imò & prior ratione,

quàm voluntas, poterit hæc includi formaliter in essentiâ Dei, cumque nihil aliud obstare possit huic inclusioni, possibilis erit absolutè. Prior pars antecedētis immediati patet. Quia vis discursiua hominis constituens essentiā ipsius coalescit ex vi discursiua in rebus abstractissimis, & ex vi discursiua in rebus minùs abstractis, vtrâque hominis propriâ. Posterior pars probatur. Nā intra essentiam hominis includitur formaliter rationalitas constans vi ad apprehensiones præuias ad iudicium, & vi ad præmissas præuias ad cōclusionem; ac vi ad inferendam conclusionem. Sicùt autem intellectiuum est prædicatum ratione præcedens ad volitiuum, quia intellectio præcedit ad volitionem; ità & apprehensiuum ad iudicatiuū, quia præit apprehensio ad iudicium, & elicitiuum præmissarū ad elicitiuum conclusionis, quia illæ præeunt ad hanc.

48 Primum antecedens ex num. super. probatur secundo. Potest essentia physica rei includere realiter, nō solùm priorem partem rei; sed etiam posteriorē. Sic essentia physica huius vniuersi, nō solùm claudit realiter priores partes ipsius; sed etiam posteriores. Imò, quanuis pars prior sit propria cōpositi, non solùm claudit ipsā realiter essentia physica compositi; sed etiam partem posteriorem. Sic cœlum, iuxtà plurium opinionē, cōstat ex materia prima sibi propria, distinctaq; specie à materia sublunari; & tamen essentia physica cœli, non solùm includit realiter eam materiam primam formā substantiali priorem; sed etiam formam: ergo paritèr poterit essentia metaphysica rei claudere formaliter ratione nostra, non solū prædicata formaliter priora; sed etiam posteriora: adeo, vt in ratione essentiæ metaphysicæ non intelligatur plene perfecta, donec includat formaliter etiam prædicata posteriora: ergo poterit Deitas, vt Deitas, imbibere formaliter voluntatem Dei, quanuis imbibat simul aliud prædicatum ratione nostra prius.

49 Tertio probatur idem antecedens. Sicut realiter est de essentia rei, quod est principaliter de realitate ipsius; ita formaliter, & ratione nostra est de essentia rei, quod est de principali consideratione ipsius. At benè stat, esse de principali consideratione rei, vt coalescentis ex pluribus perfectionibus, non solùm perfectionem primariam ipsius; sed etiam alias secundarias: ergò, licèt voluntas diuina sit perfectio secundaria Dei supponens intellectualitatem; poterit tamèn esse de principali consideratione Dei, vt coalescentis ex omni perfectione simpliciter simplici, ac proinde poterit imbibi, etiam formaliter, & ratione nostra in essentia diui-

diuina, vt sic accepta. Minor, quę sola est difficilis, patet. Tùm in vniuerso, de cuius principali consideratione est, non solùm Sol prior homine; sed etiam homo posterior Sole. Tùm in discursu, de cuius principali cōsideratione sunt, nō solùm prę̄missæ priores conclusione; sed hæc etiam posterior illis. Potest enim posterior perfectio cōiuncta cū priore augere notabilitèr æstimationem rei, proindeque cadere sub ipsius præcipuam considerationem.

50 Confirmatur tertiò ex ipsis RR. Nam ad excellentiam Dei maximè pertinet, quòd eius essentia non solùm sit re ipsa optimum, quod esse potest; sed etiam, quòd nihil melius possit mente cogitari. At, si non includat formalitèr ratione nostra voluntatem, non erit optima in cognitione mentis: ergò formalitèr ratione nostra includit voluntatē. Minor probatur. Quia voluntas est perfectio simplicitèr simplex, de cuius ratione est, vt nihil sine ipsa sit optimū. Explicatur. Essentia Dei non est optima in re sine inclusione reali voluntatis, quia hęc est perfectio simplicitèr simplex: ergò propter eandem rationem non erit optima in cognitione mētis sine inclusione formali voluntatis.

¶ Confirmatur quartò. Scientia Dei, quia est optima in ratione scientiæ, includit formaliter ratione nostra non solùm esse scientiam omnium possibilium in Verbo (tametsi demus hunc esse conceptum primariū scientiæ diuinæ, propriumque scientię Dei) sed etiam quālibet aliam perfectionem spectantem ad lineam scientiæ. Præterea. Licèt ratio adæquata creandi sit primarius conceptus omnipotētiæ, huiusque proprius, eminentèrq; continens cætera prædicata pertinentia ad lineam potentiæ; tamen omnipotētia formalitèr ratione nostra imbibit virtutem ad omnia tam educibilia, quā creabilia, quia in linea potentiæ optima est: ergo, quia essentia Dei optima est in ratione cumuli omnis perfectionis, imbibet formalitèr perfectionem voluntatis diuinæ, tamètsi dicat aliam perfectionē primariam, propriam Dei, continentemque eminentèr diuinam voluntatem.

51 Confirmant quintò. Vbi conceptus formalissimus rei exprimit pluralitatem adæquatam perfectionum, res, sub eo cōceptu, non solùm imbibit perfectionem primariam; sed omnes. At conceptus formalissimus Dei, vt Dei, exprimit pluralitatem adæquatam perfectionum simplicitèr simpliciū: ergò Deus, sub cōceptu Dei, nō solùm imbibit perfectionem primariā; sed omnes & consequentèr voluntatē. Maior patet: quia propter illā rationem *vniuersum*, sub cōceptu vni-

uersi, non solùm imbibit perfectiones, & partes primarias; sed etiàm secùdarias. *Homo risibilis*, sub cõceptu hominis risibilis, nõ solùm imbibit rationalitatẽ, quæ est prædicatum primarium; sed risibilitatem, quę est prædicatum secundarium. *Discursus*, sub conceptu discursus, non solùm imbibit præmissas, quæ sunt partes priores; sed etiàm conclusionẽ, quę est pars posterior. Minor probatur. Quia primus, & notissimꝰ conceptus Dei est: *actus purus*: hic autem cõceptus exprimit actuationem purã in omni linea, nempè plenitudinẽ perfectionis sine imperfectione: ergò conceptus formalissimus Dei, vt Dei, exprimit pluralitatẽ adæquatã perfectionum simplicitèr simplicium.

52 Demùm cõfirmant. Sicut homo, etiàm vt subest conceptui nostro exprimenti ipsius essentiã, est ens finitũ; ità etiàm Deus, vt subest cõceptui nostro exprimẽti ipsum, vt Deũ, est simplicitèr infinitꝰ, in omni genere. At non sic infinitus esset, nisi vt sic esset pelagus continens, non solùm eminẽtèr; sed etiàm formalitèr omnem perfectionem: sicut non est multitudo infinita secũdùm numerum, nisi, quæ formalitèr includit innumera indiuidua: ergò Deus, etiàm vt subest conceptui nostro exprimẽti ipsum, vt Deũ, claudit formalitèr omnem perfectionem simplicitèr simplicẽ, ideòque voluntatem.

CAP. VII.

Propositæ obiectiones expeditæ.

53 QVanuis nupèr proposita sint ingenio, & acumine plena; mihi tamèn non videntur firma. Ad argumentum ex num. 45. concesso antecedente, & prima consequentia, distinguenda est hoc modo minor subiuncta. Est imbibere voluntatem, sub expressa ratione perfectionis simplicitèr simplicis, concedo minorẽ; sub expressa ratione voluntatis, nego. Iam ad probationem ibi inclusam pro inclusione formali voluntatis in ea plenitudine, dicatur: aliud requiri, vt ea plenitudo sit *in re ipsa* vera, & realis plenitudo perfectionis omnis simplicitèr simplicis; aliud, vt *in ratione, & consideratione nostra* sit prædicta vera, & realis plenitudo. Ad primum requiritur includere realitèr per realem identitatem, & voluntatem diuinam, & reliquas perfectiones simplicitèr simplices: si enim istarum aliquam nõ haberet realitèr, nõ esset realitèr ea plenitudo. Ad secundum requiritur, exprimi in mente per conceptum correspondentem his terminis: *Vera, & realis plenitudo perfectionis omnis simplicitèr simplicis*: per quem conceptum non exprimitur sub expressa consideratione includendi volũtatem; sed sub

sub expressâ cõsideratione nullam implicantis contradictionẽ, & includentis omnem perfectionem simpliciter simplicem, quæcumque illa sit, vbi præscinditur, an vna ex his perfectionibus sit voluntas, nec nè? Quippè affirmata diuina essentia sub expressione talis plenitudinis, negari potest diuina volũtas, propter sophisticas rationes mentem perturbantes, quominùs voluntas appareat perfectio simpliciter simplex. Recolatur cap. 4. ex quo patet, solutionem hanc firmissimam esse.

54 Põderationes, quæ depromuntur ex PP. Ecclesiæ num. 45. & 46. non vrgent. *Non prima.* Nam ideò nomine: *Qui est* explicatur præ cœteris essentia diuina, quia eo nomine explicatur præ cœteris Deus sub expressa ratione includẽdi perfectionem omnem simpliciter simplicem, quæcunque illa sit; non verò, quia eo nomine explicetur Deus sub expressa consideratione includendi voluntatem. Quippè, vt Deus sit Deus ratione, considerationeque nostra, prima cõsideratio requiritur; non verò posterior. *Non secunda.* Quia sensus Anselmi, & eorum, qui ipsum imitantur, est: vel attributa Dei tàm esse realiter de essentia Dei, quàm *rationale* est formaliter, & realiter de essentia hominis; vel, quod forsã placebit magis, attributa Dei sub expressa consideratione perfectionũ simpliciter simplicium non minùs esse, etiàm formaliter, de essẽtia Dei, quàm rationale, & corpus de essentia hominis. *Non tertia.* Nàm eodem modo, quo reliqua attributa, diuina intellectio includenda, vel excludenda est ab essentia diuina formaliter ratione nostra. Includenda: sub expressa consideratione perfectionis simpliciter simplicis. Excludenda sub expressa considera tione intellectionis.

55 *Non quarta.* Illud enim dictum eorum PP. verissimũ est. Nàm æquè clauduntur omnes perfectiones Dei in essentia diuina formaliter; & nulla perfectio sic includitur. Clauduntur omnes sub expressa consideratione perfectionum simpliciter simplicium. Nulla includitur sub expressa consideratione magis determinata, nimirùm intellectus, voluntatis, omnipotentiæ, &c. *Nõ quinta.* Nàm eadem responsio, quæ ad secundam, adhibetur. *Non sexta.* Nam in primis Anselmi testimonio testimoniũ opponimus (vt alia plurima omittamus) Damasceni lib. 1. fidei Orthod. cap. 4. in fine aientis. *Nàm, etsi bonum, si iustum, si sapiens, si quidquis aliud dixeris: nõ naturam dicis Dei; sed ea, quæ circa naturam.* Et cap. 12. ferè ad finem. *At verò bonum, iustum, sanctum, & id genus talia naturã cõsequuntur, non autem substantiam osten-*

ostendunt. At prædicata, quæ non exprimunt naturam; sed ea, quæ circa naturam, quæ non exprimunt substantiam rei; sed ad naturam substantialem consequũtur, certè iuxta Arist. & Porphirium, nõ *in quid*; sed *in quale* prædicantur. Sit ergo Patrum concordia, perfectiones diuinas aliter, & aliter intrà, & extrà diuinam essentiã esse formaliter, & ratione nostrâ. Intra diuinã essentiã sub expressa consideratione perfectionũ simplicitèr simplicium: & sic prædicatio hæc est *in quid* * Deus est omnis perfectio simplicitèr simplex * Extrà diuinã essentiã formalitèr ratione nostrâ, sub expressa cõsideratione magis determinãte speciales rationes diuinarũ perfectionũ: & sic prædicationes istę sunt formalitèr *in quale* *. Deus est omnipotẽs. Deus est iust⁹, &c. *

56 Ad secundam confirmationem ex n. 47. distinguendum est antecedens, quod concedẽdum est, *rebus, vt in alio casu*; negandum autem *rebus, vt nunc*, de inclusione formali volũtatis, sub expressa consideratione voluntatis. Itaque Deus, rebus, vt nunc, constituitur formalitèr ratione nostrâ in ratione Dei per id, quod directè, & principalitèr significatur hoc nomine *Deus* secundùm præsentem acceptionem: cumque secundùm hanc acceptionem non significetur nomine *Deus* diuinum *esse* sub expressa consideratione includendi diuinam voluntatem; sed tantùm sub expressa consideratione includendi perfectionem omnem simplicitèr simplicem, vt satis liquet ex dictis, patet, Deum, *rebus, vt nunc*, non posse formalitèr ratione nostra constitui per voluntatem, sub expressa consideratione voluntatis. Aliud autem esset in alio casu, nimirùm, si nomen *Deus* impositum esset ad significãdas directè, & principalitèr cunctas perfectiones diuinas, sub expressa consideratione singularum. Ad plenam intelligentiam huius solutionis habenda sunt præ oculis, quæ diximus cap. 4. à num. 19. vsque ad 25. inclusiuè.

57 Sed, vt nullus impediatur his, quæ tangit confirmatio facta eo num. 47. notetur primò. Deus realitèr acceptus est realitèr infinitè perfectus; itemque Deus acceptus formalitèr ratione nostrâ, vt Deus, est formaliter ratione nostra infinitè perfectus. At est notandum discrimẽ inter statum realitatis, & statum considerationis. Nam, vt Deus in statu realitatis suæ sit realiter infinitè perfectus, debet habere, per realem identitatem, perfectionem voluntatis secundùm adæquatam realitatem voluntatis. At, vt Deus in statu considerationis nostræ sit consideratione infinitè perfectus, nõ est op⁹, vt habeat, per identitatem ratio-

tio-

tionis, perfectionem voluntatis, sub adæquata sui expressione, tam illius, prout voluntatis, quã ipsius, prout perfectionis simpliciter simplicis. Ratio prioris est, quia, realiter loquendo, Deum esse infinitè perfectum nihil est aliud, quàm identificari realiter cum omni realitate cuiuslibet perfectionis simpliciter simplicis, ac proindè cum tota realitate voluntatis. Ratio posterioris est. Quia Deum esse *conside-ratione nostra* infinitè perfectum, est ita exprimi, vt plenum omni perfectione simpliciter simplici, vt ex vi huius expressionis, & considerationis, nullum prædicatum possit negari de Deo, si tale prædicatum iudicetur esse perfectionem simpliciter simplicẽ: ad quod nõ est opus cõsiderare Deũ, & sub expressa cõsideratione pleni omni perfectione simpliciter simplici; & sub expressa cõsideratione volitiui; sed satis est priorilla cõsideratio.

58 Notetur secundò. Non ideò non includi formaliter in essentiâ diuina voluntatem Dei sub expressa consideratione voluntatis, quia vniuersaliter repugnet in essentijs rerum includi plura prædicata distincta, etiam si aliud sit ratione posteriꝰ, quàm aliud. (Non disputo, nùm sint omnino vera exempla, quæ in argumento afferuntur: neque enim omnia sunt vbique miscenda) sed quia essentia rei sub ratione talis, vt talis, est res ipsa, prout subest expressioni, pro cuius substitutione tale, vel tale nomen imponitur: & aliundè nomen *Deus* imponitur pro substitutione expressionis mentalis non aperientis Deum, vt volitiuum; sed vt plenum cunctis perfectionibus simpliciter simplicibꝰ, prescindẽdo ab eo, quod sint hæ; vel illæ, vt constat ex n. 25. Ex quibus patet ad probationem factam num. 48. & ex nuperdictis num. 57. constat, quomodo Deus sit metaphysicè *secundùm nostram considerationem* plenissimè perfectus, quamuis *ratione nostra* nõ includat essẽtia Dei volũtatẽ diuinã sub expressa consideratione voluntatis.

59 Ad probationem ex num. 49. dicẽdum est ex doctrina tradita cap. 4. à num. 19. rei essentiam *ratione nostra* sumptã esse rẽ ipsã, prout subest nostris cõceptibus. Vndè sumere nõ est essẽtiã rei *ratione nostra*, nisi sumẽdo illam, prout subest nostris conceptibus. Hinc dicimus rei essẽtiam ratione nostra esse, quod est de directâ, & principali significatione, & consideratione rei, prout cadentis sub talem, vel talem conceptum. V.g. *ratione nostra* est essentia Dei, vt Dei, id, quod est de directâ, & principali significatione huius conceptus mentalis *Deus*. Item *ratione nostra* est essẽtia Dei, vt Dei volitiui, id, quod est de directa, & prin-

principali consideratione, & significatione huius cōceptus: *Deus volitiuus*: & quia conceptu *Deus* dicitè, & principalitèr consideratur Deus, vt plenus omni perfectione simplicitèr simplici, quæcunque illa sit; non autèm expresse, vt volitiuus, ideò ratione nostra in essentia Dei, vt Dei, non intrat voluntas sub expressa ratione voluntatis; licèt sic intret in essentia Dei, vt volitiui. Quēadmodum in essentia hominis, vt hominis, nō intrat *ratione nostra* risibilitas. licèt sic intret in essentia hominis, vt risibilis. At in essentia Dei accepta in sensu reali intrat voluntas Dei: quippè intrat omne id, cum quo sic essentia Dei est idem, vt ea essentia in nullo possit inueniri sine illo: ita verò Dei essentia identificatur realitèr cum voluntate Dei.

60 Ad tertiam confirmationem ex num. 50. cōcedo, essentiam Dei, ac Deum, vt Deum, etiam *ratione nostra*, esse optimū. Ad quod non requiritur cogitari expressè sub ratione intellectualis, volitiui, omnipotentis, &c. sed sufficit cogitari sub ratione pleni cunctis perfectionibus simplicitèr simplicibus, quæcunque ipsæ sint. Ratio est: quia sicùt Deum esse realitèr optimum, est in re sic se habere, vt nihil possit in re esse perfectio simplicitèr simplex; & tamèn deesse Deo; sic Deum esse optimum cogitatione nostra, est in nostra mente sic se habere, vt nihil possit mēti apparere perfectio simpliciter simplex; & tamen Deo negari. At Deus non solùm cognitus expressè sub ratione intellectualis, volitiui, omnipotentis, &c. sed etiam cognitus, sub ratione pleni cunctis perfectionibus simpliciter simplicibus, quęcunquæ ipsæ sint, sic se habet in mente, vt nihil possit menti apparere, vt perfectio simplicitèr simplex; & tamèn Deo negari: ergo Deus non solùm priori; sed etiàm posteriori modo cognitus, est optimus ratione nostra.

61 Ad explicationem eidē confirmationi subiunctam respondeo. Quanuis voluntas, quia est perfectio simplicitèr simplex, includatur realitèr in essentia diuina, quæ realitèr est optima; nō tamèn ex eo, quòd voluntas sit perfectio simplicitèr simplex, necesse est includatur ratione nostra sub expresso cōceptu voluntatis in essentia diuina, quæ etiàm ratione nostra est optima. Ratio sumitur ex dictis. Quia voluntatem esse perfectionem simplicitèr simplicem stat in eo, quòd nequeat non esse in optimo; & quod hinc sequitur, nequeat cognosci, vt talis; & tamē negari optimo. Cum his autèm stare nequit, aliquid esse realitèr optimum; & tamèn realitèr non includere illam. At cum eisdem rectè stat, aliquid esse ratione nostra

nostra optimum, id est, cognosci, vt plenum cunctis perfectionibus simpliciter simplicibus; & tamen adhuc non includere ratione nostrâ voluntatem sub expressa ratione voluntatis: quippè Deus potest cognosci, vt eis perfectionibus plenus; & tamen adhuc non apparere, vt includēs voluntatem, quia nondum hæc appareat, quatenus perfectio simpliciter simplex.

62 Ad quartam confirmationem ex num. 50. eâdem ratione proportionali ratiocinandum erit in *Omniscientia* diuina, *Omnipotentia Dei*; & in essentia diuina, id est, *Omniperfectione simpliciter simplici*. Quamobrē sicut omniperfectio simpliciter simplex includit ratione nostra quālibet perfectionem simpliciter simplicem, sub ratione perfectionis simpliciter simplicis; nullam verò sub ratione suæ quasi specialitatis, nempè sub ratione intellectus, voluntatis, &c; ita *Omnisc ētia* quanlibet scientiam non dicentem imperfectionem includit ratione nostrá sub ratione scientiæ non dicentis imperfectionem: nullam verò sub ratione suæ specialitatis, nimirùm, sub ratione scientiæ possibiliū in Verbo, vel in se ipsis, & sic in alijs specialitatibus. Et similiter *Omnipotentia* quanlibet potentiam non dicentem imperfectionem includit ratione nostra, sub ratione potentiæ non dicentis imperfectionem, nullā verò sub ratione suæ specialitatis, nimirùm, creatiuæ, eductiuę, &c. ¶ Ad quintam ex num. 51. respondeo. Vbi conceptus formalissimus rei exprimit pluralitatem adæquatam perfectionum, res, sub eo conceptu, non solùm imbibit perfectionem primariam; sed omnes; sub eâ tamen ratione, sub quâ exprimuntur eo conceptu formalissimo rei; non sub alijs rationibus: & quia conceptus iste formalissimus Dei: *Plenitudo perfectionis omnis simpliciter simplicis*, ita exprimit omnes perfectiones, vt eas exprimat sub ratione perfectionis simpliciter simplicis; nō verò sub rationibus suis peculiaribus, ideò Deus, sub conceptu formalissimo Dei, imbibit omnes perfectiones sub ratione perfectionis simpliciter simplicis; non verò sub rationibus suis peculiaribus. Sic *vniuersum* sub hoc conceptu: *plenitudo omnium entium nunc existentium* exprimit omnia entia nunc existēria, sub ratione nunc existentium; nō sub alijs specialioribus: idemque in omnipotentiâ, immensitate, æternitate, & alibi sæpè posset explicari, si opus esset.

63 Porrò autem Deus, sub conceptu actus puri, exprimit quidem habere actu; & non pure putè in potentiâ perfectionem omnem simpliciter simplicem; non tamen exprimit, quod in eo

pelago

pelago perfectionum includatur intellectus, voluntas, &c. Ex quibus patet ad confirmationē vltimam ex num. 52. Nam, vt Deus, etiam consideratione nostrâ, sit infinitus, satis est, si in statu nostræ considerationis exprimatur, vt formalitèr; & non solùm eminentèr habens omnem perfectionem simplicitèr simplicem, quamuis peculiaritates earum perfectionum non apertantur: quemadmodum multitudo erit infinita secundùm numerum, etiam consideratione nostrâ, si exprimatur, vt includens, non solùm eminentèr; sed etiam formalitèr innumeras vnitates; tametsi tales vnitates sub rationibus suis specialibus nondum appareant.

CAP. VIII.

Factis quibusdam illationibus, obuiam fit alijs, quæ possunt opponi.

64 EX dictis fit primò. Quãuis casu, quo distingueretur realitèr diuina voluntas ab intellectu Dei, includerētur realiter in essentia Dei intellectus, & voluntas; nunc tamē, sub expressis suis rationibus, non includuntur in essentiâ diuinâ ratione nostra. Ratio est. Nam essentia diuina in statu reali est, nō solùm eminētèr; sed etiàm formalitèr infinitè perfecta realitèr in omni genere: non autem esset sic in omni genere infinitè perfecta realitèr, nisi realitèr inclusâ voluntate. Deinde essentia diuina in statu nostræ considerationis est intentionalitèr, nō solùm eminentèr; sed etiàm formalitèr infinitè perfecta. Vidimus autem num. 57. non esse ad hoc necesse claudere, per nostrã considerationem, intellectum, & voluntatem, sub expressis suis rationibus. ¶ Fit secundò. Quomodo sint, vel non sint intellectus, voluntas, & reliquæ diuinæ perfectiones attributa, vel affectiones superuenientes essentiæ Dei iam præconstitutæ. *Dicendum enim est primò*: Non esse tales affectiones Dei, quatenùs intellectiui, volitiui, omnipotentis, &c. Deũ enim, vt sic sumptum, constituunt; non verò præconstitutum supponunt: sicùt risibilitas constituit hominem, vt risibilem.

65 *Dicatur secundò*. Neque Dei, vt Dei, sunt ratione nostra affectiones positiuè superueniẽtes ipsi præconstituto in ratione Dei, nisi eo improprio modo, quo Deus est ratione nostra corporeus. Ratio est: quia sicùt est fictitium, quòd Deus sit corporeus; & eò præcisè est quodammodo corporeus ratione nostra; quia proptèr nostram imperfectionem concipimus ipsum instar corporis; ita fictitium est, intellectum, & voluntatem, aliasque

aliasque perfectiones reddentes Deum reipsa summè perfectũ, superuenire ipsi iam præconstituto in ratione Dei, id est, in ratione plenissimè perfecti, eoque præcisè quodammodo ratione nostra sic Deo superueniunt positiuè, quia ex nostra imperfectione concipimus illas instar accidentiũ, quæ substantiæ præconstitutæ superueniunt. Vndè tandem: *Dicendum* est, prædictas perfectiones sub expressis suis rationibus esse ratione nostra affectiones superuenientes *negatiuè* Deo, vt Deo, quatenùs ita Deo cõueniunt, vt ipsum nõ constituant in ratione Dei sub expressis suis rationibus. Dixi *in ratione Dei*, quia constituunt ipsum in ratione intellectiui, volitiui &c. sicùt risibilitas hominem in ratione risibilis, vt non semèl dixi. Quibus facilè dilues, quæ superioribus addi possunt ex Mag. Aluiz suprà.

66 Fit tertiò. Tamètsi essẽtia rei, sub tali, vel tali termino significatæ, tradi soleat per genus immediatum, adiuncto sufficienti distinctiuo rei ab omni aliâ: sicùt essentia hominis significati hoc termino: *homo*, traditur per genus *animal*, adiunctâ rationalitate; hoc tamen est, vel quia nomẽ *homo* institutum est, vt substituatur pro illo conceptu formali: *Animal rationale*; vel fortè, quia non tradita essentia hominis per genus immediatũ; sed per remotum, adiuncta rationalitate, hoc pacto: *viuens rationale* non exprimitur homo cõceptu discretiuo ipsius à quolibet alio, cùm etiam Angelus sit viuens intellectuale, & iuxta plures, discursiuus in quibusdam materijs. Cæterùm, cùm Deus satis exprimatur conceptu discretiuo ipsius à quolibet alio, si exprimatur, vt plenitudo perfectionis omnis simplicitèr simplicis; ac deinde nomen *Deus*, vt constat num. 25. ex non contẽnendis indicijs, institutum sit, vt substituatur pro conceptu eius plenitudinis, nihil obstat, quominùs ille conceptus sit essentialis Dei, vt Dei; quòd non exprimat Deum per genus, vel quasi genus immediatum intellectualitatis. Et propter eandem rationem non debet putari incõmodum, non exprimi Deum eo conceptu, vt magis conuenientem cum Angelis, quam cũ alijs rebus.

67 Fit quartò, non esse, cur in essentia Dei ex modo nostro concipiendi includatur intellectualitas, vt eo pacto diuina essentia constituta sit in gradu perfectissimo vitæ. Tùm, quia necesse non est, essentiam rei ex modo nostro concipiendi poni in eo prædicato, quod sit perfectissimum omnium conceptibilium in re. Nam perfectius formalitèr est in homine aggregatum omnium prædicatorum ra-

rationalitatis, risibilitatis, capacitatis addiscendi, virtutis admirativæ, &c. quàm rationalitas seorsim; & tamen non ponitur essentia hominis ex modo concipiendi in eo aggregato; sed in rationalitate cum animalitate coniunctâ. Tùm quia, licèt inter varia prædicata rei discretiua ipsius à quolibet alio, quærendũ esset illud prædicatum, quo nullum sit nobilius, vt in eo ponatur essentia rei; certè Deus nõ minùs apparet, & exprimitur perfectus, cõceptus sub ratione plenitudinis omnis perfectionis simplicitèr simplicis, quàm expressè conceptus sub ratione intellectualis. Et quidem ad inueniendam rei essentiam ex modo nostro concipiendi sub talibus, vel talibus terminis, non est attendendum, quid sit in re perfectius ex modo nostro concipiẽdi: sed quid directè, & per se significetur de re per tales terminos, ac per conceptus, pro quibus isti termini subrogantur, vt constat ex cap. 4.

68 Fit quintò: quomodo essentia Dei includatur, vel non includatur formalitèr ex modo nostro concipiendi in attributis diuinis. Potest enim attributum diuinum triplicitèr spectari. Primò secundùm prædicata Deo, & creaturis communia. Deindè secũdùm prædicata Dei propria; non tamẽ exprimentia formalitèr ex modo nostro concipiendi diuinitatem. Tertiò, quatenùs Deitatem exprimentia. V. g. omnipotentia diuina potest sumi secundùm rationem virtutis productiuę alicuiꝰ creaturæ. Deinde secundùm virtutẽ creandi ex nihilo, quam ponimus esse prædicatum proprium Dei; nondùm tamen aperitur omnipotentia, vt prædicatum diuinum, eò præcisè, quòd cognoscatur tanquam virtus creatrix ex nihilo, quia potest aliqua virtus definiri, & affirmari creatrix ex nihilo, & non explicari; sed negari esse diuinam. Tandẽ quatenùs virtus diuina. Primo modo diuina attributa non includunt formalitèr ratione nostra diuinam essentiam. Patet enim nihil includere formalitèr diuinam essentiam, quâ ratione Deo, & creaturis commune est. Similitèr secundo modo non includunt formalitèr essentiam Dei prædicta attributa. Nam includere formalitèr aliquod prædicatum stat in eo, quòd res includens exprimat in sui definitione tale prædicatum. At attributum Dei in secunda consideratione non exprimit in sui definitione diuinam essentiam: ergo. Tertio modo includunt formalitèr ratione nostra diuinam essentiam. Nam hanc includere formalitèr, est exprimi cõceptu explicante identitatem cum ipsa. At omnipotentia sub conceptu *virtutis diuinæ* exprimitur con-

conceptu explicante identitatem eius virtutis cum Deitate: ergo sub eo conceptu includit formalitèr Deitatem. Sic iam olim explicuimus hãc rem, quam ferè totam propugnatam video a Doctissimo P. Iulio Cœsare Recupito lib. 3. de attribut. q. 11. & 12. ¶ Sextò habetur ex dictis, quomodo essentia diuina claudat; vel non claudat attributa formalitèr ratione nostrâ: claudit enim illa sumpta secundùm rationem perfectionis simplicitèr simplicis; non verò sũpta secundùm suas rationes speciales. Sed de his tract. de Essentia, & attributis.

69 Fit septimò. Quãuis ex parte obiecti intrinseca illa formalitas constituens Deum in esse Dei, sit beatitudo Dei, gaudium Dei de se ipso, dominium Dei, & alia, quæ voluntatem important; tamen nihil incommodi est, Deum, vt Deum, ex modo nostro concipiendi non exprimi sub expressâ ratione beati, gaudentis, dominantis, &c. Sicut nihil incõmodi est nomen *Deus* ex suâ institutione subrogari, nõ pro expressionibus prędictis; sed pro hâc: *Plenitudo perfectionis omnis simpliciter simplicis*. Fateor, nomen *Deus* non rarò significare idem, ac videns, seu intelligens, vel prouidens, vt, post plures alios, obseruat Martinus Albiz tract. de Scientia disp. 2. sect. 5. n. 6. Cæterũ hoc nomen, non adeò proprijssimum est Dei, ac nomen *Qui est*; vt patet ex D. Thom. & Damasc. citatis num. 25. ex quibus etiam patet, nomẽ *qui est* significare plenitudinem inexhaustã omnis perfectionis. Vnde nomen *Qui est* præferendum est alijs quoad significandã Dei essentiam ex modo nostro concipiẽdi. Tãdem, quo pacto, iuxta nostram sententiam non includentem formalitèr ex modo concipiendi intra Dei essentiam ipsum intelligere sub expressâ ratione intellectionis; & ex parte obiecti peræquè includentem volitionem, & intellectionem, quonam, inquam, pacto cum his constet, Verbũ diuinum potiùs, quàm Spiritũ Sãctum, esse filium, exponetur tractat. de Trinitate. Iam verò, tamètsi, neque intellectus, neque intellectio, neque voluntas, neq; volitio, sub his expressis rationibus, ingrediantur Dei essentiam ex modo nostro cõcipiendi; tamen cùm hæc omnia, vt plenè cõstabit ex disp. proximè seqq. sint intrinsecè ex parte obiecti vna simplicissima formalitas, ea omnia intrinsecè ex parte obiecti peræquè constituunt essentiam Dei.

70 Pro complemento huius disp. Obijcies ex P. Herice disp. 12. de Voluntate cap. 2. n. 20. diuinam essentiam non includere, siue ex parte modi concipiendi; siue ex parte obiecti, perfectionẽ

omnem simplicitèr simplicem. Nam, licèt paternitas, sub ratione paternitatis, non sit perfectio simplicitèr simplex, quippè in filio, vbi non est paternitas, datur omnis perfectio simplicitèr simplex; tamen paternitas, sub ratione personalitatis, est perfectio simplicitèr simplex. Nam vbilibèt melius est esse personam, vel personas diuinas, quàm oppositum. At paternitas, neque sub ratione personalitatis ingreditur essentiam Dei: quia nihil paternitatis est in Filio; in quo tamen est integra essentia Dei: ergo essentia Dei, neque ex parte modi concipiendi, neque ex parte obiecti, claudit omnem perfectionem simplicitèr simplicem.

71 Respondetur. Paternitas, neque sub ratione personalitatis identificatæ virtualitèr cum ipsa paternitate; neque sub ratione personalitatis, vt sic, identificatæ virtualitèr cum tribus personalitatibus coniunctim sumptis, esse perfectionem simplicitèr simplicem. Non sub ratione personalitatis, etiam virtualitèr identificatæ cum paternitate. Nam ea personalitas non est in Filio; in quo tamen est omnis perfectio simplicitèr simplex. Non sub ratione personalitatis diuinæ, vt sic (quæ ratio, etiam virtualitèr, identificatur cum tribus personalitatibus diuinis cõiunctim sumptis, sicut ratio hominis, vt sic, etiam virtualitrẽ identificatur cum omnibus singularibus hominibus, vt ex Logicâ constat.) Nam in qualibet personâ diuinâ est omnis perfectio simplicitèr simplex; & nõ in qualibet sũt omnes tres personalitates diuinę cõiũctim acceptę, proindeque neque *personalitas diuina, vt sic*, quæ est ratio, etiam virtualitèr identificata cum tribus personalitatibus diuinis cõiunctim sumptis. ¶ At statim vrgebis, perfectionem esse simplicitèr simplicem esse disiunctiuè vnam, vel plures personas diuinas: id enim, & in quâlibet persona diuina reperitur; & melius est esse vnam, vel plures personas diuinas, quàm neque vnã, neq; plures personas diuinas esse.

72 Huic replicationi respõdetur iuxta ea, quæ de natura disiunctiui diximus disp. 2, Quadruplex est verificatiuũ, quo verum redditur subiectũ aliquod esse vnã, vel plures personas diuinas. Primũ est, esse personam Patris; & hoc modo esse vnam, vel plures personas diuinas non est perfectio simplicitèr simplex, quia Filius, & Spiritus Sãctus, in quibus est omnis perfectio simplicitèr simplex, non sunt hoc modo vna, vel plures personæ diuinæ. Secundum verificatiuũ est, esse personam Filij. Tertiũ, esse personam Spiritus Sancti, & & neque perfectio simplicitèr simplex est, esse his modis vnã, vel

vel plures personas diuinas, quia Pater, in quo est omnis perfectio simplicitèr simplex, nullo ex his modis est persona diuina. Quartum est, esse Deitatem essentialitèr determinatã, vt sit per identitatẽ realem persona diuina, & tres personæ diuinæ: & hic modus essendi personã diuinam est absque dubio perfectio simpliciter simplex, vbilibètque melius est esse hoc modo vnam personam diuinã; vel plures personas diuinas, quàm hoc non esse. Hoc enim nihil est aliud, quã esse Deitatem essentialitèr determinatam, vt in Patre sit per identitatẽ realem vna persona diuina, alia in Filio, & alia in Spiritu Sãcto, & omnes tres personæ diuinæ in omnibus tribus. Hæc nunc sufficiant. Alia, si fortè hìc desunt, dabimus tract. de Essentia, & attributis.

DISPVT. IIII.

De distinctione virtuali intrinseca inter necessariã intellectionem, & amorem necessarium Dei nonnullæ rationes expenduntur.

LOquimur de distinctione virtuali intrinsecâ ex parte rei, & obiecti, vi cuius distinctionis formalitates diuinæ independẽtèr ab operatione intellectus nostri sint aptæ, vt prædicata contradicẽtia suscipiant, sublatâ cõtradictione propositionũ, beneficio talis distinctionis eas formalitates interiacentis. At quia, vt crebrò repetimus, hæc distinctio neganda est inter formalitates diuinas realitèr idẽtificatas, vbi neque supernaturalis fides; neque manifesta ratio naturalis eam admittere cogant, placet, antequam illam inficiemur expressè, fundamenta, quibus extrui posset, diruere. Potissimum autẽ, quod sumitur ex eo, quod Deus ex intellectione suæ bonitatis ad ipsius amorem diriga-tur, sequenti disp. discutietur.

CAP. I.

Referuntur sententiæ Theologorũ, nonnullaq; argumenta pro parte affirmatiua diluũtur.

1 PLerique autores, qui pro vtraque sententia concedente, ac negante distinctionem virtualẽ intrinsecã inter cognitionẽ necessariã, & amorem Dei necessariũ adduci solent, dubiæ mihi mẽtis sunt. Nõ enim accipiunt distinctionẽ virtualẽ harũ formalitatum pro aptitudine, vt re ipsâ independenter ab operatione intellectus suscipiant prædicata contradicentia; sed in alijs sensibus, de quibus præsens sermo nõ est, quos commemorauimus disp. 2. de Scientia, cap. 4. Partis tamen affirmantis di-

ſtinctionem virtualē intrinſecā (iuxta ſenſum, in quo loquimur) inter prædictam intellectionem, volitionemque diuinā certi Autores ſunt Albiz de Sciētiâ, diſp. 2. ſect. 6. & de Trinitate, diſp. 2. ſect. 3. P. Zuñiga de Trinitate, diſp. 3. dub. 6. n. 5. P. Herice diſp. 12. de Volunt. cap. 1. & 2. P. Arriaga de Trinitate diſput. 42. ſect. 5. ſubſect. 3. num. 70. P. Franciſcus de Lugo lib. 1. de Deo vno, diſp. 16. cap. 7. à num. 31. & cap. 9. n. 11. P. Aldrete diſp. 61. de Incarnat. ſect. 4. num. 13. P. Ripalda in manuſcriptis de Voluntate Dei. diſp. 4. ſect. 3. & ſequentibus. Quibus annumera Thomiſtas, præſertim nouiores, necnon Scotiſtas, qui diſtinctionem formalem ex naturâ rei (quæ forsàn vix poteſt diſcerni à diſtinctione virtuali intrinſeca) ponunt inter intellectionem, & amorem diuinum. Pro eâdem parte affirmante ſtant plures, & illuſtres RR. ex noſtris.

2 Pro ſecundâ ſententiâ negante ſtant plurimi Theologi. Primò omnes, qui nolunt prædicatis diuinis realitèr identificatis competere realitèr prædicata contradictoria; ſed ſolùm prout ſubſunt noſtris conceptibus. Qui autores, ferè omnes, præter Scotiſtas, ſunt, ſi loquamur de prędicatis abſolutis, exceptis relatiuis. Secundò, qui diſtinctionem virtualem intrinſecam auerſantur. De quo legi poterunt P. Alarcon 1. p. tractat. 5. diſp. 2. cap. 7. & tract. 3. diſput. 4. cap. 7. Recupitus tom. 1. de Deo, lib. 3. Eandem diſtinctionem ab intellectione, & volitione diuinâ reijcit P. Hemelman tom. 1. titul. 3. diſp. 1. cap. 26. à n. 5. plurimūque fauere videtur P. Suarez in metaph. diſp. 30. ſect. 6. à num. 13. Cui ſententiæ adhærent plures, & præclari RR. ex noſtris, quibus libens ſubſcribo. Sed quia maximâ ex parte noſtra ſententia pendet ab eneruandis argumentis oppoſitæ, placet inde incipere.

3 Igitur pro virtuali diſtinctione prædictarum formalitatum arguitur primò ex D. Tho. & alijs Patribus non ſemel ſignificantibus, pluralitatem perfectionum diuinarum non ſumi præcisè ex imperfectione noſtri intellectus diuerſimodè repræſentantis Deum; ſed etiam ex infinitâ perfectione Dei, qui pelagus eſt omnium perfectionum excogitabilium non dicentium imperfectionem: ergo intellectio, & amor Dei, non ſolùm diſtinguuntur extrinſecè ex modo noſtro concipiendi; ſed etiam virtualiter intrinſecè ex parte obiecti. At in primis argumentum probaret contra pleroſque ex arguentibus, non ſolùm intellectionem, & amorem Dei pluſquàm ratione noſtrâ diſtingui; ſed etiam iuſtitiam, & miſericordiam Dei, nec-

necnon aliæ perfectiones absolutæ diuinæ, cùm æquè plurales sint illarum, ac pluralitas intellectionis, & amoris, non tolùm in imperfectionem intellectus creati; sed etiam in infinitatem Dei reuocetur à PP. Deinde respondeo, illorum mentem esse, non solùm eam pluralitatem fundari in imperfectione nostri intellectus idem obiectum similibus omninò conceptibus repetentis; sed etiam in diuina perfectione, quæ tanta est, vt coniuncta cum imperfectione mentis nostræ vix possit aperiri, nisi dissimilibus repræsentationibus à nobis exprimatur, vt dixi disp. 3. num. 39.

4 Sed contra obijcitur secundò ex P. Ripalda. Illa identitas, & simplicitas ponenda est in diuinis perfectionibus, v. g. in intellectione, & amore, quæ Deo est dignior. At Deo dignior est, quæ secum componit distinctionem virtualem intrinsecam: ergo &c. Minor probatur. Illa identitas, & simplicitas diuinarum perfectionum est Deo dignior, quæ secum componit perfectã æquiualentiam pluralitati perfectionum creaturarum in eo, quod imperfectionem non dicit. At, quanuis in creatis perfectionibus imperfectionem dicat, alteram carere identitate reali cum perfectione alterius; non tamen dicit imperfectionem, ea extrema suscipere prædicata contradicentia, quæ imperfectionem non importent: ideòque diuina essentia, & paternitas suscipiunt prædicata contradictoria, quæ non dicunt imperfectionem, vt communicari, & non communicari filio: ergo illa identitas intellectionis, & volitionis diuinæ dignior est Deo, quæ secum componit, has perfectiones suscipere prædicata contradictoria non dicentia imperfectionẽ, ac proinde, quæ secum componit distinctionem virtualem intrinsecam.

5 At in primis hæc arguendi forma inutilis est, quippe, quæ poterit eodem modo confici ad probandam distinctionem virtualem intrinsecam horum extremorũ: * Essentia diuina. Radix primaria logica attributorũ Dei. * At inter hæc extrema nõ datur prædicta distinctio. Deinde distinguo minorem. Quando dentur prædicata contradictoria, quorũ susceptio necessaria, vel vtilis est ad infinitam perfectionem talium extremorum, concedo minorem; quando non dentur, nego minorem. Ad cuius probationẽ dicatur. Susceptio prædicatorum contradicentium vniuersim accepta non dicit imperfectionẽ, vt patet, cõparatâ diuinâ essentiâ cum relationibus diuinis, hisque comparatis inter se. Cæterùm, non solũ imperfectionem; sed impossibi-

litatem dicit receptio prædicatorum contradicentium in illis formalitatibus diuinis, ad quarum munia, & infinitatem perfectionis ea receptio inutilis est. Cõtendimus autẽ sic inutilẽ esse ad omnia munia, & infinitã perfectionẽ intellectionis, & volitionis. Vnde, quandiù non probetur oppositum, assignatis, in eis formalitatibus, perfectionibus, & muneribus, quæ sine susceptione contradicentium stare non possint, & causa pro nobis est, & est suppositio falsa dicere intellectioni, & volitioni Dei tribuendam esse susceptionem cõtradicentium nõ importantium imperfectionem: quia prædicata contradicentia, quæ cadant supra intellectionem, volitionemque diuinam, non solùm imperfectionem; sed omnimodam etiam impossibilitatem important.

6 Sed contra obijcietur tertiò, esse necessariò admittenda prædicata contradicentia supra intellectionem, volitionemque diuinam. Etenim amor necessarius Dei respicit duntaxat bonum: at intellectio necessaria Dei non respicit duntaxat bonum; sed indiscriminatim bonum, & malum. Confirmatur. Entitas necessaria Dei, quatenùs necessaria cognitio, fertur necessariò ad prædicata essẽtialia formalis malitiæ peccati, ideoque talẽ malitiam denominat cognitam necessariò. At ipsa entitas necessaria Dei, quatenùs necessarius amor, non fertur necessariò ad prædicata essentialia formalis malitiæ peccati, ideoque talem malitiam non denominat amatam necessariò: ergo entitati necessariæ Dei, quatenùs cognitioni, & amori necessarijs, conueniunt prædicata contradictoria. ¶ Prætermissis instantijs afferẽdis postmodùm. Respondeo ad argumentum, intellectionem necessariam diuinã, & amorem necessarium, eodem modo respicere; & non respicere bonum, & malum. Intellectio necessaria respicit bonum, & malum, denominando hæc omnia cognita; & sola bona denominando amata; modoque prorsùs eodem amor necessarius respicit bonum, & malum, vtraque denominando cognita; solaque bona denominans amata. Vbi nulla reperitur contradicentium susceptio.

7 Ad Confirmationem respondeo, distinguo minorem. Si ly *quatenùs* reduplicet formalitatẽ intrinsecã amoris necessarij secũdũ esse intrinsecũ sũpti, nego minorẽ. Si reduplicet illã, prout extrinsecè subest huic nostro conceptui præcisiuo: *amor necessarius*, concedo minorem, & nego consequentiam. Itaque amor necessarius, secundùm suã intrinsecam formalitatẽ amoris necessarij, fertur eo modo, quo

quo necessaria cognitio, ad malitiam formalem, nempè, illam denominando cognitam; non vero amatam: quippè talis amor in statu sui esse intrinseci penitùs est indistinctus à cognitione necessaria. Cæterùm, quâuis entitas necessaria Dei, quatenùs subest intellectui nostro sic intelligenti: *Cognitio necessaria malitiæ peccati*, denominet eam malitiam cognitam; & eadem entitas, quatenùs subest intellectui nostro sic intelligenti: *Amor necessarius*, non respiciat eam malitiam, adhùc ipsi exhibens denominationem cognitæ, non adhùc infertur, eam entitatem diuinam susci pere in se prædicata contradictoria: quia priori illo modo se habere, quatenùs subest primo illi conceptui nostro; posteriorique modo se habere, quatenùs secùdo subest, est præcisè, primum conceptum nobis aperire diuinam entitatẽ modo sufficienti, vt possimus his terminis exprimere entitatem Dei: *Reddit necessariò cognitam malitiam peccati*: secundumque conceptum non aperire nobis eo modo diuinam entitatem: quæ contradictoria aperiendi, & non aperiendi eo modo diuinum *esse*, cadunt supra conceptus nostros realitèr distinctos; non verò supra diuinas formalitates obiectiuas intelligendi & amandi necessariò, prorsùs indistinctas intrinsecè ex parte sui.

8 Sed cõtra obijcietur quartò. Nihil aliud est obiectũ amari, quàm entitatem amoris secundùm formalitatem realem, & intrinsecã amoris (quidquid sit extrinsecè ex modo nostro concipiendi) terminari ad obiectum. At per nos entitas Dei necessaria, quæ est amor, terminatur secundùm formalitatem realem, & intrinsecam amoris ad peccati malitiam: ergo hæc amatur à Deo. Resp. Distinguo maiorem. Præcisè terminari vtcunque ad obiectũ, nego maiorem. Terminari ad obiectum per modum habitudinis constituentis naturam intellectualem inclinatam ad illud, propterea quòd appareat, vt bonum, concedo maiorem. Et quia diuina entitas, quæ amor est, licèt aliquomodo terminetur ad malitiam peccati, secundùm formalitatẽ realem, & intrinsecã amoris, nimirũ, exhibens ei malitiæ denominationẽ cognitæ; non tamẽ ad illã terminatur per modũ habitudinis cõstituentis Deũ inclinatũ ad ipsã, propterea quòd appareat, vt bona, idcircò malitiã peccati minimè Deus amat.

9 Sic eadem indiuisa intrinsecè formalitas productionis, non solùm respicit terminum productum, tribuens ipsi denominationem producti; sed etiam respicit agens, tribuens ipsi denominationem producentis.

Sic eadem indiuisa intrinsecè formalitas cognitionis est habitudo ad principium cognoscēs, & ad obiectum cognitum, & huic præstat denominationem cogniti; illi verò cognoscentis. Sic eadem intrinsecè infectilis existentia amoris reddit amorem, non quidem siue formaliter; siue illatiuè impeditum; sed potiùs existentem; redditque odium, vel formaliter, vel illatiuè impeditum. Sic eadē intrinsecè formalitas omnipotentiæ diuinæ se ipsā est improducibilis à Deo, creaturisque præstat denominationem producibiliū à Deo. Sic tādem, iuxta communiorem sentētiam, eadem indiuisa intrinsecè formalitas materiæ primæ reddit duas formas substantiales simul sumptas receptibiles in ipsa materiā: & non reddit illas simul sumptas; sed seorsim sumptas innatè appetitas: nēpè, quia materia prima est capacitas, saltem obedientialis, receptiua duarum simul; & solū est appetitus innatus cuiuslibet seorsim acceptæ. Similia innumera quiuis adijciet.

10 Sed contra replicabitur quintò. Diuina entitas terminatur ad malitiā peccati per modū habitudinis in genere intellectiuo, nempe, reddendo cognitam eā malitiā. Deinde, nō terminatur ad illam per modum habitudinis in genere affectiuo, nēpè, reddēdo amatā eam malitiam. At hoc ipsum arguit manifestè distinctionē intrinsecā inter hos modos habitudinum: quippè nō stat vno modo terminari, & non alio, nisi modi isti sint vnus, & alius: ergo in entitate diuina habitudo ad obiectum in genere intellectiuo, nimirùm, intellectio, & habitudo ad obiectum in genere affectiuo, nimirùm volitio, distinguuntur intrinsecè, saltem virtualitèr: ergo volentes nolentes incidimus semper in intrinsecam distinctionem virtualem, quam refugimus.

11 Hæc replicatio nimis sophistica est: Cui respondeo, diuinam entitatem necessariam terminari in vno sensu per modum intellectionis, & amoris ad malitiam peccati; & in alio sensu terminari per modum intellectionis, non verò per modum amoris ad eam malitiam. Terminatur per modum intellectionis, & amoris ad eam malitiam in sensu significante diuinam entitatem per se ipsam terminari ad eam malitiam; cùm tamen diuina entitas per se ipsam sit idem indiuisibilis modus se habendi repræsentatiuè circa malitiam, & se habendi amatoriè, non circa malitiam; sed circa obiecta alia: ex quo non fit, Deum aliquo modo malitiam amare; sed eodē entitatiuo modo, quo amat alia, non amare; sed repræsentare malitiam peccati. Rursùs, diuina entitas ter-

terminatur per modum intellectionis ad malitiam; & per modum amoris non terminatur ad ipsam, in sensu significante terminari ad malitiam per modum exhibentem malitiæ denominationem cognitæ; & nō per modum exhibentem malitię denominationem amatæ. Ex quibus vnum sequitur; minimè verò aliud. Sequitur quidē, modum diuinum se habēdi ad malitiam, tribuēdo ipsi denominationem cognitæ, non identificari prorsus cum modo se habēdi ad malitiam tribuente malitiæ denominationem amatæ. Et hoc verisimum est, quia primus modus se habendi circà malitiam est Deo necessarius; posterior autem repugnans. Minimè verò sequitur non omnimodè identificari intrinsecè formalitates intellectionis, & amoris necessarij existentes necessariò in Deo: quippè istæ non sunt formalitates, quæ denominant repræsentatam, & amatam malitiā peccati; sed hanc repræsentatam; & bonitatem diuinam amatam. Quam solutionem, breuitatis ergo, non applico formæ argumenti, & attentus quilibet aptabit facilè.

12 Sed contra replicabitur sextò. Intellectio necessaria Dei circa malitiam peccati, tametsi non habeat omnimodam identitatem, etiam virtualem, cum amore reddente amatam eam malitiam; eam tamē, iuxta nos, identitatem habet cum formalitate amoris necessarij existētis in Deo. Vnde sic infero: ergò talis intellectio non solùm denominat cognitam; sed etiam amatam malitiā peccati. Probatur hæc cōsequētia. Ex eo, quòd detur omnimoda identitas, etiā virtualis, inter scire obiectū, & repræsentare, certè obiectum, quod denominatur scitum, denominatur repræsentatum. Sed etiam est omnimoda identitas, etiam virtualis, inter formalitates necessariò existentes in Deo intellegēdi, & amādi: ergo obiectum, quod denominatur cognitum, denominatur amatum. Cùm igitur malitia peccati denominetur cognita à Deo, denominabitur etiam amata. Ne igitur hoc absurdum sequatur, satius erit dicere, distinctionem virtualem intrinsecam dari inter intellectionem, & amorem diuinum.

13 Præter instantias, quibus ex num. 9. infringi potest hæc replicatio, denuò infringitur: quia repræsentatio scientifica obiecti, & intrinseca quidditas eius repræsentationis sunt omninò idem, etiam virtualitèr; & tamen quidditas intrinseca talis repræsentationis reddit hanc repræsentationē quidditatiuè intrinsecè repręsentationem sciētificam; & hæc ipsa repræsentatio non reddit obiecto denomi-

minationem hanc intrinsecam; sed denominationem extrinsecam sciti: ergo simi iter, quanuis in entitate Dei sint omnino idem, etiam virtualiter, formalitas intellectionis necessariæ, & formalitas amoris necessarij, poterit ea entitas reddere cognitam malitiam peccati; & eadem entitas non reddere amatam eam malitiam; sed amatam reddere bonitatē Dei. ¶ Deinde resp. Concedo antecedens, & nego cōsequentiam. Ad probationem distinguo maiorem. Ex eo præcisè, quod detur omnimoda identitas inter scientiā, & repræsentationem, nego maiorem. Ex eo, & quia idem omnino est in scientia reddere obiecto denominationem sciti, ipsique obiecto reddere denominationem repræsentati, concedo maiorem. Et concessa minori, negatur consequentia. Ratio est, quia, licèt in entitate Dei prorsùs idem sint, etiam virtualiter intrinsecè, formalitas intellectionis necessariæ existentis in Deo, & formalitas amoris necessarij existentis in Deo; non tamen in entitate Dei idem sunt reddere malitiæ denominationem cognitæ, ipsique reddere denominationem amatæ: quippe primum est Deo necessariū, ac naturale; postremum verò repugnans, vt ad replicationem anteriorem dicebamus n. 11.

CAP. II.

Argumenta petita ex mysterio Trinitatis.

14 EX quo videtur vrgentèr probari distinctio virtualis inter intellectionē necessariam, & amorem necessarium diuinū. Ex hac radice primo arguitur cum P. Ripalda, & alijs. Natura diuina distinguitur ex parte obiecti virtualitèr intrinsecè à personalitatibus: ergo etiam ab amore necessario. Antecedens patet. Nam in Patre datur plenè, & integrè diuina essentia; & non datur personalitas Filij. Probatur consequentia. Stat identitas, & summa simplicitas diuinæ essentiæ cum personalitatibus, quanuis ea identitas, & summa simplicitas componat secum distinctionem virtualem intrinsecam essentiæ, & personalitatū. Stat item summa perfectio diuinæ essentiæ, quāuis ea perfectio secum cōponat perfici diuinam essentiā perfectionibus relatiuis personalitatum: ergo similitèr distinctio virtualis diuinæ naturæ ab amore necessario, neque erit contra summam simplicitatem Dei, neque contra summam perfectionem. Non est ergo, cur talis distinctio excludatur.

15 Resp. Transmisso primo antecedente, nec non, quæ dicuntur in antecedente probationis,

nis, negatur consequentia primi enthimematis, paritèrque secundi. Ratio est, quia summa simplicitas, & identitas, inter extrema, est simplicitas, & idẽtitas, quâ maior est impossibilis: inter naturam autem diuinã, & personalitates, non est possibilis maior simplicitas, & identitas, quã secum componens distinctionẽ virtualem intrinsecam, vt ait arguens, de quo suis locis dicemus. At inter naturam diuinam, intellectionem necessariam, & amorem necessarium, possibilis est maior simplicitas, & identitas, quàm secum componens distinctionem virtualem intrinsecam eorum extremorum, nempè, identitas summæ concordiæ in omnibus prædicatis excludens aptitudinẽ suscipiendi contradicentia: quia nulla contradicentia assignabuntur, quæ in talibus extremis suscipi debeant, ac proinde, quandiù non assignentur, causa pro nobis est, distinctioque virtualis talium extremorum impossibilis, & repugnans eorũ simplicitati summæ censenda est. Deinde summa perfectio diuinæ naturæ non postulat, ita includere perfectiones personales, vt non distinguatur virtualitèr ab ipsis, quia, cum hæc indistinctio sit chymærica, nequit esse realis perfectio petita ad summam perfectionem. Cæterùm, quia summa, & infinita perfectio diuina postulat, vt illæ formalitates diuinæ conueniant realitèr in omnibus, & consequentèr non distinguãtur virtualitèr intrinsecè, ad quarũ munia, & perfectionem non requiritur oppositum, prout non requiri in intellectione, ac volitione Dei contendimus: idcircò contra diuinam perfectionem est, eas formalitates distingui virtualitèr intrinsecè.

16 Arguitur secundò. Verbũ diuinũ ideò potiùs, quàm Spiritus Sanctus, est filius, quia Verbo diuino ex vi processionis communicatur intrinseca formalitas intellectionis, in quâ stat natura, & essentia diuina; non autem communicatur ea formalitas Spiritui Sancto ex vi suæ processionis; sed formalitas volitionis, quæ est extra naturam, & essentiam Dei. At hæc non constant absque distinctione virtuali intrinsecâ intellectionis, & volitionis: ergo talis distinctio neganda non est. Respondeo. Constat ex disput. 3. eodem modo volitionem, & intellectionem diuinam cõstituere; vel non cõstituere diuinam naturam, & essentiam. Vnde, licèt ratio, quæ in obiectione assignatur, sit satis plausibilis, vt Verbum diuinum potiùs, quàm Spiritus Sãctus, sit filius; dabimus tamẽ tract. de Trinitate solidiorẽ aliã, quã hic per functoriè inferere non oportet.

17 Arguitur tertio. Non est alia ratio, cur sint duę processiones

nes in diuinis, neque plures, neq; pauciores, nisi quia in Deo duæ duntaxat formalitates, nempe intellectio, & volitio distinguũtur virtualitèr intrinsecè. Rursùs. Vnica ratio, cur intellectio passiua notionalis, nempè Verbum, distinguitur realitèr ab amore passiuo notionali, id est, Spiritu Sancto, est, quia intellectio actiua essentialis, & volitio actiua essentialis distinguuntur virtualitèr intrinsecè. Tandem, vnica ratio, cur Verbum sit principium realitèr producens Spiritum S. est, quia essentialis intellectio est principium virtualitèr producens volitionẽ essentialem: ergo, sublatâ distinctione, & principiatione virtuali intellectionis, & volitionis essentialis, cessat ratio prædictorum omnium. ¶ Respondeo. Sicùt aduersarijs dicere licèt, esse in diuinis duas processiones realitèr distinctas per intellectionẽ, & volitionem realitèr indistinctas, darique Verbum realitèr distinctum ab Spiritu Sancto, & Spiritum Sanctum producens realitèr, quin realiter; sed solùm virtualitèr distinguantur intellectio, & amor, ex quibus istæ personæ procedunt, & similitèr volitione essentiali non productâ realitèr; sed solùm virtualitèr ab intellectione essentiali; cur nobis similitèr non licebit dicere, eadem dari citra distinctionem, & productionem, adhùc virtualem, inter intellectionem, & volitionem essentialem? Et quidẽ in creatis ab eodẽ indiuiso principio fluere possunt res distinctæ realiter, & inter se seruantes ordinem producentis, & producti. Nam iuxta plurium opinionem non impugnatam ab alijs ex eo capite, eadem entitas indiuisa animi rationalis est principium intellectionis, & volitionis, & hæc producitur ab intellectione. Dicatur ergo rationem eorum, quæ in argumento tanguntur, non esse petendam ex distinctione virtuali intrinseca inter intellectionem, & volitionem essentialem; sed vel ex alijs coniecturis, ũ quæ sunt, de quo tract. de Trinitate, vel, quod certius videtur, purè ex fide diuina. Nam rationi naturali non solùm est imperuia identitas vnius essentiæ cum tribus personis; sed etiã an cum tribus, an cum duabus, an cum quatuor? Item an cum habentibus, vel non habentibus ordinem producentis, & producti? Non posse hæc demonstrari ratione, sentiunt Didacus Ruiz, Zuñiga, Arriag. & alij citandi eo tract.

18 Arguitur quartò efficacius. Verbum diuinum re ipsa, & independentèr à nostris conceptibus procedit potiùs per intellectum, quàm per voluntatẽ; contra verò Spiritus Sanctus per voluntatem potiùs, quàm per intellectum. Sed ad hoc requiritur

tur intellectum, & voluntatem re ipsa independenter à nostris conceptibus distingui, saltem virtualiter intrinsecè: ergo sic distinguuntur. Minor, & consequutio patent. Maior probatur primò testimonijs Conciliorū, & PP. sæpè repetentium Verbū procedere per intellectum, & nō per voluntatem. Videātur apud P. Ruiz de Trinitate, disput. 93. sect. 1. & 2. & disput. 94. sect. 2. Confirmatur. Nam, vt habes apud P. Ruiz loco proximè citato, n. 7. Author libri 65. qq. ad Orosium (apud Augustin. tom. 4.) inde probat Patrem non genuisse voluntate, quia: *Præire voluntas sapientiam non potuit.* Rursùs. Concilium Toletan. 11. in confessione fidei cōparans cum generatione volūtatem, ait: *Neque voluntas sapientiam præuenit:* ergo Verbum producitur per intellectum, & non per voluntatem, &, vt hoc ita sit, necesse est voluntatem non dari pro priori originis ad Verbum: cumque pro eo priori detur intellectus, patet, intellectum, & voluntatē ex parte obiecti distingui virtualiter intrinsecè.

19 Secundò probatur eadem maior. Re ipsa, & independenter à nostris conceptibus Verbum diuinum præ Spiritu Sancto habet rationem Verbi pertinentis potiùs ad ordinem sapientiæ intellectualem, quàm ad ordinem voluntatis affectiuum; ideòque dicitur sapientia genita, de quo videndi sunt Patres apud P. Ruiz de Trinit. disp. 58. sect. 4. Sed ad hoc requiritur, Verbum diuinum re ipsâ, & independenter à nostris conceptibus procedere potiùs per intellectū, quàm per voluntatem: ergo sic procedit. Minorem probo. Nam ex parte termini peræquè Spiritus Sanctus habet intellectionem essentialem, ac illā habet Verbum: Item, sicut personalitas Spiritus Sancti, vt condistincta à prædicatis essentialibus communibus toti Trinitati, non est intellectio; sic intellectio non est personalitas Verbi, vt condistincta ab eis prædicatis essentialibus, vt tenet communis opinio tract. de Trinit. ergo, vt Verbum diuinum præ Spiritu Sancto habeat rationem Verbi, requiritur, quòd ex parte principij Verbum diuinum re ipsâ, potiùs quàm Spiritus Sanctus, procedat per intellectum. Declaratur ampliùs. Spiritus Sanctus, & Verbum diuinum, inspectis prædicatis essentialibus, vt condistinctis à personalibus, habent intellectionē, & volitionē essentialem, & vterque re ipsâ habet æquè primò vtramque: quia, cū adhuc virtualiter, identificentur, non est locus, vt alia magis primariò, & alia minùs primariò habeatur. Deinde, inspectis personalitate Verbi, & Spiritus Sancti, non magis alia, quàm alia est

in

intellectio. Tandem re ipsa, & independenter à nostris conceptibus, ex parte principij intellectus, & voluntas, quæ, etiam virtualiter identificantur, peræquè sunt principium vtriusque personæ. Quomodo ergo re ipsa, & independenter à nostris cõceptibus habet Verbum diuinum præ Spiritu Sancto rationem Verbi?

20 Propter hoc argumentũ propendebam olim in arguentis sententiam, quanuis illi nunquam assenserim plenè. Nunc tamen accuratiùs re perpensa, non mihi videtur hoc argumentum satis firmum. Sed antequã illud soluam, obseruo cum Recentioribꝰ mihi cõiunctissimis, omnes antiquos Patres, & scholasticos, teste eruditissimo Patre Ruiz tomo de voluntate, disp. 1. sect. 3. à n. 1. & tomo de scientia, disp. 8. per quinq; priores sectiones, sentire Verbũ diuinũ re ipsa, & ex parte obiecti procedere per illud prædicatũ diuinum, quod vocamus voluntatẽ. Depromo cum Recẽtioribus hæc testimonia ex doctissimo illo Ruizio iure cum sanctis PP. comparando propter eximiam sanctitatẽ vnà cum præstantissimâ doctrina cõiunctã; poteritque, qui velit, plura alia proferre ex eodem, disp. 93. de Trinit. S. Iacobus Apost. apud Clement. Rom. lib. 8. cap. 12. & 16. *Generasti* (Pater Æternè) *voluntate, virtute, & bonitate immediatè Filium.* Concilium Toletanum 15. in confessione fidei: *Secundùm essentiam voluntas genuit voluntatem. Filius est voluntas ex voluntate.* Cyrillus Alex. lib. 1. thesauri cap. 8. *Solus Filius sapientia Patris est, ipse quoque voluntas eius* * reddítque rationem * *in sapientia enim Dei velle ipsius est.*

21 Porrò autem, quia in rebꝰ dogmaticis, tam rẽ ipsa satis constet, oportet cautissimè loqui, vocatq; P. Zuñiga de Trinitate, disp. 3. dub. 6. n. 5. principium fidei: *Deum gignere intellectione, & spirare volitione; non autem contra*: idcirco, ad argumentum ex num. 18. resp. hanc propositionẽ esse veram in sensu formali. *Deus generat per intellectum, & non per voluntatem.* Falsa tamen est, quoad secundã partem, in sensu materiali, & identico. Nam in hoc sensu significat, Deum realiter non generare per realitatem voluntatis; benè tamen per realitatem intellectus, idque falsum est, quia re ipsâ nulla prorsùs est distinctio inter intellectum, & voluntatem diuinam: & quia sensum hunc realem, materialem, & identicum reddit illa maior argumenti propositio * Procedit potiùs per intellectum, quàm per volũtatem re ipsa, & independenter à nostris cõceptibus * Ideo maior hæc est falsa. At in sensu formali verũ est: *Deus generat per intellectum, & non per voluntatem:*

vt

vt optimè obseruatũ reperio apud nostrum Eximiũ Doct. Suarez in metaph. disp. 30. sect. 6. n. 14. & 15. Ratio est, quia sicut hęc propositio in sensu formali est vera. *Lux solis calefacit secundũ virtutẽ calefactiuam; non secundũ exsiccatiuam*; non quia calefacere prodeat re ipsa à realitate virtutis calefactiuæ, & non à realitate virtutis exsiccatiuæ: hoc enim est impossibile, cum vtraq; virtus, in sensu reali, sit vna simplicissima realitas; sed quia calor cognitus, vt à luce procedens, aperit nobis immediatè lucẽ sub hac expressione: *Lux habet virtutem calefaciendi*; nõ autem sub hac: *Lux habet virtutem exsiccãdi*; contra verò siccitas cognita, vt à luce procedens; ita similitèr hæc propositio vera est in sensu formali: *Deus generat per intellectum, & non per voluntatem*: non quia Verbum diuinum genitum procedat re ipsa à realitate intellectus, & non à realitate voluntatis, quod impossibile est propter omnimodam idẽtitatem realem intellectus, & voluntatis diuinæ; sed quia Verbum diuinum cognitum à nobis, vt Verbum à Deo Patre procedens, detegit nobis directè, & immediatè Patrem, sub hac potiùs expressione: *Pater est principium intelligens*, quàm sub hac: *Est principium volens*, vt statim constabit. Ex quibus facilis est concordia SS. Pp. Quãdo enim dicunt, Verbum esse ex voluntate, loquuntur in sensu materiali; quando verò negant ex voluntate esse; & affirmant ab intellectu procedere, sermo est in sensu formali.

22 Ad argumentum ex num. 19. quo probatur maior negata num. 21. in primis non sufficit procedere potiùs viâ intellectuali, quàm affectiuâ ad rationem Verbi. Nam & ipse primus amor obiecti, & habitus relicti ex intellectionibus ad intellectiones similes faciliùs excitãdas, procedunt potiùs ex intellectione, quàm amore; & tamen rationem Verbi nõ habent. Vnde fateri tenentur ipsi arguẽtes, non satis in Verbo diuino rationem Verbi explicari eò præcisè, quòd viâ intellectionis potiùs, quàm amoris viâ proceuat. Igitur argumenti maiore concessa, negatur minor. Ad probationem, concesso antecedente, negatur consequentia. Nam, licèt Verbum diuinum, & Spiritus S. parilitèr se habeant in illis, quæ ibi assignantur, explicari adhùc potest, cur Verbum habeat præ Spiritu Sancto rationẽ Verbi. Missisque multis, quorum tract. de Trinit. meminerim, si necesse sit. Dicendũ mihi videtur, ideò Verbũ diuinũ habere potiùs, quàm Spiritus S. rationem Verbi, quia licet vtraque persona æquè primò accipiat à suo principio producente in-

intellectionem, & volitionem, cùm istæ omnibus modis intrinsecè ex parte obiecti identificẽtur; tamen personalitas Verbi, ex sua ratione speciali, & propriâ secundæ personæ, potiùs explicat eam personam, quatenùs accipientem à suo principio intellectionẽ quàm prout accipiẽtẽ ab eodẽ principio volitionẽ. Est dicere Personalitas Verbi secundùm rationem specialem, quam ponit in Verbo condistinctam à prædicatis communibus alijs personis, potiùs est per se demonstratiua secundæ personæ sub hac expressione: *Hæc persona accipit intellectionem à suo principio producente*; quàm sub hac: *Hæc persona accipit volitionem à suo principio producente.*

23 Quòd si vberiorem huius rei explicationem desideres, poterit sic tradi. Personalitas Verbi, tamètsi secundùm suam specialem rationem claritate diffinitiuâ cognoscatur, non importat necessariò hanc expressionem: *Hæc persona accipit intellectionem, & eodem modo volitionẽ à suo principio producẽte*; sed hanc aliam: *Hæc persona accipit intellectionem à suo principio producẽte.* Eâdemque proportione seruatâ, personalitas Spiritus Sancti, tamètsi secundùm suam specialem rationem claritate diffinitiuâ cognoscatur, non importat necessariò hanc expressionẽ: *Hæc persona accipit volitionem à suo principio producente, eodemque modo intellectionem*; sed hanc aliam: *Hæc persona accipit volitionem à suo principio producente.* Quo fit, personalitates illas per se præcisè sumptas, vt cognitas diffinitiua claritate, non aperire, personam vtramque accipere eodem modo re ipsâ, & ex parte obiecti, à suo principio intellectionem, & volitionem; sed alteram ostendere, secundam personam accipere intellectionem; aliam verò explicare, tertiã personam accipere volitionem. Quapropter, quod vtraque persona, re ipsa, intrinsecè, & ex parte obiecti loquendo, eodem modo accipiat intellectionem, & volitionem, non aperitur ex vi præcisè penetrandi claritate diffinitiuâ prædictas personalitates; sed ex eo, quod aliunde innotescat, adeo intellectionẽ, & volitionem necessariam idẽtificari, vt neque virtualitèr intrinsecè, neq; vllo modo distinguantur in se ipsis ex parte obiecti.

24 Sic in diuinâ essentia re ipsa, & ex parte obiecti virtualitèr, & omnibus modis identificantur prædicatum Deitatis, & prædicatum aptitudinis, vt idẽtificetur cum tribus personalitatibus realitèr distinctis; & tamen, nisi aliũde innotescat omnimoda talium prædicatorum identitas, certè, iuxta vnanimẽ Theologorum sententiam, ex vi

vi præcisè cognoscendi claritate diffinitiua creaturas, vt creaturas, apparebit Deus, vt Deus; non tamen sub expressione apti, vt identificetur cum tribus personalitatibus realitèr distinctis. Sic, si possibilis est substantia supernaturalis, omnibus modis identificantur re ipsa, & ex parte obiecti in omnipotentia diuina prædicatum virtutis actiuæ infinitæ, & prædicatum virtutis productiuæ substantiæ supernaturalis; tamen, licèt Deum creare Angelum ex nihilo declaret satis Deum, iuxta communem sententiam, sub expressione vigentis infinita virtute; non tamen sub expressione vigentis actiuitate ad productionem substantiæ supernaturalis. Vnde, nisi talium prędicatorum omnimoda identitas sit aliundè nota, certè ex creatione rei ex nihilo, non aperieturDeus, quatenùs actiuus substantiæ supernaturalis. Addi facile possent plura alia exempla. Vide num. 21.

(*)

DISPVT. V.

Euersis firmioribus fundamẽtis, quibus intellectionis, & amoris distinctio virtualis intrinseca nititur, indistinctic protegitur.

CAP. I.

Proponitur fundamentum principale.

1 QVod potissimùm petitur ex eo, quòd voluntas Dei dirigatur ex intellectione necessaria suæ bonitatis ad amorem necessarium ipsius. Arguitur sic. Intellectio necessaria Dei præcedit re ipsa, & intrinsecè ad amorem necessarium Dei. At non prioritate reali formali, quippè talia extrema non distinguuntur realitèr formalitèr: ergo prioritate virtuali. Cùm igitur iuxta proportionem, quâ vnum extremum præcedit aliud, distinguatur ab illo, patet, intellectionem Dei distingui virtualitèr ab amore. Sola maior difficilis est, quæ sic probatur. Re ipsa, & intrinsecè, neque solùm fictitiè, & ex nostro imperfecto modo concipiendi, ideò potius

Deus se amat, quia se cognoscit; quàm è contra. Sed hoc non stat sine prioritate re ipsa, & intrinsecè intellectionis ad volitionem: nihil enim inuenies, in quo id cõsistat, præter eam prioritatem: ergo datur ea prioritas. Maior patet ex Anselmo in monologio, cap 48. illis verbis. *Palã certè est rationem habenti, eum* (nempè Deum) *non idcircò sui memorem esse, aut se intelligere, quia se amat; sed ideò se amare, quia sui meminit, & se intelligit.*

2 Confirmatur primò. Nam, vt ait vulgare proloquium: *Nihil volitum, quin præcognitum.* Ergo prioritatem habet cognitio respectu amoris; potiùs quàm contra. Sed hæc prioritas in casu nostræ disputationis non consistit in connexione: quia sicut cognitio necessaria Dei connectitur cum amore necessario; sic, & iste cum cognitione necessaria. Stat ergo talis prioritas in aliquo influxu, saltem virtuali cognitionis in amorem: eiusmodi autem virtualis influxus non constat sine distinctione virtuali: ergo. *Secundò.* Sicut cognitio, quæ voluntatem dirigit ad amorem liberum, est indifferens ad amorem, & non amorem, constituitque voluntatem liberam ad amandum; ita cognitio, quæ voluntatem determinat ad amorem est connexa cum amore, constituitque voluntatem necessitatam ad amandum. Deinde, sicut libertas voluntatis ad amorem præcedit ad actualem amorem liberum; ita necessitas voluntatis ad amorem præcedit ad actualem amorem necessarium. At intellectio necessaria Dei necessitat voluntatem Dei ad amorem: ergo habet prioritatem, saltèm virtualem, & consequentèr distinctionem virtualem respectu amoris. *Tertiò.* Nam ad perfectionem amoris spectat ratio voluntarij: ergo necessarius amor Dei est voluntarius. Cùm igitur de ratione voluntarij sit procedere à principio intrinseco, quatenùs instructo cognitione, sic talis amor procedet, saltem virtualitèr, à cognitione, & consequentèr ab illâ distinguetur, saltem virtualitèr.

3 Hoc argumentum malè vexat Recentiores. Nonnulli respondent primò, diuinam volitionem esse à cognitione diuina: quia volitio Dei est volitio substantialis *existens à se ipsa*: cùm igitur ipsamet sit cognitio, patet, existere à cognitione. Sed contra. *Primò.* Quia volitio Dei ita existit à cognitione, vt cognitio non existat à volitione, vt patet ex Anselmo num. 1. At secundùm solutionem datam, sicut volitio est à cognitione; ita cognitio est à volitione: ergo solutio est nulla. Minor probatur

batur: quia sicut volitio est existens à se ipsa, & ipsa est cognitio; ita cognitio est existens à se ipsa, & ipsa est volitio. At, per te, illud primum præstat, volitionem esse à cognitione: ergo secundum æquo iure præstabit, cognitionem esse à volitione. *Secundò.* Nam, vt facilè constabit perpendenti, solutio data nequit aptari confirmationibus positis num. 2. *Tertiò.* Nam aliud est, amorem Dei esse negatiuè à cognitione. Aliud, esse positiuè ab ipsa in genere directiuo. Primum est, ita identificari cum cognitione, vt non procedat positiuè ab alio distincto à cognitione: in quo non inuoluitur esse positiuè à cognitione, vt constat. Secundum est, cognitionem determinare Deum ad amorem potiùs, quàm contra. At solutio data, licèt primum explicet; non tamen secundum: ergo est insufficiès. Inde. *Quartò.* Nam, iuxta solutionem datam, non dicitur in veriori sensu, volitionem esse à cognitione, quàm volitionem esse ab alio distincto realitèr à cognitione diuina. Quis autem non videat, sensum adeò laxum, & improprium non sufficere ad explicandam directionem cognitionis ad amorem? Sequela probatur. Nam, iuxta solutionem datam, volitio, neque est positiuè à cognitione, neque est positiuè ab alio realitèr à cognitione distincto. At negatiuè est à cognitione. Deinde negatiuè est ab alio realitèr à cognitione distincto: igitur vtrumque dicitur in sensu peræquè vero; vel non vero. Secũda minoris pars, quæ sola difficilis est, probatur. Vt sit negatiuè à cognitione sufficit, per te, non esse positiuè ab alio, quod à cognitione distinguatur: ergo, vt sit negatiuè à distincto realitèr à cognitione, sufficiet, non esse positiuè à cognitione.

4 Respondebis secundò, causalem illam: *Ideò Deus se amat, quia se intelligit; & non è contra*, non aliter esse veram, nisi quatenùs Deus se intelligens, & amans æquiualet intellectioni, & volitioni creatæ, quarum prior est principium volitionis; cùm tamen hæc non sit principium intellectionis. At contra est. Vel enim re ipsa, & independenter à modo nostro concipiendi est æquè verum, Deum amore suæ bonitatis dirigi ad cognitionem eiusdem bonitatis, ac verum est, Deum cognitione suæ bonitatis dirigi ad amorem eiusdem; vel non est vtrumque pariter verum independenter à nostro modo concipiendi? Si dicatur secundum: ergo intellectio, & volitio Dei distinguũtur virtualiter intrinsecè: quia cognitioni cõpetit diri-

gere ad amorem; idque non est amorem dirigere ad cognitionem, prout reuera esset à parte rei, nulla distinctione, adhùc virtuali, data ex parte rerum inter cognitionem, & amorem. Si dicatur primum: ergo, sicut verum est, re ipsa, Deum, vt se amet, dirigi cognitione suæ bonitatis; ita re ipsa verum erit, Deum, vt se cognoscat, dirigi amore suæ bonitatis. Quod tamen Anselm. iam citatus meritò putauit irrationale. Iam verò re ipsa, & independenter à nostro modo concipiendi, verum esse, Deũ, vt se amet, dirigi notitiâ suæ bonitatis, patet. Nã amor Dei erga se verus est, & proprius distinctus à metaphorico, & purè innato. De ratione autem proprij amoris est existere per directionem cognitionis ostendentis obiectum amandum.

5 Respondebis tertiò ex acutis, & perdoctis Recentioribus propiùs ad veritatem accedentibus, volitionem diuinam verè, & ex parte rei dirigi ab intellectione sine vlla intrinseca distinctione intellectionis à volitione. Quod explicatur sic. Nam actus diuinus, qui simul est intellectio, & volitio diuinæ bonitatis, talem habet suapte natura tendendi modum, vt ideò verificetur: *Deũ se amare, quia se cognoscit*, quia, inspecto obiecto cognito, & amato, tale obiectũ non posset mouere ad amorem, nisi imbiberet rationem cognoscibilis; at è contra, tale obiectum habens rationem cognoscibilis, per se sufficeret ad mouendum ad sui cognitionem, tamèt si nõ haberet simul rationem amabilis. Quo fit ex parte obiecti cogniti, & amati, cognoscibilitatẽ, & veritatem esse obiectum primarium eius actus diuini; secundarium autem amabilitatem, & bonitatem, atque adeò potiùs vera est ex parte rerum causalis hæc: *Quia Deus se cognoscit, se amat*; quàm hæc: *Quia se amat, se cognoscit*. Iam verò benè ista cõstare sine distinctione intrinseca cognitionis, & volitionis, ostenditur: nam hæc tota quanta diuersitas refundi potest in extrinseca, nimirũ, in conditiones obiectorum, & potentiæ; quæ vno tendendi modo se exerceret, nẽpè, intellectuali, datâ præcisè ex parte obiecti peculiari quâdã ratione, nimirũ, cognoscibilitate, & veritate, eaque potentia se exerceret alio tẽdẽdi modo, nẽpè, affectiuo, nõ alitèr quã simùl datis ex parte obiecti cognoscibilitate, veritateq; necnõ amabilitate, ac bonitate. Quod varijs exẽplis declarari potest cõmodiùs afferendis pro veriori solutione.

6 Præfata solutio mihi difficilis est. Sed, vt clariùs proponam, quæ cõtra illã exsurgunt: obseruo, iuxta verã sentẽtiã R.R. cum qui-

quibus agimus, sicut intellectio necessaria, volitioque necessaria Dei nō distinguuntur virtualitèr intrinsecè; ita non distinguuntur intellectus, & voluntas Dei, & similitèr cognoscibilitas necessaria passiua Dei, & ipsius amabilitas necessaria: quippè fortiora sunt argumenta pro distinctione virtuali intrinseca intellectionis, & volitionis, quàm pro distinctione aliorum extremorū, quæ assignauimus. Hoc posito, sic argumentor contra præfatam solutionem. Nō minùs intellectio diuina necessaria, quæ de facto datur, exigit per se, quòd ex parte Dei cognoscibilitas ipsius cōiungatur cum ipsius amabilitate; quàm volitio diuina necessaria, quę de facto datur, exigit per se quod ex parte Dei amabilitas ipsius cōiungatur cū ipsius cognoscibilitate: ergo comparatiuè ad cognitionem, & amorem necessarium Dei re ipsa existentes, æquo iure amabilitas est obiectum primarium, ac cognoscibilitas, & æquo iure verificatur, Deum se cognoscere, quia se amat, ac se amare, quia se cognoscit. Consequentia patet. Nam ideò solùm ad actum cognitionis, & amoris re ipsa existētis posset primariò mouere cognoscibilitas præ amabilitate, ideoque fundare potiùs Deum se amare, quia se cognoscit, quā contra, quia talis actus non tàm petat cognoscibilitatem cum amabilitate coniunctā, quā amabilitatē coniunctā cum cognoscibilitate. Antec. igitur prob.

7 Tùm quia, sicut volitio diuina Deum amat propter suam amabilitatem cognitam, & hoc per se exigit amabilitatem diuinam coniunctam cum cognoscibilitate; ita diuina intellectio, quæ re ipsa existit, Deo notificat modo infallibili, Deum ipsum non solùm esse cognoscibilem; sed etiam summè amabilē. Hic autem notificandi modus, non minùs quàm ille modus amādi, petit per se amabilitatē coniunctam cum cognoscibilitate. Tū quia cognitio, quæ re ipsa existit in Deo, determinat per se ipsam, & necessitat Deum, vt se amet, ex eo, quòd ipsi clarissimè proponat suā infinitā amabilitatē: ergo talis cognitio per se petit amabilitatem cum cognoscibilitate cōiunctā. Tum quia secluſa distinctione virtuali intrinseca inter Dei intellectionem, & volitionē, quidquid volitioni conuenit, & eo modo, quo conuenit ipsi volitioni, conuenit intellectioni. At volitioni conuenit, ita per se esse amorem Dei propter diuinam amabilitatē cognitam, vt per se petat amabilitatē cum cognoscibilitate diuina cōiunctam. ergo intellectioni conuenit, ita per se esse amorē Dei, vt per se id ipsum petat.

8 Argumētor secundò, petito argumento ex obiectis. Quem-

admodum identificantur, etiam virtualitèr intrinsecè, intellectio, & volitio Dei; ita similitèr idētificātur cognoscibilitas passiua Dei cum ipsius cognoscibilitate, & amabilitate passiua simul sumptis. At, quia intrinsecè ex parte rerū in actu diuino prorsùs idē sunt intelligere, & amare, implicat, quòd ex parte rei prædicatū intelligendi sit potiùs ratio amādi, quàm cōtra: ergo, cum ex parte rerū sint prorsùs idem, etiam virtualitèr, cognoscibilitas Dei, & cognoscibilitas, ac amabilitas simul, repugnabit, quòd ex parte rei sola cognoscibilitas sit obiectū primariū eius actus diuini; secundariū autem, vel amabilitas sola, vel simul cū cognoscibilitate. Vnde nequit ex obiectis sumi, verā esse potiꝰ causalē illām: *Quia Deus se cognoscit, se amat*, quàm cōuersim. ¶ Tertiò, similitèr argumentū ducitur ex potētiâ. Nā, vt in actu diuino idē prorsùs sunt, etiā virtualitèr, intelligere, & velle; ita in diuina facultate intelligēdi, & amādi, nullatenꝰ est, aut esse potest aliud, & aliud, adhùc virtualitèr, se exercere intelligēdo, & se exercere volēdo. Sed ea vis est prioris identitatis, vt in quacūq; ponatur hypothesi existere actū diuinū, qui re ipsa datur in Deo, ponatur existere volitionē: ergo ea vis esse debet posterioris idētitatis, vt in quacumq; ponatur hypothesi potētiā, quæ datur in Deo, se exercere intelligēdo, ponatur etiam se exercere amādo. Vnde nequit sumi, verā esse potiùs causalē illā: *Quia Deus se cognoscit, se amat*, quàm conuersim, ex eo, quòd in aliqua hypothesi facultas intellectiua Dei se exerceret intelligendo Deum, & non amando. Quapropter timeo in præfata solutione, distinctionem virtualē intrinsecā, quę toti prętēditur ab intellectione, & volitione, transferri latentèr ad alia extrema diuina non minùs indistincta.

9 Sed recurres ad modum tēdēdi actus diuini, cui, me quidem iudice, debemus vnicè inhærere, qui distinctionē omnem intrinsecā negamus intellectioni, & volitioni diuinis. Dices igitur, modū tendēdi actus diuini, qui simul est per omnimodam idētitatē intellectio, & volitio, talem esse, vt suapte naturâ intrinseca satis denotet, quòd, si per impossibile Deus esset cognoscibilis, & nō amabilis, Deus ipse intelligeret se ipsum; cū tamen nō se amaret, nisi simul amabilis, & cognoscibilis esset. Hic autē tendēdi modus realis, & intrinsecus intellectioni, & volitioni diuinis, sufficiens est, vt realitèr, & intrinsecè sit potiùs verū: *Quia Deus se cognoscit, se amat*; quā cōuersim. Id, quod explicari potest exēplis afferendis capit. 2. pro solutione firmiori. Sed cōtra est. Sumamꝰ hęc duo.

Pri-

Primũ: * Si per impossibile Deꝰ esset cognoscibilis, & nõ amabilis, Deus ipse intelligeret se ipsũ. * Secundum: * si per impossibile Deus esset cognoscibilis, & nõ amabilis, Deus ipse nõ intelligeret se ipsum. * Tunc sic. Modus tendendi actus diuini, qui simul est per omnimodã identitatẽ intellectio, & volitio, vel suapte natura neutrum ex his denotat; vel æqualitèr denotat vtrunque. At, per te, quia suapte natura denotat primũ, ideò inteligere est ratio amãdi, potiùs quàm contra: ergo, quia suapte natura denotat secũdũ, nõ magis intelligere erit ratio amandi, quàm amare intelligendi.

10 Maior, in qua stat difficultas, probatur. Nõ minùs summa identitas Dei cum sua amabilitate infert, quòd Deus deficeret, deficiente ipsius amabilitate, ac proinde, quòd sub ea hypothesi nihil exerceret, nihil cognosceret; quàm summa intellectualitas Dei infert, quod Deus se cognosceret, si esset cognoscibilis, tamètsi non esset amabilis. At hoc postremũ est fundamẽtum, in quo nititur, quòd Deus ipse intelligeret se ipsum, si per impossibile cognoscibilis esset, & nõ amabilis: ergo primũ illud erit æquale fundamentũ, in quo nitatur, quòd Deus nõ intelligeret se ipsum, si nõ esset amabilis; sed purè cognoscibilis. Cũ igitur modus tendẽdi diuini actus, qui simul est intellectio, & volitio, nõ minùs respiciat Deum, vt per omnimodã identitatẽ cognoscibilẽ, & amabilẽ; quàm vt infinitè intellectualẽ, fit ex modo suo tendendi, vel neutrã ex illis cõditionalibus denotare; vel vtrãque paritèr. ¶ Vrgetur hoc, vt præcludantur effugia. Quãdo enim dicitur, quòd se Deus intelligeret, si per impossibile cognoscibilis, & nõ amabilis esset, vel loqueris de hoc vero Deo, vel de alio confícto? Si primũ, vrgẽt satis strictè, quæ nupèr posuimꝰ. Si secundũ, cõtra est, primò Nã, per te, vt sit obiectũ primarium diuini actus cognoscibilitas præ amabilitate, sufficit, quòd ab alio Deo cõficto diuinũ *esse* cognoscereturꝰ, etsi solã cognoscibilitatem; non autẽ amabilitatem haberet: ergo, vt peræquè amabilitas, & cognoscibilitas diuini *esse* sint obiectũ primariũ diuini actus, sufficiet, quòd ab hoc Deo vero diuinũ *esse* nõ cognoscereturꝰ, si diuinũ *esse* solã cognoscibilitatem, & non amabilitatem haberet.

11 Et quidem mirum esset pensare, quodnã sit præ alio primarium obiectum diuini actus ex illis potiùs, quæ in ordine ad Deum chymæricũ denotat modus tendendi talis actus, quàm ex illis, quæ denotat in ordine ad Deum verum. Idem secundo firmatur. Sicùt cognitio necessaria Dei est actus Dei, qui

essentialiter est infinitè intellectiuus; ita & actus Dei, qui essētialiter nequit aliter cognoscere diuinum *esse*, quàm vt simul verum, & bonum. At hic actus iure prioris rationis, denotat suapte natura, quòd Deum intelligeret, quanuis solùm cognoscibilem, Deus infinitè intellectiuus: ergo idem actus, iure posterioris rationis, denotabit ex se, quòd non intelligeret Deum cognoscibilem tāturū, Deus, qui essentialiter nequit aliter cognoscere diuinū *esse*, quā vt simul verū, & bonū: vel alijs terminis, vt simul cognoscibilem, & amabilē. Cur ergo non dicetur, modum tendendi actus denotantē hoc posterius, satis esse, vt æquè bonitas, ac veritas sint obiectum primarium eius actus, sicut per te modus tendendi denotans illud prius, satis est, vt veritas, potiùs quàm bonitas, sit obiectum primarium? Constet ergo, præfatā solutionem, nisi aliter explicetur, non satis rem præsentē expedire, siue ad obiecta, siue ad potentiam, siue ad modum tendendi actus te conuertas.

CAP. II.

Firmior solutio.

12 VT in re difficili planior sternatur via, duo breuitèr obseruanda sunt. Primum est, quod iam prænotauimus, tract. de Scientia Dei, disp. 3. c. 3. maximè à n. 18. explicantes obiectum intentionaliter motiuū. Obseruandū, inquā, est, obiectū prout subest actui secundū vnā rationem spectato, posse mouere ad ipsum actū spectatū secūdū aliam rationē, tametsi nulla sit distinctio independens à nostro modo concipiendi inter prædicata intrinseca eius actus. Sic, vt ibi dicebam n. 19. saltem Angeli eodem indiuiso actu percipiunt claré veritatē obiectiuā significatā his terminis: *Quodlibet est, vel non est*, & eidem veritati assentiuntur; & tamen ea veritas, prout subest perceptioni claræ sui, mouet ad assensum circa ipsam. Sic possumus eodem indiuiso actu finem intēdere, & eligere media pro cōsecutione ipsius; & tamen finis, vt intentus, mouet ad electionē mediorum pro consecutione ipsius. Sic demū eodē indiuiso actu, quē vocant discursum virtualē, possumus assentiri existētiæ diuini testimonij de Incarnatione Verbi, & propter tale testimonium ipsi Incarnationi; & tamen existentia reuelationis, vt terminans eiusmodi assensum, mouet ad assentiendum Incarnationi.

13 Porrò autem exponere, in quo stet hæc motio, hoc opus, hic labor est. Obseruandum est, nos dixisse breuitèr loco cit. n. 20. hanc motionem cōsistere in speciali modo tendendi actus, qua-

quatenùs talis actus, v. g. qui simul est intentio, & electio, potiùs denotat ex modo tendendi ad obiecta sua, eam ipsam electionem esse electionem habẽtem suum *esse*, vel causalitèr, vel identicè ab intentione; quàm esse intentionem habentem suũ *esse*, vel causalitèr, vel identicè ab electione. Sed quia desideratur adhùc vberior eius rei explicatio, subiungo illam sic. Actus diuinus, qui simùl est intellectio clarissima diuinæ bonitatis, necnõ amor necessarius ipsius, cognoscibilis est à nobis expresse sub his rationibus, præscindẽdo ab omnimoda identitate formalitatis intelligendi cum formalitate amandi: nimirùm, quia licèt nobis innotescat, Deum se intelligere clarissimè, necessariòque amare, adhùc nobis cõpertum non est, istæ ne formalitates penitùs identificentur, vel nõ. Quo posito, dicimus, talem esse intrinsecè, & ex parte rei modum tendendi ad diuinam bonitatem huius clarissimæ intellectionis, & amoris necessarij, vt hic actus diuinus à nobis expressus sub eis rationibus præscindendo ab omnimoda ipsarũ identitate, demonstrat potiùs nobis, eum actum diuinum esse volitionem existentem ab intellectione, vel identicè, vel originalitèr, quàm esse intellectionem existentem à volitione, vel identicè, vel originalitèr. Ratio huius est.

14 Nam prædictus actus Dei sub ratione amoris necessarij diuini circa bonitatem Dei, etiãsi accipiatur præscindendo ab identitate ipsius cum diuina intellectione, nobis apparet tanquam rationalis amor diuinus circa diuinam bonitatem, id est, tanquam affectus diuinus, quo Deus in eam bonitatem inclinat propter ipsam intellectualiter manifestatam. At, apparens sub hac ratione, demonstrat eum actum diuinum esse volitionem existentem ab intellectione, vel identicè, vel originalitèr: quia, non aliter benè scimus, prædictum amorem esse affectũ, quo Deus in suam inclinat bonitatẽ propter ipsam intellectualiter manifestatam, quàm scientes, eum affectum habere *esse* ab ea manifestatione, vel identicè, quatenùs ea manifestatio constituit intrinsecè talem affectum se ipsam cum ipso identificans, vel originalitèr, quatenus eiusmodi affectus aliquomodo procedat ab ea manifestatione: ergo prædictus amor Dei sub prædictâ ratione amoris, tametsi accepta præcisiuè ab identitate cũ intellectione, demonstrat eum actum diuinum esse volitionem existentem ab intellectione, vel identicè, vel originaliter. Cæterùm idem actus acceptus sub rationibus intellectionis, & volitionis, præcisiũ ab identitate

sapi-

ipsarum, non demonstrat nobis, eum actum esse intellectionem existentem à volitione, vel identicè, vel originaliter, id est, non adducit nostrum intellectum ad hanc expressionem: *Hic actus Dei est intellectio existens à volitione, vel identicè, vel originaliter:* Nam, præscindendo ab illa identitate, nihil inuenies in modo tendendi repræsentatiuo, & affectiuo eius actus circa diuinā bonitatem, quod tibi ostendat, eum actū esse intellectionē prædicto modo existentem à volitione.

15 Constat ergo, eum actum sumptum præcisè secundū suū modum tendendi repræsentatiuum, & affectiuum, præscindendo ab identitate istarum formalitatum, demonstrare potius ex suo tendendi modo, esse volitionem existentem identicè, vel originaliter ab intellectione, quàm esse intellectionem existentem identicè, vel originaliter à volitione. Primò igitur dico, in hoc realiter, & ex parte obiecti stare id, quod significamus his terminis: *Intellectionem diuinam dirigere, & mouere ad volitionem, potiùs quàm conuersim, Deūque se amare, quia se cognoscit, potiùs quàm contra.* Ratio est: quia nihil prohibet, quominùs intrinsecè ex parte rerum sufficiens verificatiuum prædictarum propositionum sit modum tendendi repræsentatiuū, & modum tendendi affectiuum in actu diuino se habere, sicuti diximus, maximè, cùm frequēs sit, non requiri ad verificatiuum propositionum, quæ causales dicuntur, extremum, quod ponitur tanquam ratio alterius, distingui intrinsecè ab hoc altero, vt patet in his: *Quia Petrus est animal rationale, est homo. Quia Deus est intellectiuus, est volitiuus:* cùm tamen inter Petrum esse animal rationale, & esse hominem; & inter Deum esse intellectiuum, & esse volitiuum nulla sit intrinseca distinctio ex parte rerum.

16 Dicatur secundò, hunc modum explicandi, Deum se amare, quia se cognoscit, potiùs quàm contra, rectè constare sine distinctione virtuali intrinseca inter actum diuinum intelligendi, & amandi. Ratio est. Nam id, vt vidimus, in eo cōsistit, quòd, attentis præcisè modo repræsentatiuo, & affectiuo eius actus diuini, talis actus nobis ingeneret hanc expressionē: *Hic actus est amor existens, vel identicè, vel originariè ab intellectione;* & non ingeneret hanc: *Hic actus est intellectio existens, vel identicè, vel originariè ab amore.* At hoc tantū dicit distinctionem in his nostris expressionibus; non autem intrinsecè in ipsis prædicatis diuini actus: ergo, &c. Sic omnipotentiam in confuso cognitam ingerere hanc expressionem: *Est vir-*

virtus productiua omnium possibilium; & rursùs adæquatâ explicatione cognitam ingerere hanc expressionem: *Est virtus productiua Angeli, hominis, equi, &c.* dicit quidem distinctionem in his nostris expressionibus; non autem intrinsecam in omnipotentia, quæ vnâ ex his expressionibus attingitur, & in omnipotentia, quæ tangitur aliâ expressione. Idem posset innumeris alijs exemplis declarari.

17 Ex his constat, quomodo sit aptanda doctrina præsens exemplis adhibitis n. 12. Nam, quòd in actu omninò indiuiso clarè percipienti hos terminos: *Quodlibet est, vel non est*, & simul assentienti huic enuntiabili, verificetur, intellectum assentiri, quia clarè percipit eos terminos; non autem contra, non est aliud, quàm eum actū suo modo tēdendi talem esse, vt in eo præcisè inspectis modo perceptiuo terminorum, & assensiuo veritatis, talis actus nobis potiùs ingerat hanc expressionem: *Hic actus est assensus existens, vel identicè, vel originariè à perceptione clara terminorum*; quàm hanc: *Est perceptio clara terminorū existens, vel identicè, vel originariè ab assensu veritatis.* Deinde, quòd sumpto actu, qui prorsùs eâdē, & indiuisâ entitate est intentio finis, & electio mediorum, verificetur, voluntatem eligere media, quia finem intendit; non autem contra, non est aliud, quàm eum actum suo modo tendendi talē esse, vt in eo præcisè inspectis modo intētiuo finis, & modo electiuo mediorū, inde potiùs nobis inijciatur hæc expressio: *Hic actus est electio existens, vel identicè, vel originariè ab intentione finis*; quàm hæc: *Est intentio existens, vel identicè, vel originariè ab electione mediorum.* Demùm, quòd accepto actu, qui eâdem entitate penitùs indiuisâ sit assensus circa existentiam testimonij diuini de Incarnatione Verbi, & simul assensus circa Incarnationem Verbi propter tale testimonium, verificetur, intellectum, ideò potiùs assētiri Incarnationi, quia existentiæ diuini testimonij assentitur, quàm contrà, non est aliud, quàm eum actū (qui vocatur discursus virtualis) suo modo tendendi talē esse, vt in eo præcisè attētis modo assentiendi existentiæ diuini testimonij, & modo assentiendi existentiæ Incarnationis, hanc expressionem nobis immittat: *Hic actus est assensus circa Incarnationem existens identicè, vel originariè ab assensu diuini testimonij*; quàm hanc: *Est assensus diuini testimonij existens identicè, vel originariè ab assensu circa Incarnationem.*

18 Hæc tamen obiectio cōtra totam doctrinam exsurgit. Intellectio diuina præcisè sumpta secundùm suum modum tē-

dendi

dendi repræsentatiuum explicat nobis esse identicè à volitione, sicùt volitio diuina præcisè sūpta secundùm suum modum tēdendi affectiuum explicat nobis esse identicè, vel originariè ab intellectione: ergo doctrina tradita firma non est. Probatur antecedens. Intellectio diuina secundùm suum modum tendendi repræsentatiuum est adæquata, clarissima, & infallibilis comprehensio Dei, & consequentèr clarissimè, & infallibilitèr repræsentans Deum, vt adæquatè est in se. Atqui Deus ita se habet in se, vt ipsius intellectio necessaria sit omninò identificata cum ipsius amore necessario: ergo intellectio diuina, de qua loquimur, secundùm suum modum tendendi repræsentatiuum se ipsam infallibilitèr cognoscit, vt identificatam cum amore necessario Dei. Cùm igitur in hac ratione manifestè inuoluatur, eam intellectionem identificari cum volitione, quod est esse idēticè à volitione, planè fit, intellectionem diuinam sumptam secundùm suum modum tendendi repræsentatiuū explicare nobis, esse identicè à volitione.

¶ Confirmatur. Intellectio diuina secundùm suum modum tendendi repræsentatiuum est diuina: ergo plena omni perfectione simplicitèr simplici. At perfectio simplicitèr simplex est idēitas cum amore necessario: ergo hanc identitatem importat, & explicat intellectio diuina, adhùc præcise sumpta secundùm suum modum tendendi repræsentatiuum.

19 Ad argumentum respōdeo, intellectionem diuinam posse sumi secūdùm suum modum repræsentatiuum à nobis cognitum adæquatâ expressione; vel præcisè cognitum hac inadæquatâ expressione: *Est intellectio in Deo existens diuinæ bonitatis.* Intellectio diuina, vt nobis præcisè nota per huiusmodi inadæquatam expressionem, non explicat nobis, eam bonitatem Dei identificari cum intellectione necessariâ, & hāc cū amore necessario, & cōsequentèr, neq; nobis notificat, eā intellectionē esse cognitionē infallibilē de idētitate sui cū amore necessario; sed præcisè nobis explicat sub eâ expressione, esse cognitionem in Deo existentem diuinæ bonitatis; adhùc tamen latet, an cum ea bonitate, & inter se identificētur intellectio, & volitio. Cęterùm intellectio diuina secundùm suum modum tendendi repræsentatiuum à nobis cognitum adæquata expressione nobis explicat identitatem eius repræsentationis diuinæ cum amore necessario. Nam, si adæquatè exprimamus diuinam repræsentationem, compertum nobis est esse infallibilem repræsentationem de identitate sui cum

cum amore necessario, ac per consequens talis identitas non erit latens, & ignota, sed expressa. Verumtamen, quia talis est modus tendendi eius actus diuini repræsentatiui, & affectiui, vt cognitus præcisè quatenùs amor diuinæ bonitatis explicet, se esse identicè, vel originalitèr ab intellectione talis bonitatis; & cognitus præcisè vt intellectio in Deo existens diuinæ bonitatis, præscindendo ab eo, quòd hæc, vel illa prædicata idẽtificentur cum tali bonitate, nõ explicat se esse identicè, vel originalitèr ab amore talis bonitatis, inde Deus se potiùs amat, quia se cognoscit, quàm contra. Quamobrem doctrina, quam tradidimus, firma manet. Vide n. 23. & seqq.

20 Ad confirmationem respondeo ex dictis disp. 3. concesso antecedente, distinguo consequens. Plena omni perfectione simplicitèr simplici, præscindẽdo in ratione diuinæ ab eo, quòd talia, vel talia prædicata singillatim accepta, sint, vel non sint perfectiones simpliciter simplices, concedo consequentiam; includendo formalitèr in ratione diuinæ, quòd talia, vel talia prædicata sint eiusmodi perfectiones, nego consequentiam. Deinde, concessâ minori subiunctâ, negatur consequentia. Nam, vt intellectio Dei secundũ rationem repræsentationis diuinæ, non solùm in confuso diceret; sed etiam explicaret identitatem sui cum amore necessario, necesse erat, quòd formalitèr sub ratione diuinæ repræsentationis, non solùm diceret plenitudinem omnis perfectionis simplicitèr simplicis; sed etiam exprimeret esse perfectionem simplicitèr simplicem idẽtitatem sui cum amore necessario.

21 Superest, vt iam respondeamus obiectis n. 1. & 2. Ad argumentum ex n. 1. respondetur, inter intellectionem diuinã necessariam, & amorem diuinũ necessarium, nullam, re ipsa, & intrinsecè dari prioritatem exigentem (vt lites vocales cuitemus) talia extrema intrinsecè distingui distinctione sufficienti, vt suscipiant prædicata contradicentia. Quomodo autem cũ his constet, dari ex parte rerum, præciso nostro modo imperfecto concipiendi, sufficiens fundamentum, vt potiùs sit verum, Deum se amare, quia se cognoscit, quàm contra, satis explicuimus in præsenti cap.

¶ Ad primam confirmationem. *Resp.* Proloquium illud: *Nihil volitum, quin præcognitum* non est vniuersaliter in toto rigore accipiendum in Deo, & creaturis: quemadmodum dici solet, nihil iudicari, quin prius apprehendatur; & tamen ad iudicia diuina non præcedit rigo-

rosè

rosè actus alius apprehensiuus veritatis iudicandæ. Dicatur ergo, nihil esse amatum, quin sit, vel rigorosè præcognitum, vt communiter in creaturis accidit; vel cognitum modo sufficienti, vt verificetur, amari obiectum, quia cognoscitur; potiùs quàm contra, vt etiam in Deo reperiri, iam satis explicuimus. Et quidem, sicut aduersarij sic temperant illud proloquium, vt quanuis in creatis cognitio præcedat ad amorem realiter simpliciter; in Deo tamen solùm præcedat cum hac restrictione *virtualiter*, cur nobis non licebit dicere cognitionem dirigentem ad amorem, in Deo se habere modo, quem explicuimus, qui non incongruè poterit dici quã dam eminentialem prioritatem constituere, licet non exigẽtem extrema capacia prædicatorum contradicentium. Rem tene, & loquere, vt malueris.

22 Ad secundam confirmationem. *Resp.* Amor sufficientis. si nè intelligitur omninò necessarius, eò præcisè, quòd cognitio dirigens ad ipsum sit omnino necessaria, & inconiungibilis prorsùs cum defectu amoris. Eo autem ipso, quòd intellectio diuina sit intellectio substantialis omninò necessaria & omnimoda necessitate idẽtificata, etiam virtualiter, cum amore, est intellectio penitùs indefectibilis, & prorsùs inconiungibilis cum defectu amoris, vnde iste, iam ex hoc præcisè necessarius erit, seclusâ distinctione, prioritate, & influxu virtuali cognitionis in amorem. At cognitio dirigens voluntatem ad amorem liberũ coniungibilis est cum defectu huius amoris, & consequenter distincta ab illo, saltem virtualiter Vnde, cùm iam habeat respectu huius amoris distinctionẽ sufficientem ad prioritatem, & influxum virtualẽ circa ipsum, & aliunde dirigat ad amorem, præcedit fortè, & quodammodo influit virtualiter in amorẽ: quia forsàn hæc prioritas, & influxus inuoluitur in ipso cõceptu cognitionis dirigentis ad amorem, & ab hoc virtualiter distinctæ. De quo postea. ¶ Ad tertiam confirmationem. *Resp.* In primis, cùm diuinus amor sit realiter simpliciter voluntarius; & non realiter simpliciter; sed sumn ùm virtualiter (vt dicunt aduersarij) procedens ab intrinseco principio, vt cognoscente: patet, neque iuxta aduersarios, definitionem communem voluntarij aptandam esse vniuersaliter in toto rigore omni voluntario complectenti increatum, & creatum. Dicatur ergo diuinum amorem, eatenùs esse perfectissimè voluntarium, quatenùs habet eminentissimo modo quicquid de perfectione sine imperfectione dicit amor creatus, vt volũtarius. Vnde diuinus amor

amor est perfectissimè voluntarius, quatenùs perfectissimè tendit in diuinam bonitatem, quia perfectissimè cognitam, vt in præsenti cap. explicatum est, tametsi talis amor ex eo, quod omnino sit à se, etiam virtualitèr, non procedat, adhùc virtualitèr, à principio, & cognitione: quod adeo non derogat ipsius perfectioni, vt alitèr talis amor diuinus non esset summè perfectus; sed potiùs impossibilis. Recognoscantur, quæ diximus disput. 4. n. 5. & tract. de Scientia disp. 2. num. 50. & 51.

CAP. III.

Expediuntur obiectiones aliæ.

23 SEcunda in ordine obiectio sit, quæ potest esse replicatio contra solutionē adhibitam n. 19. Deus amat suam intellectionem necessariam, & amorem necessarium, non solùm, quia bonitatem habent vtcunque; sed etiam quia bonitatem habent omnimodæ identitatis inter se: nā, vt sic, sunt dignissima diuino amore. At eiusmodi amor dirigitur ex cognitione diuinâ necessariâ, vt ostente Deo identitatem ipsius cognitionis cum amore: ergo cognitio diuina necessaria, quatenùs dirigens ad talem amorem, non præscindit ab identitate sui cum eo amore; sed potiùs eam identitatem ostendit. Ergo directio cognitionis in amorem non benè vniuersalitèr explicatur per hoc, quòd cognitio, vt dirigens, præscindat ab eo, quod sit ab amore tàm identicè, quàm originariè; cum tamen amor obiecti propter bonitatē in eo cognitam non præscindat ab eo, quòd altero ex his modis existat à cognitione. Concessâ maiori, & minori, distinguēdum est primum consequens hoc modo. Non præscindit ab identitate sui cum eo amore, præcisione abstrahendi ab eo, quod ostēdat Deo talem identitatem, cōcedo consequentiam; præcisione abstrahendi ab eo, quòd ex munere directiuo sit mediū nobis demonstrans habere in se identitatem cum eo amore, nego consequentiam, negans similitèr secundam consequentiam. Explicatur solutio, quæ diligentèr considerāda est.

24 Cognitio diuina necessaria, quæ ostēdens Deo bonitatē idētitatis eius cognitionis cum amore, dirigit ad hūc amorem, quatenùs amorē huius identitatis, Deo formalitèr ostendit eā identitatē, cùm hæc sit obiectū amādū tali amore, proindeque, ex munere directiuo ad talē amorē, nō præscindit ab eo quòd formaliter ostendat Deo talem idētitatem. Tamen ex eo munere directiuo ad talem amorem, præscindit ab eo, quòd respectiuè ad nostrum intellectum

sit

sit obiectum nobis demonstrãs ipsius cognitionis identitatem cum amore. Ratio est, quia ex munere dirigendi Deum ad talem amorẽ, explicat nobis præcisè, se esse cognitionem existẽtem in Deo significantem formaliter ipsi Deo, identitatem sui cum tali amore esse optimam. Ex eo autem præcisè, quòd talis cognitio, per modum obiecti nobis apparentis, id nobis notificet de se ipsâ, adhùc nobis cõpertum non est, eam cognitionem habere identitatem in se cum tali amore. Quòd si hoc sciamus, non est præcisè ex dicto capite; sed quia nobis aliundè exploratum est aliud principiũ, nimirùm, cognitionem existentem in Deo id habere, quod ipsa significat Deo se ipsam habere. Quamobrem, vt verificetur, Deum habere talem amorem, quia talem habet cognitionem; potiùs quàm è cõtra, fundamẽtum, quod se tenet ex parte rerum, est, quòd ex modo suo tẽdendi talis actus diuinus, qui simul est talis amor, & cognitio, sic se habet, vt à nobis expressius, quatenùs amor bonitatis, quæ splendet in prædictâ identitate, demonstrat nobis, se esse identicè, vel originariè ab intellectione bonitatis eius identitatis. At à nobis expressus, quatenùs cognitio Deo formaliter ostendens eam bonitatem, non demonstrat nobis, se esse identicè, vel originariè ab amore talis bonitatis.

25 Sed adhùc insistes. Prædicta cognitio diuina de sui idẽtitate cum amore, quatenùs dirigit Deum ad amorem talis identitatis, repræsentat Deo talem identitatem infallibilitèr, & clarè: non enim habet cognitio diuina modum alium repræsentandi obiectum. At talis cognitio, quatenùs infallibilitèr, & clarè repræsentat Deo identitatem eius cognitionis cum amore, non solùm per modum formæ ostendit Deo talem identitatem; sed etiam per modũ obiecti demonstrat nobis eandem: ergo talis cognitio demonstrat nobis per modum obiecti identitatem sui cum amore ex munere directiuo ad talem amorẽ. Posterior minoris pars, quæ sola est difficilis, patet. Nã illud, per modum obiecti cogniti, demõstrat cognoscenti veritatem aliquam, quod essentialitèr connectitur cum eâ veritate. At cognitio diuina connectitur essentialitèr cum identitate sui cum amore, quatenùs infallibilitèr, & clarè Deo repræsentat talẽ identitatem: ergo, quatenùs sic accepta, demõstrat nobis, per modum obiecti cogniti, talem idẽtitatem. Confirmatur. Ea cognitio dirigit Deum ad amorem gaudij de existentiâ talis identitatis, quatenùs existentiam huius identitatis ostendit Deo tanquam

quàm cognitio existens in Deo, proindeque diuina: ergo ex munere directiuo est diuina: ergo excludens imperfectionē falsitatis, & includens perfectionem veritatis. At cognitio repræsentans existentiā talis identitatis, connectitur essentialitèr, quatenùs est vera, cū ea existētia: ergo prędicta cognitio ex munere directiuo cōnectitur essentialitèr cū existētia suæ idētitatis cū amore, & cōsequentèr ex eo munere, nō solū idonea est, vt per modū formæ ostendat Deo talē identitatem; sed etiam, vt per modum obiecti cogniti, nobis demonstret eandem identitatē.

26 Ad argumētū respōdeo. Prædicta cognitio, quatenùs dirigit Deū, &c. repræsentat Deo *infallibilitèr, & clarè* prædictam idētitatē, si ly *quatenùs* reduplicet realitatē taliscognitionis acceptę secūdū se. Nā sic sēsus est, & sanè verisimus, eâdē prorsùs realitate, quâ talis cognitio dirigit Deū ad amorē eius identitatis, repræsentare Deo infallibilitèr, & clarè talē idētitatem. At prædicta cognitio, quatenus dirigit Deū, &c. nō repræsētat Deo infallibilitèr, & clarè talē identitatē; si ly *quatenùs* reduplicet eā cognitionē diuinā, vt sub est nostris cōceptibus. Nam sic, sensus esset, eo conceptu, quo talis diuina cognitio concipitur à nobis sub expressione dirigentis Deū, &c. concipi à nobis sub expressione infallibilis, & claræ: & hoc est falsum: quia licèt ex parte suę realitatis ea cognitio diuina non alitèr repræsentet Deo talē idētitatē, quā infallibilitèr, & clarè: sicut immensitas Dei non alitèr existit ex parte suę realitatis, quā idētificata cū æternitate; possumus tamē per nostros cōceptus inadæquatè expressiuos attingere talē cognitionem diuinā non discernentes esse infallibilem, & clarā; sicut & attingere immēsitatē, nō discernentes esse eandē cū immēsitate. Nam ad hoc non est opus dari hoc, & illud ex parte realitatis obiecti; sed dari ex parte nostri intellectus hunc, & illum modū exprimēdi idem obiectū. Iam verò prædictā cognitionem diuinā exprimentes, tanquā cognitionē existētem in Deo volitiuo, & repræsentantē ipsi vt amabilē talē idētitatem, sufficientèr exprimimus eā cognitionē vt directiuā Dei ad prædictū amorē; licèt eam non exprimam⁹, vt infallibilitèr, & clarè repræsentantē eā identitatē, ac per cōsequens talis cognitio, sub expressione directiuæ, præscindit à ratione claritatis, & infallibilitatis, proindeque ab eo, quòd his titulis demōstret nobis per modum obiecti cogniti sui identitatē cum amore.

27 Ad confirmationē respōdeo similitèr, ac in simili respōdebam n. 20. Cōcesso antecedēte, & primâ cōsequentia, distin-

guatur consequens subiunctum, dicendo, talē cognitionem, quæ ex munere directiuo diuina est, sumptā in sua realitate excludere imperfectionē falsitatis, & includere perfectionē veritatis, de quo nō est dubitādū. At ea cognitio, vt à nobis expressa, tāquā *directiua diuina*, exprimitur, vt directiua excludēs à se quicquid sit imperfectio, & includēs quidquid sit perfectio. Nā expressio diuinitatis hoc importat. At prout *directiua diuina* non exprimitur, vt excludens specialitèr à se falsitatē, & includēs specialitèr in se veritatē, quia licèt illa sit imperfectio, & hæc perfectio; nō tamē hoc innotescit per præcisam expressionem diuinitatis sub termino: *diuinitas*. Cū igitur ea cognitio repræsentans idētitatē sui cū amore, nō adhùc innotescat, quatenùs vera, ex eo præcisè, quòd exprimatur, quatenus *directiua diuina*, patet, argumentū non benè cōcludere, talem cognitionem nobis notā, prout directiuā diuinā, demonstrare nobis sui identitatē cum amore ex eo, quòd sit cognitio vera sub conceptu formali directiuæ diuinæ. Nam sub conceptu formali directiuæ diuinæ non adhùc intelligitur, vt vera explicitè; sed ab hoc præscinditur.

28 Obijcies tertiò. In duplici differentia sunt, quæ determinant, vel mouent volūtatem ad āliquem actū. Alia, quæ secūdū *esse* physicum mouēnt. Alia, quæ mouent intētionalitèr, nimirū, vt cognita, vel amata. At, quę secundū suū *esse* physicū mouent ad amorem v.g. distinguūtur secūdū esse physicū ab eo amore: quæ autem mouent, vt cognita, vel amata, distinguuntur secūdū esse talis cognitionis, & amoris ab amore, ad quem mouent. Ergo de ratione mouētis ad amorē est ab illo distingui iuxta proportionem, secūdū quā mouet. At bonitas diuina, vt cognita, & cognitio diuinę bonitatis sumpta secundū suū esse, mouent re ipsâ Deū ad amorem eius bonitatis: ergo ab eo amore distinguuntur aliquâ distinctione reipsâ independentèr ab operatione intellectus. Nō distinctione reali simplicitèr, vt constat: ergò saltèm virtuali. In hoc discursu sola prima minor videtur difficilis, quæ probatur quoad primā partē. Nā cōplacentia simplex circa bonitatem finis distinguitur secūdū suū esse reale ab intētione absolutâ finis, & præuisio meritorū secūdū suū esse reale distinguitur in Principe à voluntate præmiandi; sicut præuisio delictorū à voluntate puniendi, necnō actus imperans ab imperato, nimirùm, quia cōplacentia simplex; meritorum, ac delictorum præuisiones, & actus imperans secundùm suum *esse* reale mouent ad actus voluntatis assignatos: ergo quod secūdū suum *esse* reale

reale mouet ad amorem, distinguitur secūdùm *esse* reale ab illo.

29 Probatur quoad secundā partem eadem minor. Nā preces, minę, merita, demerita, bonitas finis, quæ sunt obiecta mouentia, vt cognita, ad amorē rei petitæ, ad fugā imminentis mali, ad decretum præmiādi, & castigādi, & ad intentionem finis, distinguuntur quoad sui cognitionem ab assignatis actibus voluntatis. Item bonitas finis, quæ, vt terminans complacentiā simplicē, mouet ad intentionē absolutam ipsius finis, distingultur, quoad simplicē cōplacentiā erga ipsum, ab intentione absolutâ ipsius: ergo illa obiecta, quæ, vt cognita, vel amata, mouent voluntatē, distinguuntur secundùm esse talis cognitionis, & amoris ab amore, ad quem mouent. ¶ Confirmatur. Preces, merita, & delicta, quanuis non sint causæ physicæ decreti annuendi, præmiandi, & puniendi; sunt tamen causæ morales, & intētionales: ergo quāuis esse physicum ipsarū non sit per se ipsum causa taliumdecretorū; benè tamen ipsarum esse intentionale; nēpè repræsētatio ipsarū in mēte exaudientis, præmiātis, & punientis. At de ratione causæ est distinctio ab effectu: ergo repræsentatio ipsarum distingui debet à prædictis decretis: ergo illa obiecta, quæ mouent ad amorē, vt cognita, distinguuntur secundū suam repræsentationem ab amore, ad quem mouent.

30 Huic obiectioni respondeo, negata minori, si sumatur in sensu vniuersali, & eâdē concessâ, si sumatur in sensu particulari. Nā licèt aliquando in his, quæ mouent ad actum intellectus, aut voluntatis, distinguatur illud *esse*, per quod mouent, ab actu, ad quem mouēt; nō tamē semper, vt constat ex adhibitis exemplis n. 12. Vnde percurrentes exēpla proposita n. 28 & 29. ad primū dicimus. Cōplacentia simplex circa bonitatē finis duplicitèr stare potest. Primò pro cōplacentiâ, quæ ita purè, putaque sit velleitas, vt aiūt, circa finē, quòd non sit intentio absoluta eiusdē; & hanc cōplacentiā certū est distingui ab intentione absolutâ finis, non quia mouet ad hanc intentionē absolutā; sed quia excludit identitatem cum ipsa. Secundò pro amore, quo finis, quà bonus, placet volūtati, & hic amor potest identificarì cū intentione absolutâ finis, & eatenùs ad eā intentionē mouere, quatenùs fundamentū est in modo tendendi huius actus (qui simul est cōplacentia, siue generalis, siue specialis, circa finē, quia bonū; & intētio absoluta ipsius, quia intendenti apparet bonum possibile) vt potiùs verificetur, eo actu volūtatē intēdere absolutè finē, quia placet ei bonitas; quā contra, vt explicuimus c. 2.

31 Ad secundum exemplum de præuisionibus meritorum, ac delictorum dicatur. Dupliciter cenſeri poteſt de meritis, ac delictis. Primò ſic, vt de ratione meriti, ac demeriti ſit, remuneratorem, & punitorem manere liberum, vt decernat, & non decernat remunerare, & punire, etiam ex ſuppoſitione præuidendi meritum, & delictum, vt cũ alijs opinatur P. Riual. t. 2. de ente ſupern. diſp. 85. Secundò ſic, vt ratio meriti, ac demeriti ſalua maneat, tamètſi præuiſio meriti, ac demeriti ſit omninò incõiungibilis cum omiſsione decreti ſtatuentis præmium, & pœnã. Quid de his opinionibus? Deſiniemus ſuo loco. Nũc dico. Præuiſio meriti, ac demeriti diſtinguitur neceſſariò, ſecũdũ priorẽ opinionẽ, à decreto remunerãdi, & puniendi; nõ quidẽ ex cõceptu notitiæ dirigẽtis, & mouẽtis ad amorẽ; ſed ex cõceptu notitiæ cõiungibilis cũ carentiâ eiꝰ amoris, ad quẽ mouet. Hinc, ſecũdũ poſteriorẽ opinionẽ, nõ apparet implicatio cõtradictionis in viſionibus meriti, ac demeriti prorsùs identificatis cum decreto executiuo præmij, & pœnæ, quæ viſiones moueãt ad hoc decretũ ſimili modo, ac nupèr diximus ad intẽtionẽ abſolutã finis mouere cõplacentiam identificatã cum eâ intentione. Ad id, quod num. 29. additur de cauſalitate, dicemus poſteà.

32 Ad tertium exemplum de actibꝰ imperãtibus, & imperatis ſimilitèr dicatur, actum imperãtem, quo quis reflexè, vel quaſi reflexè determinat amorẽ directum obiecti, v. g. amorẽ diuinæ bonitatis, fortè nonnunquã eſſe cauſam in genere, vel actiuo, vel impulſiuo talis amoris. Dico ergo, actum illum imperãtem, qui cauſa eſt imperati, diſtingui neceſſariò ab hoc, non ex conceptu actus determinãtis ad illum; ſed ipſum cauſantis. Vnde vlteriùs dicimus, non apparere implicationem contradictionis in actu, quo voluntas amet, ac determinet amorẽ directum obiecti; qui tamen actus identificetur cum hoc amore. Quin potiùs diximꝰ tract. de actibus humanis, quãdo voluntas omninò determinatè vult quaſi reflexè directũ obiecti amorem, ad quem habet plenã ſufficientiã, eundem actũ eſſe hunc amorem, & amorem quaſi reflexum ipſius. Imò eodẽ tract. diximus, quoties voluntas immediatè liberè ſe determinat ad amorem directũ obiecti, determinare, ac velle ipſum amorem directum per ipſummet directũ amorem. Hinc eiuſmodi amor, quatenùs ſe ipſum decernit modo inconiungibili cum carentia ſui, determinat ſe ipſum, & quatenꝰ eſt ita decretꝰ à ſe, eſt determinatus à ſe: demũq; iuxta dicta cõſiſtit hęc determinatio in modo tẽdendi huius actus fundãte, quòd

quòd potiùs verificetur, hunc actum exittere, quia decretus est; quàm decretum esse, quia exiitit, modo explicato cap. 2.

33 Hinc patet ad exempla, quæ adhibentur n. 29. pro secundâ parte minoris. Nam quando cognitio precum, minarū, meritorum, ac demeritorum, itēque complacentia in finem distinguuntur ab affectibus, quibus annuimus precib⁹, fugimus imminens malum, decernimus præmium, & pœnam, & intendimus absolutè finem, ea distinctio non provenit ex præcisâ motione ad hos affectus; sed vel ex coniungibilitate actuum mouentium cum carentiâ horum affectuum, vel ex eo, quòd istorum sint causæ. Vnde, si præcisè haberent illi actus mouere ad hos affectus, non resisterent idētitati cum ipsis. Ad confirmationem positam eo num. 29. cauendum est dissidium vocale. Resp. Causa moralis accipi potest strictissimè, & minùs prestè. Strictissimè est, quæ per sui cognitionem, vel amorem causat propriè alium effectum. Minùs prestè, quæ per sui cognitionē, & amorem exercet rationem obiecti mouentis voluntatem ad aliquem affectū. Primo modo causant moralitèr obiecta ibi recensita illos affectus, de quibus ibi, quando talium obiectorum notitia, vel amor causant prædictos affectus. Secūdo modo, si quando talium obiectorū notitia, vel amor, se identificando cum eis affectibus, mouet ad ipsos modo sæpè explicato.

34 Sed priùs quàm ad reliquas obiectiones accedam, obseruo, factum argumentum sic posse cōtra arguentes retorqueri. Peto namque ab ipsis. An diuina cognitio moueat absolutè, & simplicitèr cum omni proprietate, & à parte rei diuinam voluntatem ad amorem; nec ne? Si dicatur primū. Cur sicut realis motio cognitionis ad amorē, simplicitèr, absolutè, & cum omni proprietate dicta, stat sine distinctione reali simplicitèr, & absolutè dictâ, & cum sola distinctione virtuali aptitudinis intrinsecæ ad suscipienda prædicata contradicentia, non stabit similitèr sine hac distinctione, & cū sola distinctione rationis, modoque tendendi, quē exposuimus? Siquidem opus non est eandem proportionē seruare motionem, & distinctionem. Si dicatur secundum, nempè, hanc motionem non esse simplicitèr, & absolutè talem; sed secūdùm quid, minùsq; propriè: cur huic motioni, quia minùs est propria, & secundūquid, sufficiet tua distinctio virtualis sine distinctione reali simplicitèr, & non sufficiet mea distinctio rationis coniuncta cum modo tendendi explicato, & seiuncta nō solū à distinctione reali simplicitèr dicta;

sed etiam à virtuali intrinsecâ? Denique pro maiori firmitate dictorũ legantur, quæ diximus tract. de Prædest. disp. 10. cap. 4. maximè à n. 44.

35 Obijcies quartò. Non sufficit ad amorẽ creatũ cognitio distincta realitèr ab illo, quæ non sit præuia ad ipsum; sed purè cõcomitans: ergo non sufficit ad amorem diuinũ cognitio, quæ cum illo penitùs identificetur, etiam virtualitèr intrinsecè. Antecedens videtur omnibus constans. Cõsequẽtia probatur. Tũ, quia sicut Deus amat obiectũ nõ præcognitum ante amorẽ; sed cuius cognitio simul est; imò, & omnino identificata cũ amore, cur non poterit accidere simile in creatura? Tùm, quia creatus amor nõ subsequitur cognitionẽ præuiã ex ratione amoris, vt sic, siquidẽ amor diuinus habet rationẽ amoris; non tamen subsecutionem ad cognitionẽ præuiam. Deinde non est alia ratio, ex quâ necesse sit ita subsequi; vel illam assigna. Ergo. ¶ Dices. Sicut est de ratione amoris creati procedere à principio volitiuo creato; ita, & procedere ab hoc principio, vt illustrato per cognitionem obiecti amabilis: id autẽ non stat absque subsecutione amoris creati ad cognitionem. E contra verò sicut amor diuinus non est à principio; sed existens à se; ita neque à principio, vt illustrato per cognitionem obiecti amabilis; sed se ipso cõiunctus identicè cum eâ cognitione. Sed contra est. Tũ, quia Deus amãs amore improducto, ita amat, vt amor improductus, & cognitio improducta, per quã dirigitur, sint simul in ordine existentiũ improductè: ergo creatura amans per amorem productũ ab ipsâ, poterit sic amare, vt amor productus, & cognitio producta, per quã dirigitur, sint simul in ordine existẽtium productè. Tum, quia, iuxta probabilissimam opinionem Philosophicã, creatura potest amare per amorem non productũ ab ipsâ; sed infusum à Deo. Cur ergo nõ poterit tunc amare, existẽtibus simul productis à Deo cognitione dirigente ad amorẽ, & ipso amore: sicut amat Deus existentib⁹ simul cognitione directrice amoris, & amore?

36 Propterea dixi loc. cit. de Præd. me tũc tẽporis nullam inuenisse repugnantiã in cognitione creatâ distinctâ realiter ab amore creato, determinãteq; ad ipsum, & ad eum non præcedẽte. Verius tamen iam mihi videtur ex dictis cap. 2. amorẽ non identificatũ cũ cognitione directrice ipsi⁹, præsupponere necessariò eã cognitionẽ. Quare, cõcesso antecedente, negatur consequentia. Ad primã probationẽ respondeo. Potest Deus, & creatura amare obiectũ per amorẽ, qui dirigetur ex cognitione omninò

ninò idẽtificata cum ipso amore. Nullus autem potest amare obiectũ per amorẽ, qui dirigatur ex cognitione distinctâ ab amore, & ad ipsũ nõ præuiâ priöritate causalitatis. Ratio discriminis petenda est ex cap. cit. Nã amor elicitus, prout constituitur ab innato, est ex modo tendendi ad obiectũ prosecutio ipsius obiecti; *quia* bonũ apparet. Illud autem *quia* in eo consistit, quòd talis amor ex suo modo tẽdẽdi dicat, se esse ex bonitatis notitiâ, vel cõstitutiuè per identitatẽ, vel originariè per processionẽ. Vnde, quãdo primo modo non sit ex eâ notitia, oportet sit ex illâ posteriori modo; & quãdo nõ posteriori, necessũ erit sit ex illa priori modo. Quapropter, quando dirigitur amor ex notitia distincta ab ipso, cum procedere debeat ex ea notitia, necesse est, eã notitiã esse priorẽ prioritate causalitatis. Hinc ad secundã probationẽ respondetur, amorẽ, vt sic, siue increatũ, siue creatũ, ex nullo prædicato habere determinatè subsecutionẽ, & processionẽ à cognitione directrice. Cæterũ amor, vt sic, ex prædicato amoris constituti ab appetitu innato, habet esse à notitia dirigente, vel cõstitutiuè per identitatẽ, vel si talis notitia distinguitur ab amore, necesse est tunc ab illa procedere, & consequentèr illam esse præuiam prioritate causalitatis.

37 Obijcitur quintò. Cognitio dirigens amorem liberum, præcedit reuerà ad ipsum: ergo dirigens amorem necessarium, præcedit reuerà amorẽ necessarium. Probo consequentiã, probaturus statim antecedens. Cognitio dirigens amorẽ liberũ est illa, quæ partim allicit ad amorem, & partim ab ipso retrahit. Cognitio autem dirigens amorem necessarium est illa, quæ purè ad amorem allicit, & nequaquam retrahit, & consequenter magis conducit hæc notitia, quã illa prior ad existentiam amoris, quem dirigit. Cùm igitur prioritas cognitionis dirigentis, respectiuè ad amorem, quem dirigit, stet in conducentia ad existentiã eius amoris, certè, si cognitio dirigens amorem liberum, præcedit ad istum, à fortiori cognitio dirigens amorẽ necessariũ, præibit ad hunc. Iam primũ antecedens probatur. Cognitio dirigens amorem liberum constituit proximam indifferentiã libertatis ad amandum, & non amandum: quippè nullus est proximè liber, vt eligat amare præ non amare; vel cõtra, donec obiectum cognoscat modo sufficiente, vt se determinet, vel ad ponendum amorẽ, vel cohibendum. At cognitio nequit eam indifferentiam constituere nisi præueniens amorem: ergo, &c. Probatur minor: Nam indifferẽtia libertatis, & dominij non est

purè passiua, & velut inanimis, vt ab alio patiaris impressionem amoris; sed viua, & actiua, vt tu te ponas, ac determines tuum amorem. Patet autem constitutiua talis indifferentiæ præire ad exercitium amandi. ¶ Secundò probatur idem antecedēs. Cognitio dirigens amorem liberum non est essentialiter connexa cū ipso; sed pro libertate voluntatis componibilis cum amore, & cū carentiâ amoris. Nam alioqui libertatem euerteret: ergo separabilis est ab amore, & cōsequētèr ab illo distincta. At, vt vidimus n. 36. cognitio dirigens amorem, & ab amore distincta præcedit amorē: ergo sic præcedit cognitio dirigens amorē liberum.

38 Resp. Concessō antecedēti, negatur consequentia. Ratio discriminis est. Nam, vt benè in argumento, cognitio dirigens amorem proximè, & immediatè liberum, de quo est sermo, constituit potestatē proximè determinatiuā talis amoris: cumque de ratione amoris proximè, & immediatè liberi sit potestatem proximā electiuam, & determinatiuam ipsius esse separabilem ab eodem, consequens est, cognitionem, per quā dirigitur, separabilem, & distinctam ab illo esse, proindeq; præuiam ad illū, iuxta doctrinam traditam n. 36. At cognitio dirigens amorē necessariū potest esse omninò inconiungibilis cum ipsius carentiâ, & identificata penitùs cū tali amore; ac proinde non præcedens ad ipsum. Neq; obstat propter connexionē omnimodā cū amore necessario coducere magis ad existentiam illius, quā cōducat ad existentiam amoris liberi cognitio dirigēs ipsum. Etenim prioritas cognitionis dirigentis respectu amoris ad quem dirigit, præter conducentiam ad existētiam eius amoris, postulat distinctionē eius cognitionis ab ipso. Quocirca quanuis cognitio dirigens amorem necessariū, & cum hoc amore identificata sit conducentior ad existentiā huius amoris, quā ad amorē liberū cognitio dirigens ipsū; ibi tamē, & nō hic impeditur prioritas ex defectu distinctionis.

CAP. IIII.

Explicatis quibusdā corollarijs, eligitur sententia negās omnē distinctionē intrinsecā inter intellectionem, & amorem necessarium Dei.

39 EX dictis fit primò, in quo re ipsa cōsistat, finem esse obiectum primariū; media verò secundarium eius actus, qui simul eâdem indiuisa entitate sit intentio finis, & electio mediorum. Ratio difficultatis explicādi hanc rem, hæc est. Quia, si finem, & media entitatiue in se ipsis sumas, præscindendo ab actibus, quibus amantur, cùm finis

finis sit effectus mediorum, & media sint causa finis, media potiùs prioritatem habent comparatione finis; quam finis comparatione mediorum. Si autem sumamus prædictum actum, qui simul eâdem indiuisâ realitate finem attingit, & media, cum re ipsa non sit attingētia duplex, altera prior respectiuè ad finem; altera posterior respectiuè ad media, non videtur peti posse ex parte actus, finem esse obiectum primarium; media verò secundarium. In quo igitur hoc stat? Respondeo, petendum id esse ex modo tendēdi prædicti actus circa finem, & media, quē modum tendēdi explicuimus n. 17. Itaque finis dicitur obiectum primariū eius actus; media verò secundarium, non quia finis entitatiuè acceptus in se ipso præcedat ad media entitatiuè sumpta in se ipsis, neque quia in tali actu præcedat attingentia finis ad attingentiam mediorū; sed quia talis actus ex modo tēdendi ad finem, & media, signū obiectiuum est, quòd ipse actus potiùs est electio existens identicè, vel originariè ab intentione finis, quàm intentio finis existens identicè, vel originariè ab electione mediorum. Quo eodem pacto explicandum est in quo stet, quòd in discursu virtuali fidei peracto per vnicum indiuisum actum, testimonium Dei sit obiectum primarium; secundarium verò res illa, quam Deus testatur.

40 Fit secundò, quâ ratione, simili proportione seruata, dici possit respectiuè ad eandem scientiam diuinam attingentem duplex obiectum, alterum esse obiectum intētionaliter primarium, & alterum secundarium. V.g. habet Deus iudicium, quo assentitur existentiæ creaturæ propter decretum efficax diuinum de existentia talis creaturę. Primarium, & formale obiectū eius iudicij est prædictum decretum; materiale autem, & secundarium est existentia creaturæ, nimirùm, quia tale iudicium ex modo tēdendi ad decretum diuinum, & existentiam creatā, signum obiectiuum est, quòd tale iudicium potiùs est iudiciū de existentiâ creaturæ existens identicè, vel originariè à iudicio de decreto diuino, quàm quòd sit iudicium de decreto diuino existens identicè, vel originariè à iudicio de existentiâ creaturæ. Nonnulla alia in præsenti tract. necnon & in alijs, ex eodem principio elucidabuntur.

41 Demùm ex omnibus in præsenti, & præteritâ disp. traditis infertur, negandam esse inter intellectionem necessariam Dei, & amorem necessarium distinctionem omnem intrinsecā consistentem in intrinseca aptitudine talium formalitatum, vt susci-

susciplant prædicata contradicentia, quocunque demùm nomine, siue distinctionis formalis ex natura rei, siue distinctionis virtualis intrinsecæ, talis aptitudo nuncupetur, de quo parùm curandum est. Ratio negandi talem distinctionem: Primò est. Nam, vt vidimus disp. 3. à n. 5. nullæ formalitates diuinæ sortiuntur huiusmodi distinctionē, nisi prædicata, quæ illis conueniunt, cohærere non possint absque illa. At intellectioni necessariæ Dei, & amori necessario nulla prædicata conueniunt, quę absque tali distinctione cohærere non possint, vt satis explicatum est in hac, & præterità disput. ergo talis intellectio, & amor non sortiuntur eiusmodi distinctionem.

42 Suadetur idem secundò satis probabilitèr. Nam ad perfectionem infinitam diuinæ voluntatis spectare videtur, quòd omne obiectum bonum, & amabile pro nullo existat signo reali antequàm existentia ipsius ametur à Deo, ita vt ea existentia detur pro eo signo per diuinum amorem consentaneè ad naturam talis obiecti, nimirum, si tale obiectum sit contingens, & creatum, existat efficientèr per amorem liberum Dei; si autem sit obiectum necessarium, & increatum, existat constitutiuè per amorem necessariū Dei. Quis enim non concipiat diuinam voluntatem esse hoc modo perfectiorem, quàm oppositò modo? Sed hæc perfectio stat, positâ omnimoda idētitate virtuali intrinseca inter intellectionem necessariam, & amorem necessarium; non autem posita distinctione virtuali intrinseca: ergo illa identitas ponenda est, & opposita distinctio excludenda. Minor probatur. Nam, si diuina essentia, & intellectio necessaria Dei re ipsa, & ex parte obiecti distinguantur aliqualitèr ab amore necessario, existent aliqualitèr realitèr ante hunc amorem, vt patet ex cap 3. ergo non existent pro eo priori per diuinum amorem, siue constitutiuè, siue efficientèr; cumque aliàs sint optima obiecta, fiet obiecta amabilia existere pro aliquo signo reali, & pro tunc nullo modo existere per diuinum amorē. ¶ Confirmatur. Nam ex eo, quòd essentia diuina sit infinitissimè perfecta in ordine essendi, omne *esse* creatum, vtcunque existens, debet esse ab illâ efficientèr; *esse* autem increatum debet esse per illam constitutiuè: ergo ex eo, quòd diuinus amor sit infinitissimè perfectus in ordine volēdi, omne *esse* creatum debet esse ab illo efficiētèr, pro quocunque signo existat; & *esse* increatum, pro quocunque signo existens, debet esse constitutiuè per talem amorem: quod nō ita esset, admissâ distinctione

ctione virtuali, quam reijcimus.

43 Suadetur idem tertiò nõ minùs probabilitèr. Intellectio necessaria Dei identificatur penitùs, etiam virtualitèr intrinsecè, cum aliqua appetitione, vel innatâ, vel elicitâ ipsius amoris necessarij diuini. At non cum purè innatâ: ergo cum elicitâ, quatenùs hac voce significatur omnis appetitio, siue producta, siue improducta, quę non est purè innata. Ergo virtualitèr intrinsecè identificatur cum amore necessario diuinę bonitatis. Hæc vltima consequẽtia patet. Nam, vt perpendenti superiora constabit, si semel identificẽtur omninò intellectio necessaria Dei cum amore necessario amoris necessarij circa diuinam bonitatem, nulla est difficultas, quominùs identificetur omninò cum amore necessario diuinæ bonitatis. Deinde maior certa est. Nam citra dubium intellectio diuina necessaria, se ipsa penitùs, est exigentia amoris circa diuinam bonitatem non potens existere, neque connaturalitèr, neque vllo modo, quin secum idẽtificet eum amorem, tanquam bonum ipsi intellectioni congruentissimum, & consequentèr, vt ex disp. 2. patet, talis intellectio, se ipsa penitùs, est appetitio, saltem innata, prædicti amoris necessarij.

44 Minor, ad quam reuocatur integra difficultas, probatur. Nam quemadmodum grauitas lapidis est formalitèr intrinsecè exigentia centri, quia talis grauitas includit intrinsecè sua prædicata intrinseca grauitatis; ita diuina intellectio necessaria est, se ipsa, vel innata, vel elicita appetitio amoris necessarij, quia talis intellectio includit intrinsecè sua prædicata. Tunc sic formo discursum. Prædicata intrinseca talis intellectionis sunt præstare, quòd Deo appareant, vt optima sua omnia prædicata diuina, proindeque præstare, quòd ipse amor necessarius appareat Deo, vt optimus. At talis intellectio, quia intrinsecè imbibit sua prædicata, est se ipsâ aliqualis appetitio amoris necessarij: ergo se ipsâ est aliqualis appetitio amoris necessarij, quia per ipsam apparet, vt optimus talis amor. Appetitio autem amoris, quia hic apparet optimus, non est appetitio huius purè innata; sed elicita, quippè ratio formalis appetitionis elicitæ stat in eo, quòd sit appetitio boni, quia bonum apparet: ergo talis intellectio se ipsâ penitùs est appetitio, & nõ purè innata amoris necessarij. ¶ Scio perdoctos RR. pro hac veritate stabilienda probationibus ingeniosis vti petitis ex eo, quòd nequeat cadere distinctio virtualis intrinseca supra formalitates diuinas, qnæ neque in se ipsis, neque in aliquo tertio distinguuntur

tur realitèr, cuiusmodi sunt intellectio necessaria, & amor necessarius Dei. Placuit tamen hæc modò missa facere, quæ satis expendimus tract. de Essentia, & Attributis.

DISPVT. VI.

An admissa distinctione virtuali intrinseca inter Dei essentiam, & amorem necessarium, admittendum etiam sit principium virtuale talis amoris?

PLVRES, neque indocti, ex nouioribus Theologis hanc difficultatem accuratè versant. Ideò duximus non esse prætermittendam.

CAP. I.

Status controuersiæ, & AA. sententiæ.

1 NOn disputamus nunc: an essentia diuina sit principium virtualitèr producès suos actus liberos? Hoc enim faciliùs in sequentibus intelligetur, postquam dixerimus, quomodo libertas ipsorum constituenda sit. Modò certum est primò, negandum absolutè esse, diuinam essentiam producere virtualitèr suum amorem necessarium: quippè nulla extrema ordinem habent producentis, & producti in eo genere, in quo nō habent distinctionem. At essentia Dei, & amor necessarius non habent distinctionem, adhùc in genere virtuali, vt iam vidimus: ergo neq; in genere virtuali habent ordinem producentis, & producti. At, quia plures ex RR. volūt diuinam essentiam, necnō intellectionem necessariam ab amore necessario virtualitèr distingui, rursusque inter eos controuersia est: an, vt admittitur inter has formalitates virtualis distinctio, sit etiam admittenda virtualis productio, vocamus in examen, quid sit de productione dicendum, admissa gratis distinctione.

2 Certum est secundò ex tractatu de Scientia disp. 2. cap. 4. num. 53. (Recognoscatur denuò totum illud cap. & cap. 6.) non posse in dubium reuocari, prædictis formalitatibus competere quandam æquiualētem, & eminentem productionem, si solùm intelligatur sub hoc termino, prædictas formalitates vnica simplicissima entitate præstare munia similia illis, quæ in creaturis præstari solēt per duas, quarum vna producit alteram. Certissimum enim est, diuinam substantiam habere rationem substantiæ volentis, & amorē diuinum

num habere rationem amoris constituentis volētem diuinam substantiam, aliundeque in creatis: *Substantia volens*, &: *Amor* sunt duæ res, quarum prior producit posteriorem. Quâ sane ratione nefas non putabitur, ponere in Deo *virtualitèr* aliqua, quæ ex sua ratione, non quidem virtualitèr; sed in genere formali sunt imperfecta, vt accidens, receptio, compositio, & alia. Non enim cōtra; sed iuxta perfectionem Dei est, seclusis imperfectionibus, præstare munia similia illis, quæ in creaturis, medijs rebus imperfectis, imperfectè præstantur, vt omnibus Theol. notissimum est. Vnde facilè non est in aperto ponere scopū controuersiæ; cùm tamen hoc semper prętari debeat antequam ad disputationem veniamus, ne sine fructu labor integer in incertum dirigatur.

3 Vt igitur disputationis scopum aperiamus, habendum præ oculis est, quod iam tetigimus loc. cit. de Scientia, num. 60. & 61. distinctionem virtualem intrinsecam inter extrema diuina, nihil aliud esse, quàm ea extrema cum vera, & reali identitate ipsorum componere capacitatem, vt re ipsâ suscipiant prædicata contradicentia. Hinc fit, distinctionem virtualem intrinsecam in extremis diuinis tria petere. *Primum est*, dicere in sua ratione formali prędicatum commune distinctioni reali simpliciter tali. Nam omnis distinctio realis, simpliciter talis, est capacitas, vt ea extrema, inter quæ datur, suscipiant re ipsâ prædicata contradictoria. *Secundum est*, tale prædicatum, contractum ad extrema finita, sufficiens adeò esse ad constituendum illa *realiter simpliciter* distincta, vt nihil aliud requirat, adhùc formaliter, ad constituēdam distinctionem realem simpliciter, quàm super extrema finita cadere. Nā formalis, & adæquata diffinitio distinctionis realis simpliciter talis intèr extrema finita est hęc, vt in metaph. ostendimus: *Capacitas competens extremis non dicentibus perfectionem simpliciter infinitā, vt re ipsa suscipiant prædicata contradictoria.* Tertium est, tale prædicatum, vel talem capacitatem cadentem supra extrema illa diuina, quæ dicuntur virtualitèr intrinsecè distingui, v.g. supra essentiam, & personalitates, componi cum vera, & reali talium extremorū identitate.

4 Iam verò, cum productio virtualis, si quæ datur inter prædicata Dei, exponēda sit ad proportionem distinctionis virtualis, fit ex his, prædictam productionem, v.g. inter intellectionem, & volitionem diuinam, tria postulare. *Primum est*, dicere in sua ratione formali prædicatum commune productioni reali

reali simplicitèr tali. *Secundum est*, tale prædicatum contractum ad extrema finita, sufficiens a deo esse ad hoc, vt constituantur producens, & productum, vt nihil aliud requirat, adhùc formalitèr, ad constituendam productionem realem simplicitèr, quâ super extrema finita cadere: ita quidem, vt ex eo prædicato simul cum limitatione extremorum, præciso formalitèr quolibet alio, conficiatur formalis, & adæquata diffinitio productionis realis simplicitèr talis. *Tertium est*, tale prædicatum cadens super illa extrema diuina, quæ se habere dicuntur, vt producens, & productum virtualitèr, componi cum vera, & reali talium extremorum improductione. Tota igitur præsentis disputationis controuersia est, an detur in essentia, & volitione diuina necessaria prędicatum quoddam intrinsecum, quod licèt non vt contractum ad extrema diuina; tamen ex genere suo sufficiens sit, vt ex præcisa coniunctione cum limitatione extremorum, super quæ cadat, constituat formalissimè, neque solùm materialitèr, vel illatiuè, realem simplicitèr productionem, quâ vnum ex eis extremis producat alterum. Cõstabit amplius ex dicendis, & ex tract. de Essentiâ, & Attributis tantùm posse dirigi controuersiam dubitationi obnoxiam ad scopum præfixum.

5 Quibus præmissis, duplex sententia referri solet. Prior affirmat, diuinam essentiam producere virtualitèr physicè suam volitionem necessariam. P. Ripalda in m. s. de Voluntate, disp. 3. sec. 4, ait, pro hac sentẽtia stare Ricar. & Henric. adductos à P. Ruiz hic, disp. 2. sect. 1. Item S. Bonauent. in 1. dist. 45. q. 1. Basol. q. 1. art. 3. & 4. Durand. q. 1. Scot. q. 1. & dist. 35. q. 1. §. *Ad* 2. Caietan. Bannez & P. Molin. quos refert, & sequitur P. Granado hîc, disp. 1. num. 3. Rursùs P. Tanner. 1. p. disp. 2. q. 11. dub. 5. num. 4. P. Arrub. 1. p. disp. 49. capit. 2. P. Rainaud. in Theologia naturali dist. 8. à n. 52. Albeld. 1. p. disp. 50. num. 30. Adde P. Arriag. hîc disp. 24. sect. 2. & nonnullos doctos RR. ex nostris. At, vt verum fatear, præter Arriag. & RR. alij præcitati Auctores dubiæ mihi mentis sunt, quia non satis ex ipsorum scriptis constat, an distinctionem, & productionem virtualem accipiant in eo rigore, quem dedimus num. 3. & 4.

¶ Posterior sententia negat, quam sequitur P. Ripal. sup. citans pro illa Alexand. Albert. & Capreol. quos refert, & sequitur P. Ruiz sup. & de Trinit. disp. 8. sect. 10. Aureol. in 1. dist. 35. art. 3. & dist. 45. art. 2. & 3. P. Suar. in metaphys. disput. 30. sect. 16. num. 9. P. Salas. 1. 2. tract. 2 disput. 1. num. 83. & tract. 11. disp. 2.

2.num. 31. P.Herice. 1.p. disp. 12. cap.1. P.Fassol.1. p.q.8.art. 2. num.64. & 80. Fauet Durellæus lib. 1. Dialecticæ supernat. cap.4. fol.50. P. Vaz. 1. p. disp. 102.num.1.& disp.119. cap.3. Adde P. Hemelm. tom.1.titul. 3. disp.1. cap. 26. & alios RR. Cæterùm, etiam in hac sententia, præter P.Ripal. P.Herice, ac RR. certè alij Auctores indubitati patronì mihi non sunt. Tum quia non satis constat, quo sensu productionem virtualem accipiant. Tùm quia non agunt, admissâ distinctione virtuali intrinseca; sed ea negatâ inter Dei essentiam, & amorem necessarium. Nunc autem disputamus ea admissâ.

CAP. II.

Etiam admissa distinctione virtuali intrinseca inter essentiam Dei, & amorem necessarium, hic non producitur physicè virtualitèr ab illa.

6 PRobatur hæc assertio ex prænotatis num.4. Talis productio physica virtualis est prædicatum quoddã relinquens simplicitèr improductum amorem necessarium ab essentia Dei; ita tamen, vt tale prędicatum ex genere suo sufficientissimè constitueret formalitèr id, quod est vnam rem simplicitèr produci ab alia, ex eo præcisè, quòd rebus finitis competeret. At eiusmodi prædicatum est impossibile: ergo & productio virtualis, de quâ loquimur. Maior constat num. cit. ex declaratione controuersiæ. Minor probatur, quia, si rem attentè consideres, nullum est prædicatum, quod subeat assignatas conditiones, præscindendo à ratione exercitij, quo vis propagatiua, extensiua, & multiplicatiua rerũ præstat absolutè, & simplicitèr hanc propagationem, extensionem, & multiplicationem, traducendo rem, quæ producta dicitur, à possibilitate ad existentiam. At ratio talis exercitij impossibilis est in essentiâ diuinâ respectiuè ad amorem necessarium: nam implicat essentiam Dei multiplicare absolutè, & simplicitèr res supra se ipsam, præstãdo præcisè, quòd existat amor necessarius, quippè qui est absolutè, & simplicitèr eadem res, quę essentia diuina: ergo prædicatum assignatũ impossibile est in essentia Dei respectiuè ad amorem necessarium.

7 Explicatur hic discursus, quì min⁹ intimè inspectus videbitur inefficax. Omne prædicatum in Deo existens, quod dicitur tale, vel tale virtualitèr, aliquid est, non solùm cum hoc addito diminuente, & alienante: *Virtualitèr*; sed etiam formalitèr, absolutè, & simplicitèr, & aliquid aliud est virtualitèr; &

æqui-

æquiualentèr. Imò non aliter est virtualitèr, & æquiualentèr vnum, nisi quatenùs absolutè, & formalitèr est aliud. Sic aurum, quatenùs absolutè, & formaliter est aurum, est virtualitèr, & æquiualentèr argētum. Sic omnipotentia diuina, quatenùs est absolutè, & formalitèr principalissima virtus productiua creaturarum, est virtualitèr, & æquiualentèr ipsum *esse* creaturarū. Sic demùm, ipsa distinctio virtualis intrinseca, quàm gratis admittimus, inter essentiā Dei, & amorem necessarium, quatenùs est absolutè, & formalitèr aptitudo intrinseca, vt tales formalitates suscipiant prædicata contradicentia, est virtualitèr, & æquiualentèr distinctio realis formalis. Patet enim implicatorium esse prædicatum, quod absolutè, & formalitèr existat in Deo, simulque nihil sit absolutè, & formalitèr. Si igitur absolutè, & formalitèr exittit in Deo physica productio virtualis, qua Dei essentia physicè producit virtualitèr amorem necessarium, quēadmodum absolutè, & formalitèr existit in Deo, ex aduersarijs, distinctio virtualis, quâ Dei essentiâ distinguitur virtualiter ab eo amore, certè, vt in virtuali distinctione formaliter, & absolutè existente in Deo assignatur prædicatū in quo cōsistat, quod formalitèr, & absolutè detur in Deo, tamètsi æquiualeat alteri rei, quæ in Deo non datur; sic in virtuali productione, quę in Deo formalitèr, & absolutè datur, oportebit assignare prædicatū, in quo consistat, quod formalitèr, & absolutè detur in Deo, tametsi rei alteri, quæ in Deo non datur, æquiualeat. At, vt cōtendimus, non est assignabile tale prædicatum, quia quodcunque assignetur, vel insufficiens erit constituendæ productioni virtuali, de quâ lis est; vel erit prædicatum in Deo non existens, & importans formalitèr, vel illatiuè distinctionem realem absolutè dictam inter essentiā Dei, & amorem necessarium; sin minùs, assignetur prædicatum his vitijs expers: ergo dicta productio neganda est. ¶ Nec sufficiet dicere (quod illis, qui minùs intimè res ipsas perspiciunt, verbisque ludere placet, solenne est) hoc prædicatum stare in eo, vt essentia diuina non producens simplicitèr suum amorem necessarium, perinde se gerat, ac si produceret ipsum simplicitèr. At statim animus non quiescens inquiret, quid potiùs detur in essentia diuina respectiuè ad amorem substantialem, & necessarium, quam in hoc respectiuè ad se ipsum, vt illa potiùs perinde se gerat, ac si produceret hunc, quàm iste perinde se gerat, ac si produceret se ipsum? adeò, vt ly: *perinde, &c.* satis sit ad constituendā essentiam producen-

ducentem virtualiter amorē necessariū; cùm tamen hic nō producat virtualiter se ipsum.

8 Recētiores nostri, qui subtilius, & accuratius, quā alij, rem hanc versarunt, dicūt post P. Arrubal in eo virtualem stare productionem, vt essentia Dei produceret realiter volitionem necessariam, si ab ea realiter distingueretur, adeo, vt nihil obstet, præter realem identitatem cum illa, quominùs ipsā realiter producat. Sed contra hanc solutionem arguo primo ex prænotatis n. 3 & 4. Nam ad productionem virtualem physicam inter Dei essentiam, & amorem necessariū requiritur, quod de his extremis verificetur quidquid de extremis creatis habentibus ordinem producentis, & producti verificatur ex præcisâ ratione producentis, & producti, præscindendo ab extremorum limitatione. Sed hoc nō cōtingit iuxta solutionem datam. Igitur insufficiēs est. Maior patet a paritate distinctionis virtualis. Nam idcirco essētia diuina, & paternitas distinguuntur virtualiter intrinsecè, quia de his extremis verificatur esse re ipsâ capacia prædicatorū contradicentium; & aliunde capacitas hæc est totum, quod ex præcisâ ratione distinctionis realis cōuenit extremis creatis realiter distinctis, si non exprimas illorum extremorum limitationem, vel ab ea præscindas. Sicut ergo requiritur ad distinctionem virtualem intrinsecam inter extrema diuina, quòd de his extremis verificetur quicquid de extremis creatis realiter distinctis verificatur ex ratione distinctionis realis, præcisâ dumtaxat limitatione talium extremorum; sic requiretur ad productionem virtualem intrinsecam inter extrema diuina, de talibus extremis verificari quidquid de extremis creatis realiter habentibus ordinem producentis, & producti verificatur ex ratione productionis, præcisâ dumxat talium extremorum limitatione. ¶ Minor probatur. Quia præcisâ limitatione solis, & lucis, v.g. ex ratione producētis, & producti realiter, verificatur de his extremis, ita se habere, vt vnum actiuè extendat vnitatem numeri ponendo aliam vnitatem. At ita se habere præscindit a limitatione, cùm similis habitudo citra omnem limitationē detur in Patre æterno respectu Verbi diuini, & aliunde sic se habere non competit essentiæ Dei, & amori necessario, quæ nō sunt reuera numerus; sed vnica vnitas: ergo, iuxta solutionem datam, non conuenit prædictis formalitatibus, quod necesse est ad productionem physicam virtualem. Et quidem, vt controuersia non sit inanis, nomine productionis virtualis oportet hîc intelligere, prædicatum,

quod imbibat omnem rationem productionis realis creatæ, præcisâ duntaxat ratione limitationis, simili ratione, ac sumitur distinctio virtualis intrinseca: si enim non sumitur omninò proportionatè ad huiusmodi distinctionem; sed in aliâ acceptione, poterit vnusquisque, terminis acceptis pro suo libito, concedere, vel negare productionem virtualem.

9 Arguo secundò. Nisi diuina essentia vigeat nunc virtute ad producendum realitèr actualitèr volitionem pro hypothesi distinctionis realis talis volitionis ab essentia Dei, non producit illam virtualitèr nunc. At essentia diuina non viget nunc eâ virtute: ergo non producit virtualitèr prædictam volitionem. Maior est certa. Tum, quia ex parte essentiæ diuinæ non in alio, quâ in eâ virtute, fundatur nunc illa veritas conditionalis * Produceret realitèr actualitèr volitionem, eo præcisè, quòd realitèr actualitèr distingueretur ab illâ * Tum quia, si diuina essentia non vigeat nunc eâ virtute, falsa est illa propositio, per quam explicatur productio virtualis, nimirùm, nihil præter realem identitatem obstare, quominùs essentia Dei producat realitèr actualitèr eam volitionem: siquidem etiam obstat defectus virtutis in essētiâ diuinâ ad producendum, etiam secluſa identitate reali. Minor ergo probatur. Quod se ipso est essentialitèr impeditū, vt habeat *esse* pro aliqua hypothesi, non habet virtutem, vt pro eadem hypothesi tribuat alteri suum *esse*. Nam de ratione habentis virtutē ad producendum alterum sub aliqua hypothesi est, sub eadem posse cōiungi cum illo. At essentia diuina se ipsâ est essentialitèr impedita, vt habeat esse pro hypothesi nō idētitatis realis cum amore necessario: ergo nō habet virtutem, vt pro hac hypothesi tribuat suum esse amori necessario. Minor probatur. Quod est essentialitèr plenum omni perfectione simplicitèr simplici est essentialitèr impeditum, vt habeat *esse* pro hypothesi carentiæ perfectionis simplicitèr simplicis: sicut, quod est essentialitèr animal rationale, est essentialitèr impeditū, vt habeat *esse* pro hypothesi carentiæ talium prædicatorum. At essentia diuina est essentialitèr plena omni perfectione simplicitèr simplici: ergo est essentialitèr impedita, vt habeat *esse* pro hypothesi carentiæ illius, quod est perfectio simplicitèr simplex. Talis autē est idētitas realis essentiæ diuinæ cum amore necessario, vt nemini dubium: ergo essentia diuina est essentialitèr impedita, vt habeat *esse* pro hypothesi non identitatis talium extremorum.

10 Huic obiectioni, quam paulò

paulò aliter sibi opponunt quidam ex nostris in Salmantinâ Vniuersitate meritissimi Magistri, responderi ex ipsis poterit: casu, quo essentia diuina distingueretur realitèr à volitione necessaria, non fore eandem, quæ modo est; sed aliam impossibilem, & imperfectam, simulque summè perfectam, in qua coniunctione prædicatorũ sibi contradicentium elucet maximè talis impossibilitas. Cum hoc autem stat, esseverum, quòd essentia diuina, in hac hypothesi distinctionis realis à volitione necessaria, produceret realitèr hanc volitionem: per quam veritatem conditionalem definita est productio virtualis, de quâ agimus. Id, quod explicatur, quia propositione conditionali affirmante tale obiectum, solùm asseritur, si distingueretur realitèr essentia diuina à volitione necessaria, essentiam diuinam, non qualis modo est; sed qualis tunc esset, fore principium realitèr productiuum volitionis necessariæ. Porrò autem nihil obesse, quominùs productio virtualis nunc existens diffiniatur per id, quod in assignata hypothesi cõtingeret illi essentiæ diuinæ chymericæ, triplicitèr probant.

¶ *Primò*, quia, teste P. Suar. lib. 10. de Trinit. c. 2. communitèr scholastici contra Ecclesiã Græcam probant, Spiritũ S. procedere à Filio, ex hac veritate: *Si Spiritus S. non procederet à Filio, non distingueretur ab illo; sed potius esset idẽ cum illo: omnia enim in diuinis sunt idem, nisi vbi obest relationis oppositio.* Si autem purificaretur hypothesis de nõ processione Spiritus S. à Filio, destrueretur Sp. S. qui modo est, quippè de conceptu essentiali ipsius est respectus ad duas personas producentes, nempè Patrẽ, & Filium, qui respectus tunc deesset. Sicut ergo de aliquo subiecto potest aliquid probari per euentum conditionatum, quo euentu transeunte in absolutũ, essentia illius subiecti destruetur; similitèr poterit aliquid per similem euentum definiri: sic igitur sine vitio diffiniri poterit virtualis productio.

11 *Secundò*, idem apparet in appetitu innato, quem habet lapis, v. g. respectu centri: talis enim appetitus diffiniri, & explicari consueuit per hoc, quòd lapis, si esset cognoscitiuus, & appetitionis elicitæ capax, appeteret elicitè centrum; & tamen, si purificaretur conditio posita in definitione, nempè, lapidem esse cognoscitiuum, & appetitiuum elicitè, eo ipso destrueretur essentia lapidis: ergo similitèr productio virtualis rectè diffinietur per euentum conditionatum, cuius cõditione purificatâ, destrueretur essentia Dei. *Tertiò*. Quia non plùs inuicẽ distant possibile, & impossibile,

quàm Deus, & creatura, inter quos est infinita distantia. At frequens est explicare perfectiones Dei per eas, quas cernimus in creaturis: ergo productio virtualis possibilis, verèque existens in Deo diffinibilis, & explicabilis erit per aliquid impossibile, nempè, per essentiam diuinam, qualis in essendo, necnon in operando, foret in casu distinctionis realis à volitione necessaria.

12 Pulchra quidem hæc sunt; mihi tamen insufficientia. Duplicitèr intelligi potest hæc solutio. *Primò*, concedendo, dari nunc in essentia diuina virtutem absolutam, vt aiunt, ex parte subiecti, & cõditionatã ex parte termini, nempè, ad producendum realitèr amorem necessarium sub conditione, quòd distinguatur realitèr ab essentia Dei, ita quidem, vt talis virtus requiratur ad hoc, vt modò detur productio virtualis. *Secundò*, negata nunc tali virtute, præcisèque concedendo, essentiam diuinam, nõ qualis modò est; sed qualis chymæricè esset in hypothesi impossibili iam assignata, habituram esse virtutem, & actualitèr esse producturam realitèr volitionem necessariam, adeò, vt sicut productio realis non datur nunc absolutè; sed daretur in ea hypothesi; ita non detur nunc absolutè; sed in ea hypothesi daretur virtus ad productionem. Quouis modo solutio mihi displicet. Primõ quidem modo, quia semper vim suam retinet argumentũ factum n. 9. siue prędicata realia possint; siue non possint explicari per euentus conditionatos de conditione impossibili. Nam quicquid de hoc sit, impossibile est habere ex nunc essentiã diuinã, quæ modò est, virtutem ad aliquid præstandũ, pro hypothesi, quâ nõ ipsa; sed alia essẽtia diuina chymærica daretur: impossibile quippè est hæc duo cõiungi; hanc essentiã diuinã esse essẽtia litèr impeditam ad existendũ in tali hypothesi; & habere nũc virtutem, vt aliquid, non quidem nũc; sed pro ea hypothesi pręstet.

13 Secundo modo videntur intelligere solutionem præcitati Magistri. At etiam sic displicet propter iam tacta n. 9. quæ nunc vberiùs exponentur. Nam primò. Vt productio virtualis nunc existens in Deo definiatur per euentũ conditionatum saepè assignatũ, oportet, hunc euentũ fundari in prædicatis intrinsecis nunc re ipsa existẽtibus in Deo. Nam alioqui diuinam essentiam producere virtualitèr volitionem necessariam non erit prędicatum Deo intrinsecum; sed aliquid aduenies spurè extrinsecùs, quod est omninò falsum. Ar, nisi diuina essentia vigeat virtute absoluta ex parte subiecti ad productionẽ realis volitionis necessariæ, sub cõditione, quod hæc

hæc distinguatur realitèr ab illa, non datur ex parte Dei prædicatum intrinsecum, in quo nitatur euentus ille cõditionatus: ergo, vel productio virtualis non datur; vel prædictâ virtute viget essentia Dei. Minor probatur. Nã ea virtute præcisa, nihil ex parte Dei assignabile restat, vbi nitatur prædictus euentus conditionatus de productione reali futura volitionis diuinæ nesseriæ casu, quo detur inter vtranque distinctio realis. ¶ Dices. Prædicatum diuinæ essentiæ intrinsecum, in quo nititur euentus ille conditionatus, est ipsa summa, & infinita perfectio diuinæ essentiæ, de cuius ratione est, vt casu, quo melius sit velle producendo volitionem, quàm nõ producendo, vt contingit casu, quo realitèr distinguatur à volitione, virtutem habeat ad producendum, & exerceat actualitèr producere.

14 Sed contrà. Summa perfectio diuinæ essentiæ non magis; sed forte minùs, arguit in ea hypothesi, producẽdã esse volitionem, quàm esse improducendam: ergo, si productio, vel improductio virtualis nunc existẽs pensanda est ex productione, vel improductione reali, quæ in ea hypothesi forent, potiori iure censebitur existens improductio virtualis, quàm productio. Probatur antecedens. Melius est, cæteris paribus, velle per volitionem absolutam minùs imperfectam, quàm magis imperfectã: ergo summa perfectio diuinæ essentiæ retenta in ea hypothesi potiùs arguit, esse volituram in ea hypothesi per volitionem, quæ sit minùs imperfecta in eo casu, quàm per imperfectiorem. At in casu distinctionis realis imperfectior concipitur volitio absoluta distincta, & producta à diuina essentia, quàm præcisè distincta, & à se ipsâ existens: ergo summa perfectio diuinæ essentiæ videtur in ea hypothesi magis arguere, se volituram volitionem improductam, quàm productam. Præterea. Quicquid sit, an in positione præcisa distinctionis realis essentiæ diuinæ à volitione necessaria inferatur realis productio huius ab illa, certè non minori iure in ea positione infertur realis improductio volitionis ab essentia. Si igitur prior illatio efficax est, vt nunc deprehendatur existens in Deo productio virtualis; cur posterior nõ erit efficax, vt tunc censeatur existens virtualis improductio? Antecedens probatur.

15 Quemadmodũ enim in eâ hypothesi ponitur præcisè ex parte essentiæ diuinæ imperfectio distinctionis realis à volitione necessaria, interimq; relinquitur talis essentia sumimè perfecta, præcisâ dũtaxat perfectione realis idẽtitatis cum volitione necessariâ; sic in eâdẽ hypothesi

thesi ponitur præcisè ex parte necessariæ volitionis imperfectio distinctionis realis ab essētia Dei, interimq; remanet talis volitio summè perfecta, præcisâ tantū perfectione realis idētitatis cū essentia. At quia in ea hypothesi præcisè secluditur ab essētia diuina perfectio realis idētitatis prędictę, ideò remanet essentia cū perfectione fœcūditatis producentis omnē perfectionem ab eâ essentiâ distinctā, & consequentèr, cum in nostra hypothesi ponatur volitio necessaria distincta ab essentiâ, hæc producit illā: ergo, quia in eâdē hypothesi præcisè secluditur à volitione necessariâ prædictæ realis identitatis perfectio, remanebit pro tunc ea volitio cum perfectione existētis à se, & cōsequētèr fiet, illā pro tunc nō produci realitèr ab essentia, quæ ponitur ab ea volitione distincta. ¶ Si dicas, sermonē esse de hypothesi, in qua secludatur à volitione necessaria nō solū perfectio realis idētitatis cū essētia Dei; sed etiā perfectio aseitatis in existēdo, cōstabit planè, quā arbitrariè, & inutilitèr hęc omnia ad præsentē quæstionē confingātur. Nam ex parte volitionis necessariæ duplicē possumus hypothesim cōfingere; alterā, vbi solū secludamus identitatē realē cum essentia diuina; alterā, vbi simul secludamus aseitatem volitionis in existēdo: in hac infertur volitionem produci; in illa infertur imporduci. Rursùs ex parte essentię diuinæ confingere possumus duplicem aliam hypothesim; aliā, vbi secludamus pręcisè ab essentia Dei realem identitatem cum volitione necessaria; aliā, vbi simul secludamus vim productiuam perfectionis necessariæ absolutæ (ad quā vim excludendā non requiritur fictio) relictā vi productiua perfectionis contingētis. In prima hypothesi, sit ita, essentia Dei produceret volitionem necessariam; in secunda nō produceret. Cur igitur realis improductio, quæ foret in duplici suppositione ex dictis, minùs efficax erit ad probandā nunc existentem in Deo improductionē virtualem volitionis necessariæ, quàm sit efficax ad probandam productionem virtualē productio realis, quæ foret in alia duplici ex prædictis positionibus? Vides igitur, & iterùm cap. seq. videbis, nihil pro præsente quæstione colligi firmum ex his cōmentis.

CAP. III.

Vlterior eiusdem rei probatio.

16 SEcundò principalitèr rejicitur solutio tradita capit. præced. secundo modo intellecta. Nam, vt cōstat ex n. 8. productio virtualis, per quā essentia Dei producat virtualitèr amorem necessarium, petit, vt ad

ad producendum realiter illum, nihil nunc obstet, præter realem identitatem cum illo. At, iuxta solutionem datã n. 10. secundo modo intellectam, alia obstant productioni reali præter identitatem prædictã: ergo solutio secundo modo intellecta destruit productionẽ virtualem, quam adstruere nititur. Minor probatur. Nam secundũ eam solutionem, & secundũ veritatẽ, dantur nunc ex parte Dei hæc tria. Primum, identitas realis diuinæ essentiæ cum volitione necessaria. Secũdũ, improducibilitas huius volitionis. Tertium, carentia actiuitatis in essẽtia diuina ad productionem volitionis, etiam sub conditione distinctionis realis. At non minùs hæc duo posteriora, quàm illud prius, obstant productioni volitionis necessariæ ab essentia diuina, quã realis identitas volitionis, & essentiæ: ergo alia obstant præter identitatem realem. ¶ Dices, hæc omnia reduci ad identitatẽ realem, quia, vice huius, posita distinctione reali, & volitio necessaria esset producibilis ab essentia diuina, & hæc esset productiua volitionis. Nam in ea reali identitate fundatur vnicè prædicta improducibilitas volitionis, & improductiuitas essentiæ.

17 Huius responsionis insufficientiam clariùs percipies, si nonnulla certa præ oculis habeas. *Primò*. Productio virtualis intrinseca petit essentialitèr distinctionem virtualem intrinsecam in illis formalitatibus, inter quas versatur, id est, componere cum identitate reali aptitudinem suscipiendi prædicata contradictoria. Nam, vt iam iterùm dixi, vbi est oppositio relatiua producentis, & producti, est proportionata distinctio. *Secundò*. Volitio necessaria est se ipsa, adhúc virtualitèr, inseparabilis ab eo, quòd sit substantia infinita, quæ per ipsam volitionem redditur volens, *vt quod*. Ratio mihi est, vt omittam alias magis obnoxias euasionibus, Quia volitio necessaria Dei se ipsa, etiã virtualitèr, est inseparabilis à cognitione essentialitèr verissima de identitate ipsius volitionis cum tali substantia: ergo est inseparabilis se ipsa, etiã virtualitèr, ab eo, quòd sit prædicta substantia infinita. Nam eadem ratione, qua res est inseparabilis à cognitione essentialitèr vera de aliquo, est inseparabilis ab hoc. Antecedens probatur. Volitio necessaria Dei se ipsa, etiam virtualiter, est amor comprehensiuus Dei, ac proinde directus ex cognitione diuina perfectè comprehensiua, ac proinde essentialissimè vera, circa omnia prædicata intrinseca Dei. At vnum ex prædicatis intrinsecis Dei est identitas cum tali substantia: ergo volitio necessaria Dei est essentialitèr re-

gulata ex cognitione diuina essentialitèr vera de idētitate prędicta, & consequentèr talis volitio est essentialitèr ab ea cognitione inseparabilis.

18 Iam responsio tradita reijcitur. Nam productio virtualis, quæ in præsenti defendenda suscipitur, versari non potest inter formalitates virtualitèr intrinsecè indistinctas. At, stando responsioni traditæ, productio virtualis potest versari inter formalitates virtualitèr intrinsecè indistinctas: ergo, iuxta eam responsionem, non defenditur productio virtualis, quæ in præsenti defendenda suscipitur. Minor probatur. Nam, vt vidimus, indistinctæ sunt, etiam virtualitèr, in ipsa volitione necessaria duæ istæ formalitates. *Prima*: Entitas essentialitèr determinata ad idētitatem cum substantia infinita volente, *vt quod*. Secunda: *Volitio necessaria Dei*; & tamen, stando responsioni datæ, dicendum est, primam illam formalitatem producere virtualitèr hanc secundam. Id, quod probatur. Nam, quominùs prima formalitas producat realitèr secundam, nihil obstat præter realem identitatem. At, per te, in hoc stat virtualis productio: hæc igitur datur inter eas formalitates. Maior probatur, & explicatur. Nam in primis quemadmodum, per te, verificatur conditionalis hæc de hypothesi impossibili: *Si distingueretur realitèr essentia diuina à volitione sui, produceret realitèr hanc*; ita, per te, consequenter verificabitur hæc: *Si distingueretur realitèr à volitione sui entitas, quæ nequit non esse substantia infinita volens*, vt quod, *produceret volitionem sui*. ¶ Rursùs, sicut essentiam diuinam producere realitèr sui volitionem necessariam impeditur ex triplici latere. *Primò*, ex identitate reali vtriusque. *Secundò*, ex aseitate in existendo volitionis necessariæ. *Tertiò*, ex non actiuitate absolutè existente in essentia diuina respectu volitionis necessariæ; sic etiam formalitatem entitatis, quæ nequit non esse substantia infinita volens, *vt quod*, producere realitèr sui volitionem necessariam impeditur similitèr ex triplici latere consimili, ac deinde ex indistinctione virtuali eius formalitatis à volitione necessaria. Demùm sicut omnia illa impedimenta reducuntur ad identitatem realem essentiæ diuinæ cum volitione necessaria, quia data distinctione reali inter has formalitates, iam cessaret omne impedimentum, quominùs essentia produceret volitionem; eodem iure reducentur ad identitatem realem impedimenta, vt formalitates illæ

illæ indistinctæ virtualitèr, quas ex parte volitionis assignauimus, habeant ordinem producentis, & productæ: datâ enim distinctione reali inter rem, quæ non potest non esse substantia infinita volens, & volitionem sui, non erit, cur illa non producat hanc, si datâ distinctione reali inter essentiam, & volitionē, non est, cur illa non producat hanc. Ergo, pēsatis omnibus, vel essentia diuina non producit virtualitèr volitionem necessariam; vel vna formalitas volitionis necessariæ producit virtualitèr aliam, quin distinguatur virtualitèr ab illâ. Cum igitur posterius sit falsum, patet, prius esse verum.

19 Huic ponderationi nihil melius inuenio, quod responderi possit, quàm dicere, ad productionem virtualem intrinsecam inter formalitates, quæ realitèr identificantur, non sufficere, vt fundent conditionatum euentum, quod vna realiter produceret aliam sub conditione distinctionis realis; sed vlteriùs exigi tale fundamentum versari inter formalitates virtualitèr intrinsecè distinctas. Nā in Theologicis cōtrouersijs non sunt accipienda nomina pro cuiusque libito, quo nihil esset firmum; sed iuxta constantem significationem Theologorū. Cùm igitur nomen *Productio* significet cōstantèr apud Theologos quādam inter producens, & productum habitudinem exigentem ea extrema in eo genere distinctionem sortiri, in quo sortiuntur productionem, ideo ad productionem virtualem intrinsecam necessariò exigitur intrinseca distinctio virtualis. Benè quidem. Inde tamen sic infero. Ergo productio virtualis intrinseca, vel non est ponenda in Deo; vel ponēda est in genere productionis, modo, quo distinctio virtualis intrinseca ponitur in genere distinctionis. Nā ex prædicatis, quæ Theologi ponunt in Deo in vno genere virtualitèr, colligēdum est, quâ ratione iuxta ipsorum Theol. vsurpationē ponenda sint virtualitèr alia prædicata alterius generis, vt ex se patet. At, vt constat ex num. 4. iunctis 6. & 7. nequit inter essentiam diuinam, & volitionem necessariam poni productio, quę in genere productionis se habeat eo modo, quo in genere distinctionis se habet distinctio virtualis intrinseca, quæ ponitur in Deo: ergo &c.

20 Deinde probatur ex alio capite, cōtra mentem Theologorum esse ponere productionē virtualem modo hactenùs impugnato. Si enim productio virtualis admittenda esset in Deo in sensu impugnato, etiam esset admittendum accidens virtuale. At hoc nequit admitti in Theologia: ergo neque virtualis pro-

productio iuxta sensum impugnatum. Probatur sequela. Nam ideò essentia diuina producit virtualitèr volitionem necessariam, quia, si ab hac realitèr distingueretur, eandem realitèr produceret. At similitèr, si realitèr ab ea volitione distinguere tur, hæc volitio realitèr esset accidens diuinæ essentiæ. Nam hanc essentiam informaret tanquam aliquid creatum distinctũ realitèr à Deo, & consequentèr extra constitutiuum subsantiale Dei: ergo, si volitio necessaria producitur virtualitèr, etiam est virtualitèr accidens Dei. Confirmatur: sicut esset imperfectio volitionem absolutam necessariam esse realitèr accidens essentiæ diuinæ; ita imperfectio esset produci realitèr ab ipsâ. At, hoc non obstante, nulla est imperfectio, iuxta aduersarios, in productione virtuali, ideòque ponitur in Deo: ergo nulla erit imperfectio in accidente virtuali, ideoque poterit poni in Deo.

21 Iam verò, quanuis acuti Recentiores Magistri mei putauerint apud P. Alarcõ 1. p. tract. 3. disp. 4. cap. 7. num. 20. posse admitti in Deo sine scrupulo accidens virtuale; illi tamen, cum quibus nunc agimus, existimant hoc non solùm esse falsum; sed nulla ratione tolerandum, ac temerarium contra communem consensionem Theologorum, & Patrum. Sed quidquid sit de æquitate, vel iniquitate cẽsuræ. Probatur cum ipsis, ex P. Alarcon suprà, consequentis huius absurditas, nonnihil immutatâ probatione, vt mihi sit efficax. Nam, si potest admitti in Deo accidens virtuale. *Primò*, poterit admitti in Deo peccatum virtuale. Si enim, vt in Deo volente se ipsum talis volitio sit accidẽs virtuale, sufficit, quòd esset accidens formale in hypothesi impossibili, quòd ea volitio distingueretur realitèr à Deo: ergo, vt in Deo sit peccatũ virtuale permittere peccatum odij Dei, sufficiet, quod esset peccatum formale talis permissio sub conditione impossibili, quòd deficeret Deo supremum dominium ab omnibus legibus absolutum. *Secundò*. Poterit admitti, existere in Deo desideria virtualitèr contristatiua ipsius: nimirùm, quia desideriũ, quo Deus exoptat vehementèr omnium salutem, destitutum euentu suo tristitiam induceret sub hypothesi impossibili, quâ Deus non esset mœroris incapax. Hæc autèm, & alia, quæ similitèr excogitari possunt, videntur proculdubio perabsurda.

22 Huic argumento Recentiores occurrunt (omissis instantijs expediendis cap. 6.) tunc solùm definiri posse aliquid per veritatem omninò conditionalem, cum ea est manifestatiua alicuius perfectionis; aut imperfe-

fectionis. Nam alioqui non erit oratio ignoti manifestatiua, vt requiritur ad definitionē. Iam, essentiam diuinam productuā esse realitèr volitionem necessariam, si ab eâ realitèr distingueretur, tametsi veritas sit conditionalis nihil ponens in esse, potest in Deo manifestare perfectionem aliquam: cum enim in Deo, prædicatisque diuinis producere realitèr sit perfectio ex genere suo, vt patet in primâ persona secundam, & in vtrâque tertiam producentibus; fit indè, productionem realem, non quæ sit; sed esset, assumi posse ad manifestandam perfectionē illā, quâ diuina essentia producit virtualitèr volitionem necessariā. ¶ At licèt sit verum, volitionē diuinam fore realitèr accidens Dei, si realitèr distingueretur ab essentia diuina; ea tamen veritas nequit in Deo manifestare accidens virtuale, de quo statim. Vnde, nō obstante tali veritate, relegandum erit à Deo virtuale accidens. ¶ Veritatem illam nō posse in Deo manifestare accidens virtuale, probatur: quia neque manifestat aliquam imperfectionem Dei, cùm omnis imperfectio procùl sit à Deo; neque aliquam perfectionem diuinam. Cùm enim accidens non sit ex genere suo perfectio; sicut productio realis est ex genere suo perfectio; sed potiùs accidens ex sua generica ratione imperfectionem imbibat, sanè accidēs, quod in Deo esset; sed non est, tam est ineptum ad manifestandam in Deo perfectionem, quæ in ipso est, quàm est inepta ignorantia, quæ in hypothesi impossibili esset in Deo, ad manifestandam perfectionem scientiæ reipsa existentis in Deo. Hęc ad argumentum principale. Videbimus posteà, quid dicatur ad cōfirmationem.

23 Ingeniosa solutio; sed mihi non solida. Nam illud, quod est impræscindibile ab imperfectione, manifestat perfectionem diuinam, quam vocas productionem virtualem: ergo similitèr aliud, quod sit ab imperfectione impræscindibile, manifestare poterit, si aliud non obstet, perfectionem aliam diuinam, quæ dicatur accidens virtuale. Probatur antecedens. Nam, per te, quod manifestat perfectionē productionis virtualis, non est prædicatum generalissimū productionis realis, vt sic; neque præcisè hoc prædicatum non adeò generale: *Productio realis inter prædicata diuina*; sed productio realis, quæ esset inter essentiam Dei, & volitionem necessariam, si realitèr distinguerētur. At productio realis conditionatè futura, quatenùs versās inter essentiam Dei, & volitionē necessariam, est impræscindibilis ab imperfectione: nam alioqui non solùm existeret sub cō-

ditione

ditione impossibili; sed absolutè: ergo quod manifestat illam perfectionem diuinam, quam vocas productionem virtualē, quatenùs hāc perfectionem manifestat, est impræscindibile ab imperfectione.

24 Confirmatur primò. Sicut accidens reale, & formale nequit, vt sic, ab imperfectione præscindere; ita productio realis, non qualiscumque; sed tamen, vt versans inter substantiam volitiuam, & volitionem absolutam, nequit ab imperfectione præscindere, ideoque in Deo dari non potest. At, quia ratio accidentis realis formalis nequit, vt sic, ab imperfectione præscindere, est, per te, ratio inepta, vt assumatur ad manifestationem perfectionis diuinæ: ergo, quia productio realis, vt versans inter substantiam volitiuā, & volitionem absolutam, nequit, vt sic, ab imperfectione præscindere, ratio erit inepta, vt assumatur ad manifestandā perfectionem diuinam productionis virtualis. Cū igitur ad huius manifestationem non assumas qualencunque productionem realem; sed quæ foret inter substantiam volitiuam, & volitionē absolutam, planè fit ex tuis dictis, assumi à te, vt perfectio diuina manifestetur, rationē ineptam ad eam manifestationem. ¶ Confirmatur secundò, vt locum euasionibus præcludamus. Ratio, quæ sumpta in specie est impræscindibilis ab imperfectione, non minùs apta, vel inepta est accepta in specie ad manifestationē perfectionis diuinæ, quàm sit ad idem apta; vel inepta in genere sumpta ratio, quæ in genere est impræscindibilis ab imperfectione. Vel ergo productio realis, quæ esset inter substantiam volitiuam diuinam, & volitionem necessariam, tametsi in hac specie productionis non præscindat ab imperfectione, est ratio apta, prout sumpta in hac specie, ad manifestandam perfectionem diuinam, quæ dicitur productio virtualis; vel inepta? Si apta: similitèr ratio accidentis realis sumpta in genere, quanuis in genere non præscindat ab imperfectione, erit in genere apta ad manifestādam perfectionem diuinam, quæ dicatur accidēs virtuale. Si inepta. Quomodo per prædictam productionem in specie sumptam explicas perfectionem diuinam, cùm ad hanc explicationem inepta sit?

25 Iam ad confirmationem positam num. 20. respondent, concessis præmissis, & negatâ consequentia. Discrimen reddunt. Quia negato in Deo accidente reali, neganda citra dubiū est realis productio volitionis necessariæ. Tum, quia eo ipso, quòd volitio necessaria produceretur realitèr, esset realitèr accidentalis

cidens essentiæ diuinæ, ex qua immanenter procederet. Tum, quia constat ex fide diuina, sola prædicata notionalia produci realiter in diuinis citra imperfectionem. Vnde, si accidens reale propter suam imperfectionem negatur, eodem iure realis productio volitionis absolutæ neganda erit. At verò, admissa productione virtuali volitionis necessariæ, non statim infertur, oportere admittere virtuale accidens. Tum, quia non sequitur manifestè ex productione virtuali volitionis necessariæ virtuale accidens, sicut manifestè sequitur accidens reale ex productione reali. Tum, quia neque fide diuinâ, neque ratione naturali constat, sola prædicata notionalia produci virtualiter citra imperfectionē: quapropter locus erit, vt dicatur, volitionem absolutam necessariam produci virtualiter sine imperfectione, quanuis accidens virtuale propter sui imperfectionē negetur. Id, quod viteriùs explicant: quia productio realis alicubi datur in diuinis sine imperfectione, nempè, in prædicatis notionalibus. Quid ni ergo possit dari productio virtualis in prædicatis absolutis? At, sicut nusquam in prædicatis diuinis datur accidens reale; ita neque virtuale.

26 Displicet solutio. Nam aliud est, non probari eisdem fundamentis, & eâdem claritate, admissâ productione virtuali, admittendum esse accidens virtuale; ac probatur, negato accidente reali, negādam esse productionē realem volitionis necessariæ. Aliud autem, non posse admitti accidens virtuale; semel admissâ productione virtuali volitionis necessariæ. Transeat illud primum. At secundum nō explicat adhibita solutio: est igitur insufficiens. Consequentia patet. Quandiu namque ratio non detur explicans accidentis virtualis imperfectionem, propter quam nequeat Deo concedi, etiam concessâ illâ virtuali productione, nihil fit; seu aliorsùm, non ex re, disputatio reijcitur. Quod vt appareat, instauro sic argumentum. Prædicatum nullam dicens imperfectionem potest poni in Deo. Sed admissa productione virtuali prædicati absoluti, nullam imperfectionē dicit accidens virtuale: ergo, admissa illa productione, potest poni in Deo. Maior certa est. Minor probatur. Nam, admissa productione virtuali prædicati absoluti, iam ponitur in Deo virtualiter sine imperfectione prædicatum, quod sine imperfectione nequit poni realiter: ergo accidens virtuale non dicit imperfectionem, ex eo præcisè, quod sit prædicatum, quod nequit poni realiter sine imperfectione. At neque dicit imperfectio-

ctionem ex eo, quòd nullibi in diuinis reperiatur accidens reale: ergo ex nullo capite. Minor subiuncta probatur. Prædicatū, quod in specie nullibi reperitur in Deo realitèr, nempè productio prædicati absoluti, potest in Deo reperiri virtualitèr citra imperfectionem: ergo prædicatum, quod in genere nullibi reperitur in Deo realitèr, nempè accidens, poterit reperiri in Deo virtualitèr citra imperfectionē. Vnde videtur, nihil posse dici, quod animum quietet, vt reijciatur accidens virtuale, quod paritèr non reijciat productionem virtualem.

27 Iam illa, quæ RR. afferebant num. 10. & 11. ad illustrandam explicationem traditam productionis virtualis per euentum conditionatum de conditione impossibili, nullum mouere debent. Non enim nego, posse prædicatum nunc existens in aliquo subiecto quodammodo dignosci, & explicari per id, quod accideret in aliquâ hypothesi fictâ retinēte aliqua ex his, quæ conueniunt tali subiecto, destruenteque alia identificata cum ipso, & consequentèr destruente ipsum subiectum: sicut simili modo probari possunt aliqua prædicata nunc realitèr existentia in aliquo subiecto. Et hoc modo, iuxtà communiorē sententiam Theologorum, si fingamus, dari in diuinis Filium, & Spiritum Sanctum; ita tamen, vt neuter sit principium productiuum alterius, & ex eo, quòd in hac hypothesi, attentis præcisè, quæ talis fictio considerat formalitèr, non sit, vnde arguatur distinctio realis Filij, & Spiritus Sancti; sed solùm identitas, benè probatur, requiri formalitèr, neque solùm materialitèr, & per accidens se habere ad distinctionem Filij, & Spiritus Sācti, quòd alter ab altero procedat: & similitèr alia realitèr existentia probari, & explicari possunt ex his, quæ formalitèr in suppositionibus fictitijs, & impossibilibus contingerent, de quo alibi fusè, vbi notabimus, vitandas esse, quoad fieri possit, has probationes, & explicationes per suppositiones chymæricas, quæ plerunque parùm proficiunt, quia semper, aut ferè semper probatio, & explicatio reduci possunt ad ea, quæ, præcisis illis, æquè benè intelliguntur. Deinde tales positiones non parùm officere solent: quia non intentis oculis duntaxat in ea, quæ iuxta leges arguendi ex his positionibus cōsiderari debent; sed ad implicationes, quæ ibi materialitèr miscentur, ex quibus innumeræ, vel omnes contradictiones inferuntur, cuncta perturbantur cum dispendio temporis, & absque vtilitate doctrinæ, vt doctis, & expertis notissimum est.

CAP.

CAP. IIII.

Exponitur posterior nostræ sententiæ pars.

28 FIxum ergo maneat ex dictis, etiam admissâ gratis distinctione virtuali intrinsecâ inter essentiam Dei, & volitionem necessariam, non esse admittendum, hanc virtualiter intrinsecè produci physicè ab illa. Assero tamen secundò. Admissâ tali distinctione, essentia diuina, vt intelligens Deum, producit virtualiter in genere morali allicitiuo, & impulsiuo volitionem necessariam. Vt clariùs explicem assertionem. Pono primò, essentiam diuinam claudere intrinsecè ex parte obiecti intellectionem necessariam, vt non semèl tetigimus, & suo loco dicemus. Pono secundò. Aliud est, allicitiuè, moralitèr, & impulsiuè præstare, quòd existat res. Aliud elicitiuè, physicè, & productiuè. Nam in creatis, iuxta satis cõmunem opinionem, quæ cognitioni dirigenti ad amorem negat concursum actiuum physicum ad amorem; solùmque concedit directiuum, ea cognitio non producit physicè amorem tanquam causa effectiua ipsius; benè tamen moralitèr tanquam dirigens, alliciens, & impellens ad hoc, vt existat. Hos omnes terminos in idem recidentes multiplico claritatis ergo. Illud ponit rem elicitiuè, vel physicè productiuè (quæ sunt idem) quod ponit illam exercitio, quo constituitur numeri vnitatem extendens verè, realitèr, & propriè supra se. Illud autem allicitiuè, moraliter, & impulsiuè rem ponit, quod coniungitur cum illâ positâ realitèr exercitio, quo expletur inclinatio, & exigentia illius ad existentiam huius. Sic notitia obiecti impellens ad amorem præstat in genere impulsiuo, quod existat amor, quatenùs amor ponitur realitèr existens exercitio, quo expletur exigentia, & inclinatio talis notitiæ ad existentiam amoris. Fateor, istas esse ex rebus, quæ ad primas apprehensiones huius negotij spectant; quas proinde implicabis, si magis explicare contendas.

29 Iam ergo sic probatur assertio nostra. Vbi datur constitutiuum adæquatum rei, datur ipsa res, quippè quæ non est aliud præter constitutiuum adæquatum sui. Sed, admissa distinctione virtuali inter necessariam intellectionem Dei, & volitionem necessariam, datur constitutiuũ adæquatum productionis virtualis, quâ intellectio (in qua stat essentia Dei intrinsecè ex parte obiecti) producat virtualiter in genere morali directiuo, ac determinatiuo volitionem necessariam: ergo datur productio, quam

aſſerimus. Probatur minor. Cõſtitutiuum adæquatum productionis virtualis in eo genere morali claudit præcisè quatuor conditiones, vt ex dictis n. 4. & ex dicendis num. 31. & 32. planum eſt. *Prima* conditio eſt, dicere in ſua ratione formali prædicatum commune productioni reali generis moralis: & iſta conditio non deficit hîc. Nam intellectio neceſſaria coniungitur cum amore neceſſario, ita, vt hæc extrema ſint capacia prædicatorum contradicentium, & ſimul ita, vt amor neceſſarius exiſtat explens in exercitio exigentiam, & inclinationem, quã ad ipſum habet intellectio. Realis autem productio generis moralis dicit in ſua ratione formali tale prædicatum, vt conſtabit percurrenti productiones omnes reales morales. *Secunda* conditio eſt, tale prædicatum productionis coniunctim ſumptum cum eo, vt verſetur inter extrema limitatæ perfectionis, adeò ſufficiens eſſe conſtituere productionem realem generis moralis, vt nihil aliud, adhùc formaliter, opus ſit tali conſtitutioni, quemadmodum ita ſufficiẽs eſt ad conſtituendum hominẽ prædicatum: *Animal* coniunctim ſumptum cum prędicato: *Rationale*. Sed neque iſta conditio deficit hîc: Quia ratio formalis productionis realis moralis ita rectè traditur. * Eſt habitudo verſans inter extrema finita capacia ſuſcipiendi prædicata contradicentia, quorum extremorũ ſic aliud exigit aliud, vt hoc exiſtat vi talis habitudinis explendo exigentiam alterius. *

30 *Tertia* conditio eſt, prædicatum aſſignatum verſans inter extrema diuina cõponi cum reali improductione in genere morali. Sed neq; in præſenti deficit iſta conditio. Quia ſicut nõ eſt realitèr, per modum agentis, principium alterius, niſi quod ab hoc altero diſtinguitur realitèr, ſic non eſt realiter, per modum impellentis, principium alterius, niſi quod ab hoc altero diſtinguitur realitèr. At intellectio neceſſaria indiſtincta eſt realitèr à volitione neceſſariâ: ergo in genere reali, & impulſiuo nõ producitur realitèr volitio ab intellectione, & cõſequentèr prædicatum aſſignatum volitioni competens cõponitur cum improductione reali volitionis in genere morali impulſiuo. *Quarta* conditio eſt, tale prædicatum cadens ſupra limitationem perfectionis eſſe, cæteris paribus, depreſſiuum potiùs, quam eleuatiuum perfectionis, nimirùm, ita ſe habere, vt cõparatis inter ſe duob⁹ extremis finitis, quoad reliqua paribus; diſparibus autẽ ex eo, quòd alterum includat; ſecùs autem alterum, tale prædicatũ, ex eâ incluſione decremẽtum potiùs, quàm incremẽ-

tum

tum perfectionis resultet. Explicatur, & probatur eiusmodi cōditio. Et in primis explicatur. Sumamus enim ex vna parte cōplexū ex duplici realitate susceptiuis prædicatorum contradicentium. Altera sit intentio finis, & altera sit electio mediorum. Deinde sumamus ex alia parte eandem indiuisam realitatem expertem realitèr extremis susceptiuis prædicatorum contradicentium, nimirùm, indiuisum actum, qui simul secū identificet realitèr omnibus modis tam perfectam rationem intendendi finem, & eligendi media, quàm perfectæ sunt istæ rationes in eo complexo: eo solùm discrimine, quòd in eo complexo dantur cum capacitate suscipiēdi prædicata contradicentia; at in eo actu dantur vnitissimæ per omnimodam identitatem excludentem aptitudinem, vt prædicata contradictoria suscipiant. Dubitandum sanè non est, hunc actum prorsùs identificantem secum has rationes, vtpotè sic magis accedentem ad infinitatem, & simplicitatem Dei vnicæ indiuisæ realitate superæquialētis pluribus, perfectiorē esse tali complexo. Quo fit, prædicatum, in quo distinctio virtualis diuinorū (vt sit distinctio virtualis) conuenire debet cum distinctione realī creatorū, nēpè, prædictam capacitatem esse prædicatum, quod versās inter extrema finita, depressiuū potiùs est, quàm eleuatiuum ipsorum, cæterisque paribus, melius non ipsum, quàm ipsum.

31 Deinde probatur explicata conditio. Nisi enim depressiuum potiùs, quàm eleuatiuum perfectionis esset cadens supra res limitatas prædicatum, quod in creatis constituit *tale realitèr simpliciter*; & in diuinis *tale secūdùm quid virtualitèr*, fieret, concedendum esse in Deo cum hoc addito *virtualitèr* prædicatum, quod etiā cum eo addito Theologi recusabunt admittere: si enim recusāt ponere in Deo prædicatum *accidētis virtualis*, fortiori iure fugient ponere in Deo prædicatum *entis imperfecti virtualis*, cum hîc explicatiùs, quā ibi, appareat imperfectio. At, nisi petatur assignata conditio ad prædicatum virtuale Dei, oportebit ponere in Deo prædicatum entis imperfecti virtualis: ergo iure petitur ea conditio. Minor probatur. Ideo præcisè (si conditio assignata non exigatur) inter essentiam diuinam, & relationes, v.g. ponitur distinctio virtualis, quia hæc extrema capacitatem habent suscipiendi prædicata contradictoria, & aliunde capacitas hæc simul cum eo, vt versetur inter extrema finita, constituit integram rationē formalem distinctionis realis simplicitèr dictæ. At in Deo datur prædicatū entis, & aliunde prædicatum

dicatum hoc simul cum eo, vt contrahatur per differentiã imperfecti, constituit integram rationem formalem entis imperfecti: ergo erit in Deo prædicatum *entis imperfecti virtualis*; nisi prædicta conditio ad virtualitatẽ exigatur. Vt igitur hoc vitetur inconueniens, dicere oportet, prædicatum entis ex vnâ parte non esse in re creatâ de. pressiuũ potiùs, cæteris paribꝰ, quàm eleuatiuum perfectionis; & aliunde, vt Deus esset ens imperfectum virtualitèr, titulo habendi prædicatum entis, non sufficere, vt eò præcisè, quòd contrahatur per differentiam *imperfecti*, constituat integram rationem formalem entis realitèr, & simplicitèr imperfecti; sed vlteriùs esse opus, vt in re creatâ sit potiùs, cæteris paribus, deteriorans, quàm perficiens.

32 Iam verò quarta ista conditio, quam expleuimus, non deficit in nostro casu. Nam prædicatum, ratione cuius volitio necessaria diuina dicitur à nobis virtualitèr producta in genere morali impulsiuo ab intellectione necessaria diuina, est hoc: *Esse volitionem coniunctam cum intellectione distincta distinctione aptitudinis ad susceipienda prædicata contradictoria, & cum ipsa intellectione coniungi per modum acquiescendi propensioni, quam ea intellectio habet ad talem volitionem.* At hoc prædicatum in creatis deprimit potiùs, quàm eleuat, perfectionem entitatiuã: ergo prædicta conditio non deest in præsenti. Minor probatur. Nam quemadmodum in creatis realitas, quæ simul componeret rationem intentionis, & electionis cum omnimodâ indiuisione intrinsecâ, etiam virtuali, & consequentèr sine processione intrinsecâ, etiam virtuali, electionis ab intentione, melior esset, cæteris paribus, propter maiorem propinquitatem cum infinitate, & simplicitate, quàm aggregatum duplicis realitatis, quarum altera sit intentio; & altera sit electio procedens moralitèr ab intentione. Sic in creatis realitas, quæ simul componeret rationem notitiæ monstrantis bonum, & rationẽ amoris prosequentis cum omnimoda indiuisione intrinseca, etiam virtuali, proindeque sine processione intrinseca, etiam virtuali, amoris à notitia, melior esset, cæteris paribus, quàm aggregatum duplicis realitatis, quarum altera sit notitia bonitatis; & altera volitio procedens moralitèr à notitia. At in hoc posteriori euentu, qui depressior est, quàm prior, quoad perfectionem entitatiuam, tollitur interest, quòd in eo depressiori euentu adest prædicatum, quod assignauimus; deest autem in illo euentu priori eleuatiori: ergo in creatis prædicatum

catum assignatum, cæteris paribus, deprimit potiùs, quàm extollit, perfectionem entitatiuã.

33 Hinc assertionis nostræ probatio cingitur sic. Ad constitutiuum integrum productionis moralis virtualis requiruntur præcisè quatuor conditiones iam enumeratæ. At, vt vidimus, omnes adsunt in præsenti. Igitur adest constitutiuum integrum productionis virtualis moralis. Vbi autem datur integrum rei constitutiuum, datur ipsa res: ergo datur in præsenti productio virtualis moralis. Confirmatur. Prædictæ cõditiones repertæ in linea distinctionis inter essentiam, & personalitates, constituunt distinctionem virtualem intrinsecam talium extremorum; ergo eædem, admissa distinctione virtuali, repertæ in linea productionis moralis volitionis ab intellectione, constituent productionẽ virtualem intrinsecam moralem. Consecutio tenet à paritate rationis: & antecedens facilè cõstabit meditanti.

CAP. V.

Soluuntur argumenta contra posteriorem partem nostræ sententiæ.

34 OBijcies primò. Admissa distinctione virtuali intrinseca inter intellectionem, & volitionem, essentia diuina non producit physicè virtualitèr volitionem, vt diximus in priori assertione: ergo admissa eadem distinctione, intellectio diuina nõ producit moralitèr virtualitèr volitionem. Probatur cõsequẽtia. Nam intellectio non exercet munus producendi moralitèr, nisi impellendo principium physicum, vt producat physicè. Sic intellectio, quâ nobis repræsentatur diuina bonitas, causat moralitèr nostrum amorem erga Deum, impellendo nos, vt eũ amorem physicè producamus: ergo sicut non est locus, vt intellectio causet realitèr moralitèr amorem, vbi non est principium causans realitèr physicè ipsum amorem; locus non erit, vt intellectio producat virtualitèr moralitèr amorem, vbi non est principium, quod ipsum producat virtualitèr physicè. ¶ Respondeo. Concesso antecedente, negatur cõsequentia. Ad probationẽ dicatur. Quãdiu amor est producibilis physicè à principio informato per cognitionem, nõ exercet cognitio munus producendi moralitèr amorem, nisi impellẽdo tale principiũ, vt producat physicè, ideoque verum habet exemplum in ea probatione adhibitum. At quandiu nõ est amor physicè producibilis à principio informato per cognitionem, tunc nõ exercet cognitio munus producẽdi moralitèr

amorem impellendo subiectum amaturum, vt physicè producat amorem; sed quatenùs per exigentiam, quam habet, vt bonitas iam apparens ametur, trahit secum talem amorem, vt explẽtem eius exigẽtiæ propensionẽ. Sic, si subiectum cognoscẽs bonum sit amatiuum boni cogniti, non quatenùs sit productiuũ eius amoris; sed præcisè quatenùs sit eo amore informabile, cognitio bonitatis exigens, & propendens in ipsius bonitatis amorem, producet hunc moraliter, non impellendo tale subiectum, vt physicè producat; sed suâ exigentiâ, propensioneque secum afferens eundem amorem subiecto, vt explentem eam exigentiam. Hinc, diuina intellectio producit virtualitèr moraliter diuinum amorem, non impellendo Deum, vt virtualiter physicè producat; sed secum Deo afferens talem amorem, vt explentem determinationem eius intellectionis ad talem amorem.

35 Obijcies secundò. Malè nos inclusisse distinctionem volitionis à cognitione in prædicato, quod n. 32. assignauimus, ratione cuius volitio producitur virtualitèr moraliter à cognitione. Nam productio realis nõ includit expressè, & formaliter; sed implicitè, & illatiuè distinctionem realem extremorum, inter quæ versatur: ergo productio virtualis non includit expressè, & formaliter; sed implicitè, & illatiuè distinctionem virtualem extremorum, inter quæ versatur. Probatur antecedens. Nam ex eo, quòd Pater Æternus producat realitèr Filium, probant PP. contra Sabelianos, Patrem distingui realitèr à Filio. At hæc probatio vitiosa esset, si productio realis includeret expressè, & formaliter distinctionẽ realem: ergo hanc non includit expressè, & formaliter. Maior constabit legenti Athanas. lib. 5. contra Arrianos, col. 2. Cyrillum Alex. lib. 1. in Ioan. cap. 2. Epiphan. hæresi 57. Hilar. lib. 5. de Trinit. col. penult. Clementem Alex. lib. 8. stromat. ad finem: & alios passim. Minor probatur. Nam idem per idem, ignotumque per æquè ignotum probare vitiosa probatio est. At, si productio realis includeret expressè, & formaliter distinctionem realem, probare hanc per illam esset probare idem per idem, ignotumque per æquè ignotum: ergo vitiosa probatio esset.

36 Huic argumento nimis in re simili fidunt docti RR. Negatur assumptum. Ad probationem, nego antecedens. Mihi enim verius est, productionem realem includere expressè, & formaliter, directè; vel de connotato distinctionem realem extremorum, inter quæ versatur

fatur. Ad probationem antecedentis negati, concessâ maiori, negatur minor: cuius probationi respondeo. Vitiosa probatio est idem per idem, ignotumque per æquè *omnibus modis* ignotum probare. Quia malè veritatem suadebis, si assumas vt medium, quod non minùs facilè tibi negabitur; quàm veritas, cui suadendæ incumbis. At non est vitiosa probatio suadere ignotum per æquè ignotum *vno modo*; & notius alio modo. Nam, si aliud non obstet, eo modo, quo notius est, poterit assumi vt medium ad suadendum id, quod adeo notum non est. Et hoc est, quod in præsens accidit. Explicemus id accuratè: magni enim vsus erit pro expediendis obiectionibus, quæ in simili frequentèr fiunt. Illud dicimus expressè, & formalitèr, directè, vel de connotato prædicatum aliquod importare, quod essentialitèr definiri nequit, non factâ expressa mentione talis prædicati. Sic *homo* expressè, ac formalitèr importat directè prædicatum *animal*. Sic *vnio extremorum* importat expresè, & formalitèr, saltem de connotato, extrema.

37 Dico ergo, productionem realem importare formalitèr, & expressè de connotato saltem, distinctionem realem extremorum, inter quæ versatur, quia nequit essentialitèr diffiniri, non factâ expressa mentione talis distinctionis. Vt enim dicebam n. 28. productio realis est exercitium, quo vna res, verè, & propriè numeri vnitatem extendit supra se: extensio autem vnitatis numericæ, ac multiplicatio in idem prorsùs recidit, meminisseque expressè multiplicationis est expressè meminisse distinctionis; sicut expressè dicere multa est expressè dicere distincta. Hinc deducitur, æquè ignotam esse productionem realem *in ordine ad notionem diffinitiuã*; ac distinctionem realem. Nam quantum ignoretur realis distinctionis, tantum diffinitiuè nescietur realis productionis. Cum hoc tamen stat, esse quibusdam notiorem notione minùs perfecta, & exacta, quàm diffinitiua, productionem, quàm distinctionem realem: quia non benè introspecta essentiâ productionis realis, & an includat, vel connotet realem distinctionem, possumus ex principijs minùs intrinsecis iudicare, hîc, vel ibi reperiri productionem, vel non iudicando; vel etiam negando, hîc, vel ibi reperiri distinctionem, vt si personæ fidedignæ testentur ignorãtibus essentiam productionis realis, hîc, vel ibi reperiri productionem realem, nihilque interim de reali distinctione testẽtur. Cuius rei obuia cuique erũt innumera exempla.

38 Concedebant ergo Sabe-

liani Patrem Æternum producere realitèr Filium (quibus autẽ ducti principijs id conceſſerint, viderint ipſi) Deinde ex ignoratione eſſentiæ realis productionis, negabant Patrem Æternum diſtingui realitèr à Filio. Vnde, quanuis per ſe, & ex intrinſecis rerum eſſentijs nõ erat ipſis diffinitiuè notior productio realis, quàm diſtinctio, quippè nullatenùs diffinitiuè ſciebant realem productionem; tamen ex principijs minùs intrinſecis, & quaſi per accidens productionem fatentes, diſtinctionem negabant, & conſequenter ex eis principijs notior ipſis erat productio, quàm diſtinctio. Quo poſito, rectè P P. productionem conceſſam, ipſiſque ab extrinſeco notiorem, quàm diſtinctionem negatam, ad probationem huius aſſumebant, contendentes optimè, vt crebrò in diſputationibus euenit, ſtare non poſſe, quod cõcedũt, ablq; illo, quod negãt.

39 Obijcies tertio, malè nos expoſuiſſe num. 29. *fine* productionem realem moralem in creatis, vt inde aſcenderemus ad explicandam productionem virtualem moralem in diuinis. Nam tota illa expoſitio cõmunis eſt, vel omnibus, vel pluribus productionibus phyſicis; & non ſolũ moralibus. Quis enim dubitet, igne producente calorem (quæ abs dubio ſunt extrema capacia prædicatorum cõtradicẽtium) productionẽ iſtam phyſicam eſſe habitudinem inter ignem, & calorem, media quâ expletur exigentia, & propenſio, quam habet ignis, vt ponatur calor? Sed hæc obiectio nullius momenti eſt. Nõ enim probat, malè tradi productionem realẽ moralem per prædicatum aſſignatum; ſed cùm hoc prædicatũ ſit commune, vel omnibus, vel pluribus productionibus phyſicis, communem eiſdem eſſe rationem productionis realis moralis: quod non negamus; ſicut in ſententiâ ponẽte cognitionem, non ſolùm moralitèr, & directiuè; ſed etiam phyſicè, & effectiuè concurrere ad amorem, actio, quâ cognitio producit amorem, eſt ſimul concurſus in actu ſecundo in genere directiuo morali; & in genere effectiuo phyſico. Quamobrem, ſi non ſolũ quæras rationẽ productionis realis moralis; ſed productionis realis moralis *purè*: cùm ille terminus *purè* nihil aliud præſtet, quã excludere mixturã productionis realis phyſicæ, tradere oportebit eã rationẽ per prædicatum aſsignatum, adiunctâ excluſione productionis phyſicæ, quam explicuimus num. 29.

40 Obijcies quartò. Si volitio diuina producatur virtualitèr moraliter ab intellectione diuinâ, proindeque ab eſſentiâ Dei, erit virtualiter accidẽs morale eſſentiæ diuinæ. Sed conſequens

quens est absurdum: ergo & antecedens. Consequentis absurditas satis constat ex cap. 3. Nã independẽter à nostris fictionibus, vel exiguã accidẽtis vmbrã Deo concedere nefas est. Sequi autẽ probatur. Tũ quia, si volitio diuina producatur virtualitèr physicè ab essentia Dei, erit virtualitèr accidens physicum essentiæ, vt eo cap. 3 arguebamus: ergo, si producatur virtualitèr moralitèr ab essentia, erit morale accidens ipsius. Tum quia, quod essentiæ inest subsecutũ ad essẽtiã est accidens essentiæ. At volitio necessaria inest essentiæ diuinæ, & producta virtualitèr moralitèr ab ipsa subsequitur virtualitèr moralitèr ad illam: ergo erit accidens virtuale morale. ¶ Fateor: inuictis incũbo argumẽtis, in quibus aliud præter voces vix inueniri potest. Sed interdũ oportet vulgo morẽ gerere. Respondeo primò, non esse à nobis *absolutè* concessam productionẽ virtualẽ moralẽ necessariæ volitionis ab essentia Dei; sed *ex suppositione* distinctionis virtualis istarũ formalitatũ. Vnde, si absurdũ sit, & ad productionẽ virtualẽ moralẽ consequens, accidens virtuale morale, solũ fiet, eã productionẽ virtualẽ moralẽ esse absolutè negandã, quod nequaquã est contra me, quia licèt putẽ, illam rectè inferri ex distinctione virtuali; tamẽ illã absolutè nego reijciens absolutè distinctionem virtualem omninò requisitam ad talem productionẽ.

41 Resp. secũdo, ex admissa productione virtuali morali nõ sequi volitionẽ sic productã esse accidens virtuale. Ad primã probationẽ in contrariũ. In primis eo loci non diximus *absolutè* ex productione virtuali physica volitionis sequi esse accidens virtuale physicum Dei; sed id sequi ex ea productione, vt diffinitã per euentus conditionatos impossibiles, de quibus ibi. Deinde, concessõ antecedente, negatur consequentia. Discrimen est. Ex productione virtuali physica volitionis non modo sequitur volitionẽ esse accidens physicũ virtuale Dei; sed etiã reale formale: quia, si vera sunt, quæ diximus in assertione prima, ex productione physica virtuali volitionis ab essentia diuina sequitur, nõ solũ virtualitèr; sed formalitèr realitèr esse productã ab essentia diuina, & consequẽtèr distinctam realitèr ab essẽtia diuina, proindeque creatã. Volitio autẽ creata Deũ intrinsecè afficiens, quæ, cũ sit creata, nequit esse de substantia Dei, manifestè esset accidens physicũ Dei. At ex productione virtuali morali volitionis, vt à nobis explicata est, non sequitur vllũ accidens siue reale, siue virtuale. Nam ex eiusmodi productione habetur duntaxat, volitionẽ diuinã poni ex exigẽtia intellectionis, vt non identi-

ficatæ virtualitèr cum ipsa volitione, intrinsecèque afficere naturam intelligentis. Prædicatum autem afficiendi naturam tanquam res existens ex naturæ exigentia, & quidem naturæ nõ identificatæ virtualitèr cum extremo, quod exigitur, non sufficit etiam posita limitatione, ad rationem accidentis realis, vt patet ex subsistentia, quæ naturam substantialem afficit intrinsecè, ponitur que ob exigentiam naturæ, quæ cum ipsa subsistentia non identificatur virtualitèr; & tamẽ subsistentia non est realitèr accidens; sed substantia: idẽque videre est in forma substantiali comparatione materiæ primæ, ad cuius exigentiam ponitur. Diximus autem in superioribus, nihil esse in diuinis virtualitèr tale (non loquor in genere efficientis; sed in genere quasi causæ formalis) quandiù non habeat prædicatum, quod, posita limitatione, constituere sufficiat *tale* realitèr formalitèr.

CAP. VI.

Soluuntur argumẽta contra aliam partem nostræ sententiæ.

42 IN fauorem physicæ productionis virtualis, quam negauimus, obijcitur primo. Nam, semel admissa diuinctione virtuali essentiæ diuinæ à volitione necessaria, essentia, vt distincta virtualitèr ab ea volitione, præcedit virtualitèr ad volitionem. Nam in eo genere, in quo essentia distinguitur à sua proprietate, præcedit ad illam, ac proinde, si essentia diuina virtualitèr distinguatur à volitione necessaria, quæ proprietas est talis essentiæ, præcedet virtualitèr ad talem volitionem. At nequit ad ipsam præcedere, nisi vt principium virtuale physicè productiuum ipsius: ergo sic præcedit. Minor probatur. Nam, si semel in diuina essentia admittatur respectiuè ad volitionem necessariam præcedentia in aliquo genere, ponenda est in eo genere perfectissima. At præcedentia principij virtualis physicè actiui perfectior est, quàm præcedentia, vel solius conditionis, vel principij quasi passiui, vel principij moralitèr actiui: ergo ponenda est præcedentia principij virtualis physicè actiui.

¶ Concessa maiori, negatur minor. Ad probationem, concessa maiori, explicatur minor. Verum est, in ordine ad terminum physicè producibilem perfectius esse, cæteris paribus, principium physicè productiuum, quã principium moralitèr productiuũ, quia illud propriori, & præstantiori modo, quã principiũ morale, dat *esse* termino: quemadmodũ propter similẽ rationẽ in ordine ad terminum verè, & realiter producibilẽ, perfectius esset, cæteris paribꝰ, principiũ verè, & realitèr productiuũ, quã productiuũ imꝰ

impropriè, & virtualitèr. At, sicut in ordine ad volitionem necessariam Dei verè, & realitèr non producibilem, perfectius est, iuxta arguentes, essentiam diuinâ esse purè virtualitèr, quã esse realitèr productiuam eius volitionis, quia realitèr esse productiuam eius volitionis est prædicatum chymæricum pugnans cum reali identitate essentiæ, & volitionis; ita, iuxta nos, in ordine ad eandem volitionem perfectius est, essentiam, & intellectionem diuinam esse productiuam virtualitèr purè moralitèr eius volitionis, quàm physicè. Nam, vt ex ijs, quæ diximus, constat satis, esse physicè virtualitèr productiuam eius volitionis est prædicatum chymæricum inferens productionem, nõ solùm virtualem; sed etiam realem pugnantem cum vera, & reali identitate essentiæ, ac volitionis.

43 Obijcitur secundò. Pro eo priori, quo Dei essentia præcedit volitionem necessariam, hæc volitio est proximè possibilis. Nam pro eo priori datur in diuinâ essentiâ necessitas proxima, vt sequatur volitio necessaria, omneque necessarium, eo ipso, quòd sit necessarium, est possibile: ergo sicut effectus creati, & finiti non sunt proximè possibiles pro priori ad suã existentiam, nisi in causis, & principijs realitèr productiuis ipsorũ; ita volitio necessaria non erit proximè possibilis ante suam existentiam, nisi in principio virtualitèr productiuo ipsius, & cõsequentèr hoc principium admittendum erit. Confirmatur. Pro illo priori, quo solùm existit diuina essentia, non existit actu, & formalitèr volitio necessaria, vt virtualitèr ab essentia diuina distincta; pro eoque priori talis volitio solùm est potens existere; ac deinde pro alio posteriori existit actu, & formalitèr: ergo talis volitio transit de potente existere ad actualitèr existendũ. Sed omne, quod transfertur de potentia ad actum, transfertur vi alicuius principij productiui: ergo datur principium productiuum volitionis necessariæ. Non productium realitèr: ergo virtualitèr.

44 Resp. Instatur in primis argumentum. Nam pro signo diuinæ essentiæ datur, nõ solùm virtualis, & impropria; sed vera, realis, & propria necessitas, vt existat volitio necessaria. Si igitur pro signo, quo nondum intelligitur existens volitio necessaria; sed præcisè necessitata, vt existat, datur vis productiua ipsius ad proportionem, quâ datur necessitas, vt existat, planè sequetur, dari vim productiuã, non solùm virtualem; sed verã, realem, & propriam. Deinde, concesso antecedente, negatur consequentia. Discrimen est.

Pro-

fa[illegible]ma posſibilitas effectus finiti, & limitati præcedens ad exiſtentiam eius effectus, conſtituitur ex omnibus prærequiſitis ad talem exiſtentiam: cùmque vnum ex illis ſit vis exiſtens, ſaltem in Deo, ad phyſicè producendum talem effectum, fit non intelligi talem posſibilitatē proximam, quandiù non intelligatur prædicta vis productiua. Deindè: prōxima posſibilitas volitionis neceſſariæ diuinæ præcedens ad exiſtentiam eius volitionis, cōſtituitur etiam ex omnibus prærequiſitis ad talem volitionem: at, cùm nullum illorum ſit vis phyſicè productiua virtualitèr; ſed ſummùm productiua moralitèr virtualitèr volitionis, rectè ſtat ea posſibilitas, quanuis nō claudat vim productiuam phyſicè virtualitèr volitionis. ¶ Hinc ad confirmationem. Concedo totum antecedens. Ad propoſitiones ſubiunctas reſpondeo. Volitio neceſſaria tranſit (ſumatur cautè verbum *tranſit*; non in omni rigore) ad actualem exiſtentiam de potente exiſtere, potentia quidem conſtitutiuâ volitionis in ratione virtualitèr moralitèr producibilis; non verò conſtitutiuâ ipſius in ratione virtualitèr phyſicè producibilis. Porrò autem, quicquid transfertur de potentiâ ad actum, ſic tranſfertur per exercitium proportionatum ad modum, quo eſt in potentiâ: nimirùm, ſi eſt in potentiâ ad exiſtendum phyſicè productiuè, per exercitium principij phyſicè productiui; ſi autem eſt in potentiâ, vt exiſtat productiuè moraliter, per exercitium principij productiui moralitèr, & ſic in cæteris. Cùm igitur volitio neceſſaria pro ſigno eſſentiæ diuinæ ſit in potentiâ, quæ tendit ad producēdum virtualitèr moralitèr; non phyſicè virtualitèr eam volitionē, tranſfertur ea volitio ad exiſtentiam actualem pro poſteriori per exercitiū principij moralitèr virtualitèr; non phyſicè virtualitèr productiui. Quapropter hæc argumenta videntur inutilia, quādiu non firmetur aliundè principium virtuale phyſicum.

45 Obijciunt tertiò. Vel materia prima eſt principium actiuū quantitatis, vel non? Si primum: ergo eſſentia diuina eſt principium virtualitèr productiuum volitionis neceſſariæ. Quî enim credi poteſt, omnem eſſentiam creatam, ipſamque materiam primam, quę propè nihil eſt, producere realitèr ſuas proprietates; & increatam illam, ac ſummam eſſentiam non poſſe producere virtualitèr ſuam volitionem, cuius eſt veriſsimè radix? Si ſecundum: profectò non ob aliud materia prima nō eſt principium realitèr productiuū quātitatis, niſi quia de ſe valde imperfecta eſt: ergo, cùm eſſentia diui-

diuina perfectissima sit, comparanda non est cum sua volitione necessaria, vti comparatur materia prima cum sua quantitate. Hoc argumentum, vt ex ipsius solutione patebit, habet vitium notatum num. præced. *fine*. Sed in primis. Peto ab arguente, quomodo credibile, & credendum sit, essentiam diuinam non producere realiter suam volitionem necessariam; cùm tamen materia prima, quæ propè nihil est, vel producat realiter suam quantitatem, vel, si non producit, ideò præcisè est, quia talis materia est imperfectissima, & ferè nullius actualitatis? Procul dubio respondebunt, & optimè: idcircò materiam primam, vel producere realiter; vel non sic producere suam quantitatem, quia vel non est adeò imperfecta; vel est adeò imperfecta, vt nequeat suâ actiuitate suam sibi quantitatem comparare. At essentia diuina non producit realiter volitionem, non quidem titulo imperfectionis; sed potiùs quia pertinet ad summam talium extremorum perfectionem identitas realis vnius cum alio, cum quâ non constat alterum ab altero produci realiter.

46 Similiter ergo respondemus, essentiam diuinam non producere virtualiter physicè volitionem necessariam, non titulo imperfectionis, quæ omninò procul abest ab essentia diuina, volitioneque necessaria; sed quia summa talium extremorum perfectio postulat, vt nihil admittant cum reali ipsorum identitate pugnans, cuiusmodi esset productio physica virtualis, quæ, apud nos, infert productionem physicam realem. Quamobrem donec nostrum hoc principium destruatur, nihil agitur contra nos. Iam, quod sine vlla probatione supponunt, nempè, diuinam essentiam esse *verissimè* radicem suæ volitionis necessariæ, non satis percipio. Non enim est aliâ veritate, & proprietate radix, nisi quâ veritate, ac proprietate oritur ab illa volitio necessaria. Per te autem hæc volitio oritur præcisè *virtualiter*, & hoc additum, per te, non solùm valde diminuit; sed alienat rationem oriendi: ergo non verissimè; sed cum addito valde diminuente, & alienante radicandi rationem, est radix. Iuxta nostra principia dicendum est, admissa falsò distinctione virtuali diuinæ essentiæ à volitione necessaria, illam esse radicem moralem virtualem huius. Absolutè autem, ea distinctione negata, quam verè negamus, essentia diuina radix est logica volitionis necessariæ, aliarumque proprietatum Dei, quatenus essentia diuina constitit in illa Dei ra-

ratione, quæ de Deo nobis est notior, quàm volitio, & aliæ proprietates, omniumque istarum illatiua est, iuxta suo loco dicenda, & non leuiter tacta disp. 3.

47 Obijciunt quartò: essentiam diuinam esse principium virtualiter productiuum volitionis necessariæ nullam in his extremis imperfectionē infert: ergo sine causa negatur tale principium. Antecedens probatur. Non enim infert imperfectionē in essentia diuina, quam potiùs extollit, quā deprimit esse principium virtuale. Non in volitione necessaria. Nam intellectionem passiuam notionalem, nempè, Verbum diuinum; volitionemque passiuam notionalem, nempè, Spiritum S. esse realiter productas à principio reali, non infert in ipsis imperfectionem: ergo à fortiori, volitionē necessariam essentialem esse virtualiter productam à principio virtuali nō arguit imperfectionē in ipsa. ¶ Confirmari potest primò argumēto, quo putant RR. rationes nostras eneruari. Nam admittimus, posse dari sine detrimento perfectionis diuinę distinctionem virtualem intrinsecam inter formalitates, vbi dari sine imperfectione nequit distinctio realis, nimirùm, inter essentiam, & relationes: ergo, semel admissa distinctione virtuali inter essentiam, & volitionem necessariam, poterit inter ipsas dari sine imperfectione productio virtualis intrinseca; tametsi dari nequeat productio realis. Cōfirmatur secundo. Nō enim est in diuinis realis distinctio, nisi vbi est realis oppositio producētis realiter, & producti realiter, vt tenent communiter Theologi tract. de Trinit. Ergo non erit in diuinis virtualis distinctio, nisi vbi sit virtualis oppositio producētis virtualiter, & producti virtualiter. At nunc admittimus, essentiam diuinam distingui virtualiter à volitione necessaria: ergo admittendum est, hanc ab illa virtualiter produci.

48 Hæc obiectio facilè soluitur ex dictis. Ad argumentum respondeo, negato antecedēte. Ad probationem dicatur, & in essentia, & in volitione necessaria imperfectionem argui ex eo principio virtuali. In essētia quidem: nam ex eo, quòd produceret virtualiter eam volitionem, argueretur producere illam realiter, & ab illa realiter distingui, vt constat ex num. 6. & 7. quæ procul dubio essēt imperfectiones in essentia diuina: nam alioqui non esset, cur modò nō produceret realiter volitionem necessariam, ab eademque distingueretur realiter. Item propter eandem rationem in volitione necessaria. Nam ex eo, quòd ab essentia Dei esset virtualiter intrinsecè producta, sequeretur esse

esse realitèr productam, & realitèr distinctam ab illa, quod in essentiali volitione necessaria imperfectio citra dubiũ esset. Neque obstat probatio ducta ex volitione notionali passiua realitèr producta. Sicut enim discimus ex fide productam esse realitèr; ita ex hoc principio coniunctim cum lumine rationis aperientis, nihil imperfectum in Deo esse, docemur imperfectionem non esse, quòd sit realitèr producta. At ex vna parte fides non docet, volitionem necessariam essentialem esse virtualiter productam ab essentia Dei; & aliunde docet, esse realitèr idẽtificatam cum essentia: ex his autem ratio naturalis infert, non esse virtualitèr ab essentia productam. Nam eiusmodi virtualis productio cum illa identitate pugnat, vt nos arbitramur.

49 Ad primam confirmationem, concesso antecedente, negatur consequentia. Discrimen est. Productio virtualis inter formalitates, ad quarum perfectionem infinitam petitur idẽtitas realis, pugnat cum ea reali identitate: quia neque fides supernaturalis; neque ratio naturalis; neque vtraque cõiuncta nobis aperiunt prædicatum sufficiens constituere talem productionem non oppositum identitati reali; potiùs ratio naturalis satis probabiliter ostendit, vt ex nostris probationibus constat, non posse dari sufficiens constitutiuum eius productionis absque oppositione cum identitate reali. Attamen, vel fides supernaturalis; vel saltem ipsa coniũcta cum ratione naturali, nobis aperiunt constitutiuum sufficiẽs distinctionis virtualis inter formalitates exigentes realẽ identitatem ad suam infinitam perfectionem. Nam de fide est, essentiam diuinam esse communem filio; & paternitatem non esse communem filio. Item, essentiam diuinam, & paternitatem identificari realiter. Vnde patet, identificari realitèr, & simul habere capacitatem, vt suscipiant prædicata contradictoria Hæc autem vocamus constitutiuum sufficiens distinctionis virtualis: neque aliud his terminis significant Theologi.

¶ Ad secundam confirmationem resp. Concesso antecedente, negatur consequentia. Discrimen est. Res diuinæ necessariæ non possunt aliter esse, quàm re ipsa sunt. Cùm igitur re ipsa nunquàm in rebus diuinis detur distinctio realis sine illa reali oppositione, vt fides docet, fit, impossibilem esse in rebus diuinis necessarijs distinctionem realem sine prædicta oppositione: siue distinctio realis diuinorum includat in sua ratione formali, siue saltem ex sua ratione formali necessariò inferatur inter extrema, quibus conuenit, oppositionem pro-

producentis, & producti, de quo magna lis est tract. de Trinit. inter Thomistas, & Scotistas, quā ibi, Deo volente, dirimemus. At vero distinctio virtualis intrinseca prædicatorum Dei benè potest adstrui, quin ea prædicata sortiantur oppositionem producentis, & producti virtualitèr: quia fides non docet, eam oppositionem habere; eamque non habere probabiliùs colligitur ex ratione naturali, vt in hac disp. vidimus.

50 Objicies vltimò: essentiā diuinam, suppositā distinctione virtuali, producere virtualitèr volitionem necessariam nihil aliud est, quàm talem esse intrinsecè, vt realitèr eam volitionem produceret, nullo alio, præter indistinctionem realem, impediēte realem productionem. At essentia diuina talis est intrinsecè: ergo producit virtualitèr volitionem necessariam. Maior videtur certa: nihil enim apparet, in quo possit meliori iure poni ratio productionis virtualis: quē admodum in essentia, & relationibus capacitas, vt suscipiant prædicata cōtradictoria, est virtualis eorum extremorum distinctio, quia, semel ea capacitate posita, nihil obstat præter illimitationem talium extremorū, quominùs realitèr distinguātur. Minor probatur. Nam essentia diuina est summè, & infinitè perfecta in ratione volitiuæ: ergo talis est, vt si volitio realitèr ab ipsa distingueretur, produceret realitèr ipsam: quia, semel ea distinctione posita, perfectius esset velle, ponendo in se immanentèr per suam actiuitatem actum volēdi, quàm veluti mortuo modo purè passiuè se habendo in susceptione volitionis.

51 Sed hoc argumentū multis de causis infirmum esse, constat ex cap. 3. & 2. à num. 8. Ex ibi dictis resp. *primò*, maiorem esse falsam. Nam, vt constat ex eo num. 8. præter assignata in maiori, requiritur ad productionem virtualē tota ratio productionis realis creatæ, exceptā præcisè limitatione extremorum, quæ sortiuntur habitudinem producentis, & producti, eaque tota ratio non inuenitur in essentia diuina respectiuè ad volitionem. Videatur locus cit. *Secundò*. Ex dictis num. 14. & 15. resp. distinguendo maiorem. Nihil aliud est, quàm talem esse intrinsecè, &c. si nō sit simul intrinsecè talis, vt non produceret realitèr volitionem, etiam sub cōditione distinctionis realis ab ipsa, transeat maior. Si simul sit intrinsecè talis, vt non produceret, &c. nego maiorem. Nam ex hypothesi, in qua paritèr sequeretur ex intrinsecis Dei productio, & improductio realis necessariæ volitionis, non benè colligitur nūc existens productio virtualis potiùs, quàm im-

improductio virtualis. Constat autem ex dictis eo loci, ex intrinsecis Dei peræquè colligi pro hypothesi distinctionis realis inter essentiam, & volitionem necessariã, realẽ improductionẽ, ac realẽ productionẽ volitionis. Omitto alia: semper enim violentissimè morot in his, quæ cõcernunt positiones impossibiles.

DISPVT. VII.

Expediũtur nonnulla circa voluntatem diuinã per modum potentiæ.

NEGATA, iuxta principia, quæ veriora iudicamus, distinctione virtuali intrinseca inter Dei essentiam, & volitionẽ necessariam, sicut tract. de Scientia Dei eandem distinctionem negauimus inter Dei essentiam, & intellectionem necessariam, vix aliud in præsenti dicendum occurrit, quàm eo tract. disputata fuso calamo disp. 2. Ideo missis Authorum citationibus, quæ videri possunt ibi, nihil aliud præstabimus, quàm voluntati, & volitioni necessariæ breuitèr applicare, quæ diximus ibi de intellectu, & intellectione necessaria.

(2.)

CAP. I.

Nostra sententia.

1 STatus controuersiæ, aliorumque sententiæ; sicut & authores, qui pro nostra sententia statim exponenda stant, habentur disput. cit. de Scientia Dei. Iuxta ibi dicta à num. 10. Assero primò. Non est in Deo voluntas per modum actus primî physici, siue realis formalis; siue virtualis in ordine ad volitionem necessariam. Vel alijs terminis: per modum potentiæ physicæ, siue realis formalis; siue realis virtualis. Ratio est. Nam, vt in simili vidimus loc. cit. de ratione potentiæ physicæ, vt à merè logicâ cõdistinctæ, est esse principium physicum illius, cuius est potentia. At in Deo non est voluntas, quæ sit principium physicum, siue reale formale, siue virtuale volitionis necessariæ. Nam de ratione principij est distingui à termino iuxta modũ, quo habeat munus principij; diuinaque voluntas neque realitèr formaliter, neque virtualitèr distinguitur à volitione necessaria, vt in anterioribus probatum est: ergo non est in Deo respectiuè ad volitionẽ necessariam voluntas per modum actus primi physici, vel, quod idẽ est, per modum potentiæ physicæ, siue realis formalis; siue realis virtualis.

2 Asse-

2 Assero secundò. Datur in Deo potentia logica ad volitionem necessariam. De hâc assertione dubitari nequit, non ignoratis terminis. Ratio est. Quia potentia logica ad rem non est aliud, quàm non repugnantia ad hoc, vt res habeat esse, vel, quod idem est, non implicare contradictionem, quòd res habeat esse. At neque repugnat, neque cõtradictionem implicat volitionem diuinam necessariam habere esse: nam alioqui non esset vera, & realis volitio; sed purè apparens, & chymærica: ergo datur in Deo potentia logica ad volitionem necessariam. De hac potentia logica intelligendum est principium illud certissimum Dialecticorum: *Ab actu ad potentiam rectè valet consequentia*: quod perinde est, ac si diceres: Rem actu esse cõnectitur necessariò cum eo, vt non implicet contradictionem esse actu.

3 Assero tertiò. Potentia logica, quæ datur ad nostras volitiones actuales, non habet rationem voluntatis præscindentis ab eo, quòd sit, aut nõ sit idẽtificata cum actuali volitione; secùs autem potẽtia logica, quæ datur in Deo ad suam volitionem necessariam. Hanc assertionem subijcimus, vt æquiuocationes resecemus, quæ in præsenti quæstione irrepere solent. Vt autem vtramque partem assertionis ipsa sui explicatione persuadeamus. Notandum est primo, hoc nomen *voluntas* interdum sumi pro actuali volitione; interdum autem pro illo prædicato, quo substantia intellectualis redditur capax, vt habeat rationem formalem volentis. Acceptiones istas notauimus disp. 1. num 1. ex D. Thom. 1. 2. q. 8. art. 2. in corp. In priori acceptione dicitur Psalm. 29. *Vt facerem voluntatem tuã.* Numeror. 32. *Isti impleuerunt voluntatem meam.* 3. Reg 5. *Faciam omnem voluntatem tuam*: & alibi sæpissimè. In posteriori acceptione voluntas, & actualitèr velle distinguit sacra pag. Dicitur enim Esther. 13. *Non est, qui tuæ possit resistere voluntati, si decreueris saluare Israel.* Vbi volũtas, & actualitèr decernere conditinguuntur. Clariùs ad Ephes. 1. *Qui prædestinauit nos in adoptionem filiorũ per Iesu Christum in ipsum secundũ propositum voluntatis suæ.* 1. Petri cap. 3. *Melius est enim, vt benefacientes (si voluntas Dei velit) pati, quàm malefacientes.* Vide disp. 2. de Scient. n. 21.

4 Secundò notandum est, voluntatem posse sumi tripliciter. *Primò* per modum actus primi, & principij: & sic voluntas est illud prædicatum substantiæ intellectuali intrinsecum, quod aliquo ordine principij præcedens ad actualem volitionem, constituit eam substantiam capacem, vt habeat rationem volentis

lentis actualitèr. *Secundò*, per modum actus secundi, & exercitij volendi actualitèr: & sic voluntas est illud prædicatum substantiæ intellectuali intrinsecum, quod aliquo principiati ordine subsequens ad capacitatem, quã habet ea substantia, vt velit, cõstituit ipsam vltimò, & actualitèr volentem. *Tertiò*, necesse est sumatur voluntas, pro illo prædicato substantiæ intellectuali intrinseco, quo talis substantia constituitur capax, vt actu velit, præscindente ab antecedentia, & comitantia reali; à distinctione, & idẽtitate reali cum actuali volitione. Nam Deus concipitur, vt voluntate pollens, eo præcisè, quòd concipiatur capax, vt actu velit. Et in hac præcisione neque concipitur vt iam actu volens, neque concipitur per fictionem, qua apprehendatur tanquam habens capacitatem, vt actu velit, distinctam realitèr à volitione, & ad ipsam realitèr præcedentem; sed purè, putèque concipitur per apprehensionem significantem, esse capacem, vt velit, quæ quidem apprehensio nihil agit de antecedentia, vel comitantia; de distinctione, vel idẽtitate talis capacitatis cũ volitione. Similitèr, eadem proportione seruata, apprehensio, qua Deum concipimus, vt actu, & exercitè volentem, significat in Deo esse actuale exercitium volendi; non autẽ agit, an sit secundum, & subsequens respectiuè ad talem capacitatem tãquam ad primam, & antecedentem.

5 Iam prior pars assertionis explicatur, & probatur. Ratio voluntatis præscindẽtis ab identitate, ac distinctione à volitione actuali stat in prædicato intrinseco substãtiæ intellectualis, quo redditur ipsa capax, vt habeat rationẽ volentis actualitèr. At potentia logica, quæ datur ad nostras volitiones actuales, tale prædicatum non est: ergo non est prædicta volũtas. Minor probatur, & explicatur. Nam, vt constat ex tract. de Scientia Dei, disp. 6. potentia logica ad nostram volitionem actualem duplex est. Alia intrinseca ipsi volitioni actuali: eaque potentia logica consistit in ipsis prædicatis intrinsecis volitionis actualis se ipsis excludentibus à se cõtradictionis implicationem. Alia extrinseca ipsi volitioni, quæ consistit in necessitate sempiterna, vt ea volitio ex suo conceptu non implicet cõtradictionem: eamque potentiam logicam, diximus loc. cit. consistere in prædicatis necessarijs Dei. Neutra verò ex ijs potentijs logicis est prædicatũ assignatũ voluntatis. *Non prior*, quia prædicata intrinseca volitionis actualis nõ cõstituũt nos capaces, vt velimus; sed vel ipsa substantia animę, vel facultas superaddita, illa-

que prędicata nos iam volitiuos inuenientia, cōstituunt volentes. *Non posterior.* Nam ea potentia logica non est prędicatum nobis intrinsecū reddens nos aptos, vt velimus; sed est prædicatū Deo intrinsecum reddēs determinatum ipsum Deum, vt suo rectissimo conceptu rerum non inueniat cōtradictionē in nostris volitionibus iuxta dicta loc. cit.

6 Posterior pars assertionis facilè constat ex oppositā ratione. Nā ratio voluntatis, de qua loquimur, est prædicatum Deo intrinsecum, per quod Deꝰ redditur aptus, vt velit. Sed potētia logica, quam Deus habet ad suā volitionem necessariam est tale prædicatum. Igitur ea potentia logica est prædicta voluntas Dei. Minor probatur. Quia re ipsa, & secluſis nostris imperfectis concipiendi modis (quomodo in his prioribus assertionibus vsque ad vltimam loquimur) volitio necessaria Dei, non solùm est volitio, *qua*; sed volitio substantialis, *qua* est ipsa substantia Dei, quæ vult; & non est volitio accidentalis inseruiens, vt alia substantia velit per ipsam: igitur diuina, & positiua non repugnantia Dei ad prædictam volitionem necessariam non est vtcunque non repugnātia volitionis, *qua* amatur; sed positiua nō repugnantia Deo intrinseca, vt existat substantia diuina volēs, id est, vt detur substantia diuina exercendo rationem volentis: igitur non repugnantia, id est, potentia logica Dei ad suam volitionem necessariam, est aptitudo quædam Deo intrinseca, vt exerceat rationem substantiæ volentis, & consequenter est prædicatum, in quo stat voluntas Dei, de qua loquimur. Videantur dicta disp. cit. maximè à n. 36.

7 Aſſero quartò. Diuina voluntas in ordine ad volitionem necessariam nō habet aliud munus potentiæ, quàm potentiæ logicæ. Ratio est. *Primo.* Quia, secluſo munere potentiæ physicæ, non supereſt aliud munus potentiæ, quàm logicæ. Secluſimus autem à Deo in assert. 1. munus potentiæ physicæ respectiuè ad volitionem necessariā. *Secundo.* Quia totum munus diuinæ voluntatis in ordine ad volitionem necessariam est reddere Deum aptum, vt per ipsam sit volens. At hoc munus non excedit rationem potentiæ logicæ: ergo sola datur ratio potentiæ logicæ. Minor probatur. Quia, secluſa ratione potentiæ physicæ, totum illud munus non est aliud, quàm Deo ab intrinseco esse non repugnantem, non vtcunque existentiam volitionis; sed etiam effectum, vel quaſi effectum formalem volendi. Hoc autem munus non excedit rationem potentiæ logicæ; sed ponit non tātùm vnum modum potentiæ logicæ; sed quaſi du-

duplicem, nimirùm, & reddere non implicantem existentiam volitionis, & etiam reddere non implicantem effectum formalē volendi. Dixi: *Quasi duplicem*, quia hæc in Deo sunt idem. Sic non repugnantia animæ rationalis; & non repugnantia hominis simul sumptæ non excedunt rationem potentiæ logicæ; sed præstant, & animam rationalem, & etiam hominem non implicare.

8 Assero quintò. Non datur in Deo facultas proxima ad volitionem necessariam conditiōcta à principio radicali. Similem conclusionem dedimus tract. de Scientia, disput. 2. cap. 6. à n. 72. Cuius probationes ad rem præsentem aptandæ sunt. *Prima*. Nā munus facultatis proximæ ad volendū est adiuuare principiū radicale physicum, vt eliciat volitionem; non autem adiuuare potentiam logicam, vt reddat velle diuinum nō implicans cōtradictionem. Atqui Deus in ordine ad volitionem necessariam, non habet aliam potentiā, quàm logicam, vt cōstat ex n. 7. ergo non habet facultatem proximam re, vel ratione; realitèr formalitèr; vel realitèr virtualitèr superadditam in subsidium principij radicalis. *Secunda*. Quia facultas proxima superaddita principio radicali volitiuo dicit imperfectionem in eo principio: ergo procul est à Deo. Probatur antecedens. Nam ea facultas arguit in eo principio radicali insufficientiam, nempè, se solo immediatè non posse velle; sed indigere iuuamine alterius facultatis. Euasiones contra probationem istam præclusas habes loc. cit. num. 73. & 74. & à n. 75. soluta sunt, quæ contra præsentem assertionem opponi possunt.

9 Assero textò. Non datur in Deo in ordine ad volitionem necessariam facultas illa, quam habitum vocant. Similem assertionem dedimus loc. cit. num. 77. in ordine ad intellectionem necessariam. Ex ibi dictis probatur. *Primò*. Nam, vt diximus numero 7. Deus in ordine ad volitionem necessariam, non habet aliud munus potentiæ, quàm logicæ. At munus habitus non est facilitare potentiam logicam ad volitionem, vt cōiungatur cum volitione; sed facilitare potentiam operatiuam volitionis, vt eam promptiùs, & faciliùs exerceat: ergo talis habitus procul est à Deo. *Secundò*. Nam munus habitus est, potentiam capacem difficultatis in operando reddere facilem, & promptam ad operandum, ideoque non datur in potentijs, quæ, positis prærequisitis ad operationem, facillimè, ac promptissimè se exercent, vt patet in visiuâ, & auditiuâ potentiâ.

At potestas volitiua diuina incapax est difficultatis in amore necessario Dei, vt patet: ergo idē, quod prius.

10 Assero septimò. Volūtas diuina, neque ratione ratiocinatâ est principium physicum volitionis necessariæ. Similem assertionem dedi loco cit. à n. 85. de intellectu diuino respectiuè ad intellectionem necessariam. Nostra conclusio probatur, mutatâ materia, eâdem forma, quâ probauimus conclusionem citatam. Etenim nihil est, per quod voluntas diuina constituatur ratione ratiocinata principiū physicum volitionis necessariæ: ergo non est admittendum hoc principium. Antecedens probatur. Nam *Primò*, non sufficit ad eam constitutionem, voluntatem diuinam concipi à nobis instar principij volitionis necessariæ. Nam Deus concipitur à nobis instar corporis; & tamen non est ratione ratiocinata corpus: ergo licèt voluntas diuina concipiatur à nobis instar principij physici volitionis necessariæ, nō ideo erit ratione ratiocinata principium physicū eius volitionis. Sicut enim illud primum reducitur, non ad fundamentum ex parte Dei; sed ad imperfectionem nostri intellectus concipiētis res ignotiores instar sibi notiorum, cuiusmodi sunt res corporeæ; sic posterius illud reuocabitur, non ad fundamentū ex parte Dei; sed ad imperfectionē nostri intellectus cōcipientis diuinam voluntatem, cuius quidditas nobis est ignotior, quā essentia nostræ voluntatis, instar nostrarū volūtatū, quę sunt principia physica volitionum.

11 *Secundò*. Non sufficit ad eam constitutionē, quòd ex nostra cognitione, quâ Deus nobis innotescit, vt potens se ipsum necessariò velle, deducatur cognitio, qua nobis innotescit, vt se volens necessariò. Sicut enim hæc est optima consecutio: *Deus potest se necessariò velle: ergo se necessariò vult*: ita & hæc: *Deus se necessariò vult: ergo potest se necessariò velle.* At in hoc posteriori discursu ex cognitione, qua Deū concipimus, vt se necessariò volentē, procedimus ad cognitionem, qua Deū cōcipimus, vt potentē se velle necessariò; nec tamen Deus, vt volens, est ratione ratiocinata principiū physicum sui, vt potētis velle: ergo licèt in priori discursu ex cognitione, qua Deum cōcipimus, vt potētē se necessariò velle, procedamus ad cognitionem, qua Deum cōcipimus, vt se necessariò volentem; non tamen Deus, vt potens velle, erit ratione ratiocinata principiū physicū sui, vt volētis necessariò. *Tertiò*. Non sufficit ad eam constitutionem, Deum habere prædicatum, quod in creatis conuenit duntaxat principio volitiuo, nempè, præ-

prædicatum substantialis volentis, *vt quod*. Non, inquam, sufficit. Tum, quia non facilè reperietur contradictio in substantia creata, quæ suam volitionem secum identificans, non sit principium physicum eius volitionis. Tum, quia sicut in omni volitiuo creato reperitur ratio principij physici suæ volitionis; ita etiam reperitur ratio principij limitati, ac dependentis à causa prima: sed hoc posterius non sufficit, vt Deus, qui volitiuus est, sit ratione ratiocinatâ principium limitatum suæ volitionis, & à causa prima dependens: ergo neque sufficiet illud prius, vt Deus, qui volitiuus est, sit ratione ratiocinatâ principium physicum suæ volitionis. Tum, quia iuxta communem sententiam, sicut omne volitiuum creatum est principium physicum suæ volitionis; ita etiam omnis volitio creata est accidens: sed hoc vltimum non sufficit, secundùm aduersarios, vt volitio diuina sit ratione ratiocinatâ accidens: ergo nec sufficit illud primũ, vt Deus volitiuus, ratione ratiocinatâ sit principium physicum suæ volitionis.

12 Ratio à priori sumi potest ex ijs, quæ tetigimus disp. 3. n. 39. Nam illud prædicatum datur in obiecto ratione ratiocinatâ, quod existit, concepto à nobis obiecto meliori modo, quo possumus pro hoc statu, partim imperfectione nostrâ, partim intrinsecâ naturâ obiecti cogentibus, vt non aliter obiectum pro nunc possit melius concipi. At conditiones istæ non dantur in prædicato principij physici volitionis necessariæ diuinæ: igitur hoc prædicatũ non datur in Deo ratione ratiocinata; sed sumũ ratione ratiocinante. Explicatur maior. Tum, quia nisi illa sit fixa regula, quâ metiamur, an detur, vel non detur in obiecto prædicatum aliquod ratione ratiocinata, nihil aliud fixum inuenies, vnde hoc pensandum sit, pluraque, velis nolis, cogêris Deo adscribere ratione ratiocinata, quę communis Theologia refugit, vt prædicatum accidentis, prædicatum imperfecti, dependentis à causa, & id genus alia, vt constat ex num. antecedentibus. Tùm, quia prædicatũ, quod iam apud omnes conuenit dari in Deo ratione ratiocinata, potitur assignatis conditionibus, quod in re dubia, & magna ex parte nominali, proindeque ad communem sensum reuocanda, signum optimum est, ex eis conditionibus metiẽdum esse, detur ne, vel secùs prædicatum aliquod in Deo ratione ratiocinata. Et quidem distinctio inter attributa diuina, v.g. iustitiam, & misericordiam, quæ distinctio est rationis ratiocinatæ, nõ alia de causa talis censetur, nisi quia non aliter possu-

mus pro hoc ſtatu eiuſmodi attributa melius concipere, quàm pluribus conceptibus, vel vno æquiualente pluribus, ac diuerſis in ordine diffinitiuo. Deinde in hoc ſtat dari diſtinctionē rationis inter hæc attributa: quæ diſtinctio ideo non eſt rationis ratiocinantis; ſed ratiocinatæ, quia non ſolùm imperfectio noſtri intellectus; ſed etiam intrinſeca talium attributorum perfectio cogit, vt non aliter prædicta attributa meliùs pro præſenti ſtatu concipiantur, quàm aſsignato modo.

13 Minor propoſitæ rationis probatur. Nam licèt crebrò res quidditatis ignotioris concipiamus inſtar rerum notioris quidditatis, indeque proueniat Deū, quatenùs volitiuum, concipere inſtar principij phyſici ſuæ volitionis; natura tamen Dei, quatenùs volitiui, non cogit, vt nulla ratione meliùs prout ſic in præſenti ſtatu cognoſci valeat, quā inſtar principij phyſici ſuæ volitionis. Nullus enim ambigere poteſt, nos in præſenti ſtatu concipere poſſe ſubſtantiam volitiuam diuinam, & actualem volitionem, non ſolùm inſtar extremorum, quorum alterū phyſicè producat alterum; ſed etiā inſtar extremorum omnimoda identitate reali gaudentium. Indubitatum etiam eſt, hunc ſecūdum concipiendi modum magis eſſe genuinum, & conſentaneum naturæ obiecti, nempè Deo, quatenus volitiuo, qui ſecū volitionem ſuam neceſſariā perfectiſsimè identificat.

CAP. II.

Quædam obiectiones ſoluuntur.

14 OMitto illas, quę ſatis ſolutę videri poſſunt diſp. 2. de Scientia ſæpè citatâ, ſolùmque afferam, quas nunc opponūt nouiores ex noſtris, aliquibus ex præcedentibus aſſertis refragantes. Opponūt primò cōtra quintam aſſertionem poſitam n. 8. Dantur in Deo hæc duo prædicata: *Primum*: Subſtantia, quæ eſt ſe ipſa potens velle: *Secundum*: Poteſtas proxima, vt velit: primumque prædicatum eſt prima radix volendi, nihil aliud ſupponens in ordine volitiuo; ſecundumque prædicatum eſt potentia proxima ad volendū. At eiuſmodi prędicata diſtinguuntur in Deo virtualitèr intrinſecè: ergo hac diſtinctione diuiduntur in Deo prima radix volendi, & potentia proxima ad volendū. Minor, quæ ſola videtur difficilis, probatur. Nam per primū prædicatum Deus eſt ſimilis ſubſtātiæ creatæ volitiuæ; diſsimilis autem facultati proximę ad volendum accidentariæ, & ſuperadditæ principio ſubſtātiali volitiuo; cōtra verò per ſecūdū prædicatū Deus eſt ſimilis prædictæ facultati proximæ; diſsimilis autem

tem substātiæ creatæ volitiuæ, quæ non est potestas proxima ad volendū (ponamus nunc opinionem probabilem de distinctione potentiarum ab anima.) At eiusmodi prædicata sunt contradictoria sufficiētia distinguere virtualitèr intrinsecè formalitates, quibus competunt: ergo formalitates assignatæ distinguuntur in Deo virtualitèr intrinsecè.

15 Simili argumēto probat Scotus in creatis distinctionem formalē ex natura rei inter gradus superiores, & inferiores, quod in logica vidimus infirmum esse. Nunc ad argumentum, cōcessa maiori (in qua non agitur de potentijs, radicibus, aut viribus physicis; sed, vel de logicis; vel de præscindētibus a logicis, & physicis) negatur minor. Ad probationē dicatur, quod in simili dicebamus in logica, per vtrumque illud prædicatū (quæ vocantur abusiuè *vtrumque*, quippè quæ sunt intrinsecè vnicissimum quid) Deum esse similem *vna similitudine*; & dissimilem *alia dissimilitudine* substātię creatæ volitiuæ; nec non creatæ potestati proximæ ad volendum: & hīc nulla intercedere prædicata contradictoria, quæ sufficiant virtualitèr intrinsecè diuidere prædictas formalitates. ¶ Explicatur. Deus per totā suā entitatē, adhūc virtualitèr intrinsecè simplicissimā, per quā est substātia volitiua, potestasque proxima ad volendum, est similis substantiæ creatæ volitiuæ. Sed quâ similitudine? Certè similitudine sufficiētię ex parte Dei, & ex parte substantiæ creatæ volitiuæ, vt iste cōceptus mentalis vniuersalis * substantia volitiua * æquè directè sua significatione cōplectatur Deū, & substantiā omnem creatam volitiuā. Rursùs, Deus per totam illam suam entitatē dissimilis est substantiæ creatæ volitiuæ. Sed quâ dissimilitudine? Nō certè dissimilitudine excludente similitudinē assignatā; sed dissimilitudine insufficiētiæ, vt Deus vnà cum substātia creata volitiua æquè significētur isto conceptu mentali vniuersali * Potestas proxima ad volēdū * licèt enim eo conceptu significetur Deus, qui est potestas proxima ad volēdū; nō tamen substantia creata volitiua, quæ talis potestas proxima non est.

16 Præterea, Deus per totam suam entitatem est similis potestati proximæ creatæ ad volendum, sanè similitudine sufficiētiæ, vt iste conceptus mentalis vniuersalis * Potestas proxima ad volendum * æquè directè sua significatione cōplectatur Deū, & omnem potestatem proximam creatam ad volendum. Tandem Deus per totam suam entitatem dissimilis est potestati proximæ creatæ ad volendum; sed certe dissimilitudine insufficientiæ, vt Deus simul cum po-

testate proximâ creatâ ad volẽdum æquè significentur isto cõceptu mentali vniuersali * substantia volitiua * etsi enim eo conceptu significetur Deus, qui est substantia volitiua; non tamẽ potestas creata proxima ad volendum, quæ non est substantia volitiua; sed accidens superadditum substantiæ volitiuæ. ¶ Ex quibus constat, non competere prædicata cõtradictoria importantia distinctionẽ virtualem intrinsecã his formalitatibus diuinis: *Substantia volitiua*: *Potestas proxima ad volendum*. Ratio est: quia, si res benè consideretur, de nulla istarum formalitatum negari potest prædicatum, quod affirmatur de altera; sed cuilibet conuenit quidquid alteri; & cuilibet verè negatur, quicquid verè negatur alteri. Nam cuilibet illarum conuenit similitudo sufficientiæ, vt conceptus iste mentalis: *Substantia volitiua* directè significet eam formalitatem, & substantiam volitiuam creatam. Nam ille conceptus directè significat quidquid omnibus modis est realitèr substantia volitiua, taliſque est substantia volitiua diuina, potestas proxima diuina ad volendũ, & substantia volitiua creata. *Secundo*: cuilibet illarum formalitatũ conuenit similitudo sufficiẽtiæ, vt cõceptus iste mẽtalis: *Potestas proxima volitiua* directè significet eã formalitatẽ, & potestatẽ proximã volitiuam creatam: significat enim ille cõceptus, quidquid omninò est realitèr potestas proxima volitiua, taliſque est substantia diuina volitiua, potestas proxima volitiua diuina, & potestas proxima volitiua creata.

17 *Tertiò*. De illa formalitate diuina: *Substantia volitiua* verè negatur sufficientia, vt sub hoc mentali cõceptu: *Substantia volitiua* cõprehendantur substantia volitiua diuina, & potestas proxima volitiua creata: hæc enim, quippè quæ est accidens, non cõprehẽditur sub eo cõceptu, quãuis substantia volitiua diuina sub eodem cõprehendatur. Cæterũ eadem sufficientia verè negatur de illa formalitate diuina: *Potestas proxima volitiua*, quia licèt potestas proximа volitiua diuina, quippè quæ est substantia volitiua, sufficiens sit, vt cõprehendatur sub eo cõceptu mentali: *Substantia volitiua*; non tamen datur sufficientia, vt etiã sub eodem comprehendatur potestas proxima volitiua creata, quæ est accidens. Tãdem de illa formalitate diuina: *Potestas proxima volitiua* verè negatur sufficientia, vt sub hoc mentali conceptu: *Substantia volitiua* comprehendantur ea formalitas, & potestas proxima volitiua creata, quæ est accidens. Idem autem verè negatur, vt ex dictis patet, de formalitate illâ diuinâ; *Substantia volitiua*.

18 Op-

18 Oppónunt secundò cõtra septimam assertionem. Datur in Deo ratione nostra non fingente; sed fundata in re, actus primus, seu potentia ad volitionem necessariam. At non potentia merè logica, vi cuius velle diuinum sit non implicans contradictionem: ergo potentia physica productiua volitionis, Maiorem probant primò ex testimonijs sacræ pag. citatis num. 3. vbi Scriptura contradistinguit volũluntatem Dei ab actuali volitione. Vnde sic arguitur: Diuina voluntas distinguitur ab actuali volitione, saltèm ratione nostrâ non fingente. Non enim est credibile, sacras litteras ad fictiones nostras in allegatis testimonijs respexisse. At, quod in lineâ volitiuâ distinguitur ab actuali volitione, est actus primus, siue potentia volendi: ergo ratione nostrâ non fingente; sed fundata in re, datur in Deo actus primus, siue potentia volendi. Probant secundò ex testimonijs Patrum similitèr condistinguentium voluntatem ab actuali volitione. Videantur Iustin. q. 3. ad Gent. Athanas. & apud eum Nyssen. in lib. de definitionibus, col. 5. tit. de actu. Dionys. cap. 4. de diuin. nominibus ante medium. Probatur tertiò ratione.

19 Nam Deus, quatenùs substantia volens, cõuenit cum substantia creata volente. At, quatenùs est sua volitio, non conuenit cum substantia creata volente, cùm hæc non sit sua volitio. Cũ igitur conuenientia, & disconuenientia; similitudo, & dissimilitudo arguant, saltèm, distinctionem rationis fundatam in re, patet sic distingui in Deo, quòd sit volens, & quòd sit sua volitio. Tunc sic. Ratio volentis secundùm id, quod dicit de formali, nõ distinguitur ratione ratiocinata à volitione actuali, cũ hæc sit id, quod volens dicit de formali: ergo ratio volentis secundùm id, quod dicit de materiali, & subiecto, distinguitur ratione ratiocinata à volitione actuali. At subiectum volens distinctum in Deo à volitione nequit aliud esse, quàm actus primus volendi, siue potentia volitiua distincta ratione ab actuali volitione; ergo ratione nostra non fingente datur in Deo talis potentia. ¶ Quartò probatur. Velle in concreto sumptum distinguitur in Deo ratione nostra ab actuali volitione. Tũ ex PP. citatis. Tum, quia Deus penes rationẽ volentis similis est substantiæ creatæ volenti; non verò sic similis est per hoc, quòd sit sua volitio. At in Deo tam debet distinguĩ posse velle ab actu velle; quam velle à volitione: ergo posse velle distinguitur in Deo ratione nostra ab actu velle. At posse velle distinctum ab actu velle, est citra dubium potentia volendi: ergo hæc est

est in Deo ratione nostra.

20 Minorem discursus propositi num. 18. sic probant. Ideò Deus non est corporeus ratione nostrâ fundatâ in re, quia licèt conciplatur per species rerum corporearum; tamen vera corporeitas in genere, & abstractissimè sumpta includit imperfectionem, & nusquam inuenitur sine illâ. Vnde concipi Deum instar corporis prouenit ex nostrâ imperfectione; non ex natura Dei, qui supra omne corpus est, & imperfectiones corporis non sapit. At Deus volens concipitur à nobis per species substantiæ creatæ producentis realitèr suâ volitionem; & aliunde realis productio abstractè, & generalissimè sumpta non dicit imperfectionem, cum citra omnē imperfectionem prima persona diuina secundam, & ambæ tertiam producant: ergo non est, cur ratione nostra fundata in re non sit in Deo actus primus, siue porentia physicè productiua suæ volitionis. Confirmatur primò. Vt Deus volens, sit principium productiuum suæ volitionis ratione nostra fundata in re, sufficit, quòd cōcipiatur per species principij productiui talis volitionis, ita vt summa Dei perfectio præbeat ansam ad istum modum concipiendi: hoc autem euenit in præsenti, quia ex vna parte Deus volens concipitur per species substantiæ creatæ realitèr producentis suam volitionem; & aliunde summa perfectio Dei, quæ non excludit omninò realem productionem, vt videre est in diuinis personis, præbet ansam ad istum modum concipiendi.

21 Confirmatur secundò. Ideo essentia diuina, si distinguatur virtualitèr à volitione necessaria, hanc virtualitèr producit, quia, si distingueretur ab illa realitèr, illam realitèr produceret. At de essentia diuina, purè per rationem nostram distincta à volitione necessaria, verificatur absque dubio, quòd, si virtualitèr intrinsecè distingueretur à volitione, hanc produceret virtualitèr intrinsecè: ergo producit ratione nostra volitionē, & consequentèr est ratione nostra productiua physicè volitionis. Explicatur. Sicut distinctio virtualis intrinseca est minor distinctio, quàm distinctio realis; ita distinctio rationis extrinseca est minor distinctio, quā virtualis intrinseca. At benè metimur, quid accidat virtualitèr, posita distinctione virtuali, ex eo quòd accideret realitèr, posita distinctione reali: ergo benè metiemur, quid accidat ratione nostra, posita distinctione rationis, ex eo, quòd accideret virtualitèr, posita distinctione virtuali. At posita distinctione virtuali inter essentiam, & volitionem, illa produceret hāc virtualitèr: ergo

produ-

producet ratione nostra, posita distinctione rationis.

22 Speciosa quidē hæc sunt; sed non firma contra nostra asserta. Ad argumentum ex num. 18. respondeo, maiorem esse veram de potentia ad volitionem vage sumpta, nempè logica, vel physica, vel morali, quia datur in Deo citra nostras fictiones potentia, saltèm logica, ad volitionem necessariam, vt diximus num. 2. Hæc autem potentia logica, quæ datur in Deo ad volitionem necessariam, distinguitur ratione ratiocinata à volitione necessaria, vt in simili dixi de intellectione necessaria disp. 2. de Scientia, num. 83. Nullatenùs enim meliùs possumus pro hoc statu concipere Deum, antam præbentibus prædicatis diuinis ad hunc modum concipiēdi, & secundū aptitudinē, quam habet ad volendum, & secundū volitionem actualem, quam his modis concipiendi diffinitiuè diuersis: *Est in Deo non repugnantia, vel non implicatio contradictionis, vt ipse Deus se ipsum amet necessariò*: Itē: *est in Deo inclinatio, qua se ipsum ex manifestatione suæ bonitatis prosequitur necessariò*. Hi autem sunt modi diffiniendi diuersi, quorum alter explicat, & alter non explicat rem per exclusionē contradictionis ad volendum. Vtque sæpè diximus, caten⁹ extrema distinguūtur ratione ratiocinata, quaten⁹ partim ex natura obiecti; partim ex nostro modo cōcipiendi prouenit, vt ea extrema nequeant meliùs pro statu præsenti cognosci, quā modis cōcipiendi diffinitiuè diuersis.

23 Hanc distinctionem rationis probant, quæ ex RR. attulimus n. 18. ex 19. Sed, vt eas probationes incautè nō extēdas vltra suas vires. Obserua primò. Sacra Scriptura, & PP. citati n. 18. nihil aliud volūt, maximè in ordine ad volitionē necessariā, quā voluntatē, & volitionē distingui ratione ratiocinata; & nō agunt, an voluntas, vt distincta à volitione, exerceat erga istā, vel intrinsecè virtualiter; vel extrinsecè ratione nostra mun⁹ aliud, quā potentiæ logicæ reddentis non implicantē diuinæ substātiæ rationē formalē volentis. Vide dicta tract. de Scientia n. 22. Obserua secundò, quod attinet ad primā, & secundā probationē à ratione petitas n. 19. ne distinctionē virtualē intrinsecā probent vltra distinctionem rationis extrinsecam, duplicitèr intelligi posse Deū, quatenùs potētē velle, & quatenùs volētē conuenire cū substantia creata potente velle, ac volēte; disconuenire tamē ab illa Deū, quaten⁹ est sua volitio. Primò enim hoc intelligi potest, ita vt intrinsecè, & ex parte obiecti cōpetat hæc conuenientia

tia alteri formalitati diuinæ, nempè, formalitati potentis velle; & alteri formalitati non competat, nempè, volitioni actuali: & hoc est falsum, quod sanè distinctionem intrinsecam, saltem virtualem, inter eas formalitates argueret. Secundò talis conuenientia, & disconuenientia sic intelligendæ sunt, vt in eo stent, quòd tota indiuisa entitas Dei terminans hos conceptus mentales vniuersales: *Potès velle. Volens*, terminet conceptus mentales æquè directè, & per modũ vnius significantes Deum, substantiam creatam volitiuam, ac volentem. At verò ipsa tota entitas indiuisa Dei terminans cõceptum istum mentalem vniuersalem: *Volitio actualis*, non terminat conceptum directè, & per modum vnius significantem Deum, & substantiam creatam volentem, aut volitiuam; sed Deum, & volitiones creatas accidentales. Hæc de maiori argumenti facti num. 18. Multa cõsimilia, vbi de præcisione obiectiuâ.

24 Iam ad illud argumentum respõdeo, minorem esse falsam. Ad probationem ex num. 20. negatur maior. Ratio enim, cur Deus non sit corporeus ratione nostrâ fundatâ in re, non est, quæ ibidem assignatur. Sicut enim genus hoc: *Corpus* non abstrahit ab imperfectione; sed perpetuò mixturã imperfectionis habet; ita perpetuò miscetur imperfectione genus hoc: *Distinctio inter prædicata absoluta*; & tamen in Deo datur distinctio rationis ratiocinatæ inter prædicata absoluta: ergo, si aliud non obesset, quàm imprescindibilitas ab imperfectione, dari posset in Deo corporeitas rationis ratiocinatę. Ratio ergo, cur ratione ratiocinatâ nõ detur in Deo corporeitas, ea est: quia, quod præbet occasionẽ, vt Deũ per species corporis cõcipiamus, nullatenùs est intrinseca natura, & perfectio Dei; sed purè puteq; noster imperfectus cõcipiẽdi modus, quo immersi corpori cũcta per imagines rerum corporearũ apprehendimus. Contrarium accidit in modo nostro cõcipiendi perfectiones diuinas pluribus actibus, vel vnico æquiualenti pluribus diffinitiuè diuersis. Non enim solũm præbet occasionem isti modo cõcipiendi nostra imperfectio; sed intrinseca Dei eminentia, iure cuius in se cõgregat omnes rerum perfectiones abstrahentes ab imperfectione, cõueniendo perfectissimè cum pluribus rebus quoad id, quod important perfectionis ab imperfectione prescindentis.

25 Hinc ad primam confirmationem respõdetur, admissâ maiore, negatur minor. Quòd enim, saluâ perfectione Dei, detur productio inter aliqua prædicata diuina, nimirùm, inter præ-

prædicata personalia, non est occasio sufficiēs, vt cogitetur productio, vbi productio derogat perfectioni diuinæ, vt derogaret productio, quâ produceret Deus suam volitionem necessariam. Sic essentiam diuinam esse omninò improductam, non est occasio sufficiens, vt persona Filij, & Spiritus Sancti cogitētur omninò improductæ. Non enim ex eo, quòd datur in aliquibus prædicatis diuinis consentaneè ad summam perfectionem ipsorū, oportet occasionem sumere ad cōcipiendum alia prædicata diuina modo dissentaneo summæ perfectioni ipsorum, vt esset cōcipere Deum, vt producentem suam volitionem; & hanc, vt productam. Secundò ex num. 12. & 13. respondetur. Vt Deus ratione nostrâ fundatâ in re esset productiuus physicè suæ volitionis, oporteret dari aliquid intra ipsum Deum, ratione cuius nulla ratione meliùs possemus pro statu præsenti ipsum cognoscere, quàm concipientes illum instar principij physicè productiui suæ volitionis. Hoc autem esse falsum patet ex eo n. 13.

26 Secunda confirmatio nihil vrget ex dictis disp. 6. num. 51. & locis ibi notatis. Tum, quia licèt essentia diuina distingueretur virtualitèr à volitione necessariâ, non ideò produceret virtualitèr eam volitionem, vnde nequit inde argumentum sumi, vt essētia diuina ratione nostrâ distincta à volitione producat hanc ratione nostrâ. Tùm quia, datâ productione physicâ virtuali inter diuinam essentiā, & volitionem, non est ea productio sumēda ex eo, quòd essentia diuina produceret realitèr volitionem, si ab hac realitèr distingueretur, vt satis ibi probatū est; sed ex eo, quòd detur inter Dei essentiam, & volitionem, quidquid formalitèr est de conceptu realis formalis productionis in extremis creatis, demptâ præcisè ratione versandi inter extrema limitata: ne alioqui ponantur virtualitèr in Deo, quæ communi calculo ponerentur absurdè, etiam cum illo addito *virtualitèr*. Vnde mirum nō est, productionem rationis ratiocinatæ inter Dei essentiam, & volitionem, si talis productio daretur, non esse sumendam ex eo, quòd essentia diuina produceret virtualitèr volitionem, si ab hac virtualitèr distingueretur; sed ex eo, quòd intra Deum, vt est potens velle, & vt est sua volitio, detur aliquid, quod nequeat meliùs pro hoc statu cognosci, quàm cogitando Deum, vt physicè productiuum suæ volitionis.

27 Petes, an sicut diximus disp. 6. fore, vt essentia diuina, quatenùs instructa intellectione necessariâ, produceret virtualitèr moralitèr suam volitionem,

si

si ab hac distingueretur virtualiter, ita nunc essentia diuina, quatenus intructa intellectione necessaria, & ratione ratiocinata distincta a volitione producat hanc moraliter ratione ratiocinata? Respondeo, veriorem esse partem affirmatiuam. Sicut enim, vt intellectio necessaria producat moraliter virtualiter volitionem necessariam, vltra distinctionem virtualem intellectionis à volitione, nihil aliud petitur, quàm Deum potiùs se amare, quia suam bonitatem intelligit; quàm contra: quod verum esse constat ex dist. 5. cap. 2. ita vt intellectio necessaria producat moraliter ratione ratiocinata volitionem, vltra distinctionem rationis ratiocinatæ intellectionis à volitione, nihil aliud desiderari videtur, quàm Deum se amare, quia suam bonitatem intelligit potiùs, quàm contrà. Vbi nota primò. Sicut ad distinctionem ratione nostra inter intellectionem, & volitionem non est opus significare alteram, vt ab altera distinctam; sed sufficit in exercitio ipsas concipere conceptibus diffinitiuè diuersis; ita ad productionem moralem ratione nostra talem, non est opus significare intellectionem, vt distinctam à volitione, & hanc producentem moraliter; sed sat est in exercitio ipsas concipere conceptibus diffinitiuè diuersis; & aliunde intellectionem; & volitionem diuinam ex suo modo tendendi fundare veritatem, quòd Deus se amat, quia se intelligit potiùs, quam conuersim. Id, quod ex modo, quo *homo* est ratione nostra quid vniuersale posset amplius illustrari. Nota secundò. Vt tamen essentia, vel intellectio diuina producant physicè ratione nostra volitionem, non sufficiunt prædicta, quippè quæ non trãsiliunt limites productionis moralis ratione nostra. Vnde ad productionem physicam ratione nostra talem, alio opus esset, nimirùm, concipi diuinam essentiam instar producentis volitionem, & aliquid dari intra hæc prædicata, cuius iure nulla ratione meliùs possint ea prædicata pro hoc statu concipi. Quibus facilè solues, quæ contra resolutionem huius quæstiunculæ possent emergere.

28 Opponunt tertiò aduersùs sextam assertionem, concedendum esse in Deo habitum volitiuum, saltèm virtualem, distinctum virtualiter à voluntate diuina. Probatur. Non tantùm est in Deo posse velle; sed facilè velle. At in Deo posse velle, & facile velle distinguuntur virtualiter: ergo sicut in nobis facilitas volendi realiter distincta ab anima, est habitus volitiuus realiter distinctus; ita in Deo facilitas volitiua distincta virtualiter ab eius essentia erit habitus

bitus virtualis volendi. Maior patet ex illo Hieremiæ 32. *Non erit difficile tibi omne verbum*: & ex illo Ecclesiastici 12. *Facilè est enim in oculis Dei subitò honestare pauperem*. Minor probatur: quia Deus per posse velle assimilatur voluntati creatæ destitutæ habitu; secùs autem per facilè velle: quæ sunt prædicata contradictoria inducentia distinctionem virtualem. Pro hac sententia citantur Henricus 2. p. art. 46. quæst. 1. Scot. in 3. distinct. 32. quæst. vnica, & in 4. distinct. 46. quæst. 3. Quibus adiunge Franciscum Fœlix de Volunt. cap. 1. difficultat. 2. num. 4. vbi citat Mairon. & Nisle, & vtranque sententiam putat probabilem in via Scotica: quapropter sententiæ neganti habitus, siue virtualitèr intrinsecè; siue formalitèr ex natura rei distinctos à potentijs suffragatur ex Scotistis Smising. de Deo vno, tractat. 3. disp. 4. num. 8.

29 Respondeo. Datur in Deo facilè velle facilitate accepta pro summa promptitudine, & expeditione, vt non repugnantia, quam ad volendum habet, coniungatur cum actuali volitione; non tamen facilitate accepta pro vi superante difficultatem aliquam voluntatis diuinæ, vt producat realitèr, vel virtualitèr volitionem necessariam. Tùm quia in voluntate diuina nulla est difficultas, vt se exerceat per volitionem actualem. Tum quia diuina voluntas, neque realitèr; neque virtualitèr est productiua suæ volitionis actualis. Facilitas in secundo sensu accepta; non autem in primo, dicitur habitus: realis quidem, si superet difficultatem aliquam potentiæ realitèr productiuæ volitionis, in actuali productione reali volitionis; virtualis verò, si superet difficultatem aliquam potentiæ virtualitèr productiuæ, in productione virtuali volitionis. Cum igitur, quælibet ex his facilitatibus absit à Deo, non datur in ipso habitus, siue realis, siue virtualis, quidquid sit de distinctione virtuali facilitatis in primo sensu acceptæ, à potestate diuina volendi.

¶ Secundo: falsa est minor argumenti, nempè, in Deo virtualiter distingui potestatem ad volendum, & facilitatem volendi. Ad probationem respondeo, vt in simili dicebam num. 23. eâdem omninò similitudine, quâ Deus per posse velle assimilatur voluntati creatæ secundùm se sumptæ, assimilari per facilitatem ad volendum sumptam intrinsecè, & ex parte obiecti voluntati creatæ acceptæ secundùm se. Ratio est, quia sicut diuina voluntas est aptitudo intrinseca substantiæ rationalis ad vo-

volendum; sic intrinsecè, & ex parte obiecti dicimus, facilitatē Dei ad volendum, intrinsecè, & ex parte obiecti esse eandem aptitudinem, idemque semper dicemus, quandiu non probetur oppositum, quod, credo, nūquā probabitur. Sicut ergo, quia diuina voluntas est prædicta intrinseca aptitudo, ideò similitudinē habet sufficientiæ, vt cum creata voluntate secundùm se sumpta confundatur in hoc mentali conceptu: *Voluntas*; paritèr illa facilitas, quæ intrinsecè ex parte obiecti est prædicta aptitudo intrinseca, similitudinem sufficiētiæ sortietur, vt cum creatâ voluntate secundū se sumpta confundatur in hoc mentali cōceptu: *Voluntas*. Igitur intrinsecè, & ex parte obiecti loquendo, quæ similitudo conuenit voluntati diuinæ; conuenit etiam diuinæ facilitati ad volendum. Nullum igitur inde argumentum pro distinctione virtuali intrinseca talium formalitatum. De his plura in Logica, vbi fallaces aliæ replicationes expeditæ sunt.

30 Opponunt quartò, saltē esse admittendum in Deo habitum ratione nostra ratiocinata talem. Nam, vt probatum supponunt, distinctio rationis ratiocinatæ inter essentiam Dei, & volitionem necessàriam sufficit, vt respectu huius detur in Deo potentia volitiua ratione nostra: ergo similis distinctio inter posse velle, & facilè velle sufficiet, vt facilitas ratione ratiocinata distincta à voluntate Dei sit ratione ratiocinata habitus: maximè quia talis facilitas, non tam est similis voluntati nostræ secundùm se sumptæ, quàm habituī. ¶ Resp. *Primò*. Iam vidimus in hoc ipso cap. posita distinctione rationis inter posse velle diuinum, & volitionē necessàriam; non poni ratione nostra ratiocinata potētiam physicè productiuā volitionis. Vnde, quanuis ratione ratiocinata distinguantur voluntas Dei, & facilitas volendi; tamen hæc facilitas non erit ratione ratiocinata habitus, de cuius ratione est præstare facilitatem ad producendū physicè per rationem potentiæ physicè productiuæ ratione nostra. Resp. *Secundò*. Dato, voluntatem diuinam esse ratione ratiocinata productiuam physicè suæ volitionis, non esset fundamentum ad cogitandum, sentire difficultatem in producendo physicè per rationem eam volitionem. Hoc autem necesse est, vt facilitas Dei ad volendum sit habitus per rationem ratiocinatam, quemadmodum neq; realitèr, neque virtualitèr est habitus in potentia difficultatis incapaci in producendo realitèr, & in producendo virtualitèr.

¶ Id quod vltimò adiungitur, non vrget. Licèt enim Deus per facilitatem ad volendum sit simi-

milis nostro habitui (per eandem intrinsecè sumptam esse similem nostræ voluntati, iam vidimus num. 29.) nam ea facilitas diuina est promptitudo, & expeditio, vt aptitudo intrinseca Dei ad volendum coniungatur cum actuali volitione; & simile quid in habitibus nostris reperitur; non tamen ea facilitas potentiam difficilem ad producē. dum; productiuam tamen, vel realitèr, vel virtualitèr, vel ratione ratiocinata, facilitat ad productionem realem, virtualem, vel rationis ratiocinatæ, quia nullo ex his modis diuina voluntas est productiua suæ volitionis, vt oporteret ad hoc, vt prædicta facilitas esset habitus, vel realitèr; vel virtualitèr; vel ratione ratiocinatâ.

DISP. VIII.

De existentia diuini amoris erga Deum.

OPortet iam diuinum amorem cum suis obiectis comparare: & quia primarium, & præcipuum est ipse Deus, optimo iure ab ipso incipimus.

[...]

CAP. I.

Statutis, quæ certa sunt, quædam dubitationes dirimuntur.

1 CErtissimum est, Deum amare se ipsum. Vt enim dicitur Prouerb. 16. 4. *Vniuersa propter semetipsum operatus est Dominus.* Si namque Deus alia propter semetipsum, vt finem, decernit, & executioni mandat, manifestum est se potissimùm amare. Deinde. Quia Deus aliquid amat, quippè creaturas, quas efficit, operatur per intellectum, & voluntatem: ergo se ipsum amat: cum enim nihil sit conuenientius Deo, nihil in se melius, & amore dignius, quàm ipsa Deitas, quis effutiuerit, Deū amantem alia, suam Deitatem non amare? Certum est secundò, amorem, quo se Deus amat, esse comprehensiuum, & exhaurientem omnium diuinarū perfectionum amabilitatem, proindeque Deus amore, quo se amat, omnes amat suas perfectiones. Eo enim amore, saltem, amat aliquid sui: ergo se totum. Cum enim quicquid in ipso est sit simplicitèr infinitum, est simplicitèr infinitè amabile, & æqualitèr amabile, quàm quodlibet aliud, consequentèr non erit, cur Deo non placeat æqualitèr, quàm aliud

quoduis prædicatum diuinum. Hinc Deus, se ipsum amans, amat hunc ipsum amorem, quo Deus se amat. Nam hic ipse amor est aliqua perfectio diuina; imò, realitèr loquendo, quidquid est in Deo, non est aliud, quàm hic amor: omnia quippè diuina identificãtur realitèr cum illo.

2 Hinc suboritur prima difficultas. Si enim amor, quo Deus se ipsum amat, ad nihil aliud, realitèr loquendo, terminatur, quàm ad ipsum amorem, nullum aliud munus habebit, quàm esse amorem amoris. Hoc autem videtur implicatorium, sicut implicant vnio, actio, & passio, quarum munus præcisè sit vnire vnionem, agere actionem, & pati passionem. Similem difficultatem versaui tractatu de Scientia, disput. 4. cap. 2. Ex ibi dictis num. 13. resp. *primò*. Amor, quo se ipsum amat Deus, est simul complacentia necessaria circa creaturas possibiles, de quo disput. 13. Vnde, si realitèr loquamur, sumere diuinum amorem, vt præcisè terminatum ad Deum, est falsa suppositio. At, si ex parte modi nostri concipiendi fermo sit, nihil prohibet, amorem diuinum in quâdam præcisione nostrâ terminari præcisè ad Deum; imò & præcisè ad ipsum amorem. Hoc enim aliud non est, quàm posse nos concipere talem amorem sub expressione amantis se ipsum; & interim non concipere illum sub alia expressione. ¶ Respond. *secundò* ex ibidem dictis. Tametsi imperceptibilis, & fortassis implicatorius sit amor, cuius natura præcisè sit formalitèr, *amor mei, qui amor sum*: possibilis tamen, & perfectissimus amor erit, qui non habeat præcisè, & formalitèr talem naturam; sed munus aliud formalitèr distinctum, nempè Deum amare, vt Deum, vt optimum, omnipotentem, æternum, &c. simulque vt hæc omnia amantem. Sic possibilis est vnio, quæ vniat extremum indistinctum ab ipsa, vt patet in vnionibus modorum, v. g. vbicationis, ac durationis, quæ se ipsis affiguntur subiectis. Possibilis etiam est actio, quæ sit indistincta à termino, vt iuxtà plures creatio passiua Angeli est indistincta ab Angelo. Quocirca, sicut hîc ratio essentialis earum actionum, & vnionum non est præcisè, & formalitèr esse id, *quo* vnitur vnio; & id, *quo* agitur actio; sed id, *quo* vnitur vbicatio, & duratio, & id, *quo* creatur Angelus; ita hîc ratio essentialis amoris diuini non est præcisè, & formalitèr esse id, *quo* amatur amor; sed id, quo amatur Deus, vt Deus, optimus, omnipotens, æternus, &c. & hæc omnia amãs.

3 At

3 At statim exsurgit secunda difficultas. Si enim Deus amat omnia diuina, erit in Deo amor huius amoris, & rursus amor huius primæ reflexionis; rursusque secundæ, & sic in infinitum; cum tamen absurdum, & impossibile videatur, dari In Deo infinitum cathegorematicum formalitatum supra se reflectentium ordine quodam. Quid sentiant Autores retuli, similem difficultatem exagitans, tractatu de Scientia, disput. 4. cap. 2. à num. 14. Ex ibi dictis. Assero primo. Amor, quo Deus amat reliqua sua prædicata, & amor, quo Deus amat hunc ipsum amorem, sunt formalitates distinctæ ex modo nostro concipiendi fundato in re. Nam, vt iam sæpè diximus, illæ formalitates sic distinguuntur, quæ sunt diffinitiuè dissimiles. At prædictæ formalitates sunt diffinitiuè dissimiles. Ergo. Minor probatur. Nam amor diuinus primo modo spectatus sic diffiniendus est. *Inclinatio, qua Deus ex bonitate apparente in ipso summè perfecto, omnipotente, æterno, &c. prosequitur hæc omnia.* Sic verò secundo modo spectatus. *Inclinatio, qua Deus ex bonitate apparente in prima inclinatione prosequitur illam.* Patet autem, has diffinitiones esse in modo diffiniendi dissimiles. Idem dicendum est de formalitate amante hanc reflexionem, & de alia amante secundam reflexionem, & sic in infinitum. Ex quo nullum infinitum cathegorematicum infertur; sed præcisè non posse intellectum nostrum tot modis diuersis exprimere amorem diuinum, vt non possit adhuc plurib⁹, & pluribus in infinitum: quod nō est aliud, quam eos concipiendi modos esse syncathegorematicè infinitos. Vide dicta loco citato, num. 17. & rursùs numero 17. per incuriam typographiæ repetito, vide solutam obiectionem, quæ in præsenti duci posset ex eo, quod amor diuinus sit comprehensiuus diuinæ bonitatis.

4 Assero secundò. Formalitas amoris necessarij, quo Deus suam essentiam amat, reliquasque perfectiones diuinas; & formalitas, per quam amat hunc ipsum amorem, non sunt distinctæ virtualitèr intrinsecè. Ratio est. Nam, vt sæpè diximus, non datur hæc distinctio inter formalitates realitèr identificatas, vbi ad ipsarum munia, & perfectionem necesse non est suscipere prædicata contradictoria. At amor, quo Deus amat se ipsum, & amor, quo amat hunc ipsum amorem, sunt formalitates diuinæ realitèr identificatæ; & ad ipsarum perfectionem, ac

munia necesse non est suscipere prædicata contradictoria: quia, vel nulla poterunt assignari; vel quæ specie tenùs videantur contradictoria denotabunt duntaxat eandem formalitatem intrinsecam ex parte obiecti diuersis mentis expressionibus cognosci; non verò dari duas formalitates intrinsecè ex parte obiecti, quarum alteri conueniat vnum prædicatum; & alteri contradictorium, vt exigit virtualis distinctio. Igitur hæc distinctio non datur inter prædictas formalitates. Confirmatur. Non datur hæc distinctio inter amorem diuinum necessarium, & cognitionem, quâ dirigitur Deus ad hunc amorem: ergo neque inter amorem, quo Deus se ipsum, & amorem, quo amat hunc ipsum amorem: quia mirum esset, stare non posse citra susceptionem prædicatorum contradicentium, Deum se amare, & amare hunc amorem; & tamen stare posse citra susceptionem prædicatorum contradicentium in cognitione, & amore, Deum ex cognitione dirigi ad amorem; & non contra. Antecedens constat ex disput. 4. & 5.

5 Assero tertiò, verius mihi esse, vniuersaliter loquendo, non posse dari simul existentes in Deo formalitates infinitas virtualiter intrinsecè distinctas certo quodam ordine inter se dispositas, ita vt secunda, verbi gratia, reflectat supra primam; tertia supra secundam; quarta supra tertiam, & sic in infinitum. Hæc assertio, prætermissis alijs probationibus, quas nondum habeo satis maturatas, ex eo mihi probabilior videtur, quia in Physicis probabilius censui cum communiori sententiâ, contradictionem implicare infinitum cathegorematicum rerum simul existentium, & inter se certa quâdam serie ordinatarum. At argumentum, quo talem implicationē statuimus, eâdē vi probat, implicare infinitas formalitates simul existentes virtualiter intrinsecè distinctas certo quodam ordine inter se dispositas: ergo talis infinitudo censenda est implicatoria. Minor probatur, aptato ad præsens institutum argumento illo. Prima formalitas amoris, quo Deus amat se ipsum, vocetur A. Secunda formalitas, quâ Deus eam primam amat, vocetur B. Tertia, quâ hanc amat, vocetur A. sicut prima: quarta B. sicut secunda, & sic deinceps. Tunc sic. In hac serie non dantur plura A, quàm B. Deinde dantur plura A, quàm B. ergo talis series implicat. Prior pars an-

antecedētis probatur. Nam cuilibet A. correspondet aliud B. reflectens supra A. ergo nō sunt plura A, quàm B. Nam alioqui non singulis A. distinctis correspondérent singula B. distincta. Posterior pars probatur. Nam, dempto primo A. nempè formalitate amoris, quo Deus se amat, manent tot A. quot B. quia singulis B. correspondent singula A. reflectentia supra B. ergo, non dempto primo illo A. plura sunt A, quàm B. Nam, si positis totidem A. quot B. tursus addatur vnum A. manifestum est iam esse plura A. quàm B. Sed hoc tetigisse sufficiat, precluſis in Philosophia euasionibus, quæ possunt huic argumento parari, & expeditis instantijs, quę contra ipsum exsurgere possunt.

6 Deinde quicquid sit de Philosophicis, suadetur hæc tertia conclusio eodem modo, ac secunda. Non dantur duæ, nedum infinitę formalitates, virtualitèr intrinsecè distinctæ, vbi munia, & prædicata, quę existūt in Deo, stare possunt sine tali dualitate virtuali; imò hæc dualitas cēsenda est implicatoria, vbi nihil aliud, quod Deo negari nequeat, illam exigat: ergo ad hoc, vt nō implicet in Deo virtualis infinitudo formalitatum virtualitèr intrinsecè distinctarum, necesse est existere in Deo prædicata, quæ ipsi negari nequeant, & aliunde, quæ dari non possint absque tali infinitudine virtuali. At non sunt ea prædicata assignabilia, vt ex argumentorum solutione constabit: igitur ea infinitudo virtualis censenda est implicatoria.

CAP. II.

Soluuntur argumenta contra doctrinam præiactam.

7 REmissis philosophicis ad tractationē philosophicam de infinito, veniamus ad argumenta Theologica satis difficilia. *Primò* sic objicio. Amor, quo Deus amat diuinum amorem necessarium directè terminatum ad essentiam Dei, est gaudium circa talem amorem, vt exercitum, & possessum à Deo. At eiusmodi gaudium distinguitur virtualitèr intrinsecè ab illo amore: ergo amor, quo Deus amat amorem necessarium directè terminatum ad essentiam Dei, distinguitur virtualiter intrinsecè ab eo amore. Maior est certa. Deus enim amans suum amorem necessarium, videt ipsum, vt bonum exercitum, & possessum ab ipso Deo, & consequenter nihil deest, quominus amor eius amoris sit gaudium circa ipsum. Minor probatur. Gaudium diuinum circa talem amorē, supponit ipsum, vt existentē, & possessum à Deo, quip-

pè Deus gaudet de tali amore, quia videt ipsum existentem, & possessum à Deo, & sic videt, quia ipse amor existit, & possidetur à Deo. At diuinus amor directè terminatus ad essentiam Dei non supponit se ipsum, vt existentem: ergo gaudium illud distinguitur virtualitèr intrinsecè ab hoc amore: sunt enim prędicata contradictoria inducentia distinctionem virtualem intrinsecam, supponere, & nō supponere, vt existentem diuinum amorem directè terminatū ad essentiam Dei.

8 Resp. Concessâ maiori, negatur minor. Ad cuius probationem dicatur, gaudium de amore directo essentiæ diuinæ supponere *negatiuè* talem amorem; non verò *positiuè*: deinde talem amorem supponere se ipsum *negatiuè*; non autem positiuè, vnde vtrique formalitati idem omninò conuenit à parte rei; non autem prædicata contradictoria. Et quidem præsuppositio negatiua prædicti amoris ad gaudium sui, sufficit ad terminandum tale gaudium, vt iam dicimus. Explicatur. Gaudium de amore essentiæ diuinæ non præsupponit positiuè talem amorem. Nam ad hanc præsuppositionem positiuam oportet eum amorem verè, & propriè præcedere ad gaudium, quod cum omnimodâ identitate vtriusque non constat. Deinde: gaudium circâ eum amorēm præsupponit ipsum negatiuè. Nam ad hoc sufficit, talem amorem non sublequi; sed comitari ipsum gaudium: comitatur autem ipsum concomitantiâ omnimodæ identitatis, etiam virtualis intrinsecè. Demùm. Vt talis amor terminet eiusmodi gaudium, sufficit ea præsuppositio negatiua, vel, quod in idem redit, illa concomitantia positiua vtriusque. Nam, vt gaudium terminetur ad prædictum amorem, sufficit pro signo gaudij cognoscibilem esse amorem, non præcisè, vt possibilem; sed etiam, vt existētem, & possessum, & ita cognoscibilis est, si existit, & possidetur pro signo gaudij, eo quòd sit plenissimè identificatus cum ipso gaudio, & cum Deo.

9 Sed contra obijcies secundò. Talis amor directus essentiæ diuinæ præcedit positiuè ad scientiam visionis sui, vt existentis, & possessi. At hæc scientia visionis, quippè quæ dirigit gaudium circa talem amorem, vel præcedit positiuè ad tale gaudium, vel cum illo identificatur, etiam virtualitèr, vt colligitur ex principijs disput. 5. ergo talis amor præcedit positiuè ad gaudium terminatum ad ipsum. Maior, quæ sola est difficilis, patet. Nam ideò Deus videt in ipso Deo existere talem amorem, quia hic existit in ip-

so;

so; non autem ideò hic existit in Deo, quia Deus hoc videt. Respondeo, talem amorem non præcedere positiuè; sed negatiuè ad visionem terminatam ad ipsum: quia non subsequitur ad hanc visionem; sed cum ipsâ prorsus identificatur, etiam virtualiter: quemadmodum in sententiâ communissimâ, quæ non constituit essentiam Dei in prædicato virtualitèr præcedente ad actualem intellectionem, quâ Deus se ipsum intuetur, essentia diuina non præcedit positiuè ad hanc intellectionem; sed negatiuè, quatenùs non subsequitur ad illam; sed potiùs identificatur penitùs, etiam virtualitèr, cum tali intellectione. Vnde, sicut hîc propositio ista * Deus se intuetur existentem, quia existit; non autem existit, quia se intuetur existentem * non denotat præcedentiam intrinsecam virtualem ex parte rerum; sed extrinsecam ex parte modi concipiendi, quia ratione nostrâ prius est Deum existere, quàm se vt existentem intueri; ita similitèr in casu argumenti nobis obiecti. Itaque amor directus essentiæ diuinæ, visio huius amoris, & gaudium circa ipsum, sunt eadem formalitas virtualitèr intrinsecè ex parte obiecti.

10 Sed contra obijcies tertiò. Notitia dirigens affectum voluntatis præcedit ad illum, saltem virtualitèr intrinsecè. At visio prædicti amoris vt existentis, & possessi, est notitia dirigens ad gaudium erga ipsum: ergo præcedit virtualiter intrinsece ad tale gaudium, ac per consequens distinguitur virtualitèr intrinsecè ab illo. Respondetur. Tamersi notitia dirigens affectum voluntatis formalitèr, & immediatè liberum, præcedat ad ipsum, saltem virtualitèr intrinsecè; non tamen ea præcedentia necessariò requiritur in omni notitiâ directrice affectus necessarij, de quo satis dispu. 5. Deus autem circa omnes suas perfectiones necessarias, ac proinde circa diuinum amorem directum essentiæ diuinæ, gaudet necessario, de quo disp. 9.

11 Obijcies quartò. Gaudium terminatum ad amorem essentiæ diuinæ dirigitur ex visione talis amoris, vt existentis, & possessi. Ipse amor essentiæ diuinæ non dirigitur ex visione talis amoris, vt existentis, & possessi. At dirigi, & non dirigi ex eâdem visione sunt prædicata contradictoria inducentia distinctionem, saltem virtualem intrinsecam, subiectorum, quibus conueniunt: ergo gaudium terminatum ad amorem essentiæ diuinæ; & hic ipse amor distinguuntur, saltem virtualitèr intrinsecè. Secunda pars maioris, quæ sola difficilis

lis est, probari potest ex dictis in re simili tractatu de Scientia, disput. 18. num. 8. & 9. Nam amor essentiæ diuinæ dirigitur ex notitiâ ostendente rationem idoneam, vt moueatur Deus ad positionem eius; non ex notitiâ ostendente rationem ineptam ad hoc munus. At, vt moueatur Deus ad amorem suæ essentiæ, quanùis aptissima ratio sit essentiam Dei esse optimam, & ipsius amorem possibilem; tamen, vt ad talem amorem moueatur, ineptа ratio est, talem amorem iam existere, & possideri: ergo talis amor non dirigitur ex visione sui, vt iam existentis, & possessi. Quâ eâdem ratione probari poterit, vt intuenti patebit, virtualis distinctio inter gaudium de amore, & secundum gaudium de illo gaudio, & inter secundum gaudium, & tertium gaudium de ipso, & sic in infinitum: quod manifestè opponitur assertioni traditæ numero 5.

12 Respondetur, secundam partem maioris esse falsam. Ad probationem triplex responsio mihi occurrit. Prima est. Quanùis nequeat dirigere ad affectum voluntatis notitia, quæ *solùm* ostendat rationem ineptam, vt moueatur amans ad positionem eius affectus; benè tamen, quæ *simul* ostendat rationem aptam ad id munùs. Sic notitia indiuisim repræsentans bonitatem aliquam, & malitiam aliquam ex parte obiecti, dirigere potest ad amandum obiectum, quia, licèt repræsentet malitiam ineptam, vt moueat ad amorem; repræsentat simul bonitatem aptam ad talem motionem. Sic in præsenti visio amoris directi terminati ad essentiam diuinam, vt existentis, & possessi, dirigit ad eum amorem essentiæ Dei, quia, licèt repræsentet existentiam exercitam, & possessionem eius amoris, gratisque permittamus arguenti rationes istas esse ineptas, vt Deus ponat talem amorem; repræsentat tamen simul ea visio Dei essentiam vt optimam, huiusque amorem, vt non implicantem contradictionem, quæ sunt rationes aptæ, vt ponat Deus ipsum amorem.

13 Sed contra hanc solutionem vrgebis. Visio prædicti amoris non dirigit ad positionem eius amoris, quatenùs ea visio est visio eius amoris, vt existentis, & possessi: quippè non dirigit ad positionem eius amoris, quatenùs repræsentat rationes ineptas, vt talis amor ponatur, cuiusmodi rationes esse existentiam exercitam, & possessionem eius amoris permittimus gratis, stando

do solutioni adhibitæ. At ea visio secundùm formalitatem ipsam videndi amorem, vt existentem, & possessum, dirigit ad gaudium erga istum amorem: ergo iste amor, & gaudium erga ipsum distinguuntur virtualiter intrinsecè. Probatur consequētia. Nam ex eâdem formalitate notitiæ *dirigi, & non dirigi* sunt prædicata contradictoria, quæ distinctionem, saltem virtualem intrinsecā, inferunt in subiectis, quibus cōpetunt. Si ergo amor diuinæ essentiæ non dirigitur ex formalitate vidēdi ipsum amorem, vt existētem, & possessum; & ex hac ipsa formalitate dirigitur gaudium erga istum amorē, planè fit talem amorem, taleque gaudium distingui virtualitèr intrinsecè.

14. At hæc replicatio confundit, quæ extrinsecè contingunt ex parte nostri modi concipiendi cum his, quę dantur intrinsecè ex parte rerum, vt cum magno veritatum dispēdio frequens est his, qui non habentes bene perspectos nostros abstrahendi modos, præscissiones obiectiuas, & formales crebrò cōmiscent. Respondetur, falsam esse suppositionem distinguere, distinctione se tenente intrinsecè ex parte notitiæ diuinæ, aliā, & aliam formalitatem: aliam visionis amoris diuini, vt existētis, & possessi; aliam cognitionis essentiæ diuinæ, vt optimæ. Nam hæc (quæ abusiuè *hæc*; & propriè vocari solùm debent *vnum quid*) sunt omnino vnum, idem, & indistinctum intrinsecè ex parte rei. Quo fit, si sermo sit præcisè de his, quæ intrinsecè ex parte rerum eueniunt, ipsā formalitatē videndi amorem diuinum, vt existētem, & pōssessum (esto demus existentiam, & possessionem esse rationes inepras, vt is amor ponatur) dirigere ad positionem eius amoris. Nam ex vnā parte aliquid huius notitiæ diuinæ, quæ talis est visio, & simul notio diuinæ essentiæ, vt optimæ, dirigit ad positionem huius amoris; & aliundè, loquēdo præcisè de intrinseco talis notitiæ; non agendo de nostris concipiendi modis (liceat sic loqui) in hâc notitiâ suum *aliquid* est suum totum; & consequentèr aliquid ipsius dirigere est totam ipsam dirigere: item dirigere, quod in ipsâ est de notione Dei essentiæ, vt optimæ, est dirigere quicquid in ipsâ est de visione amoris diuini, vt existētis, & possessi: ac tandem, loquendo de intrinseco talis notitiæ, præscindendo à modulo nostro cōcipiendi, dicere de hâc notitiâ secundùm vnum dirigere per se, & formalitèr; & secundùm aliud per accidēs, & materialitèr, est iterum suppositione falsâ implicari, designando vnum, & aliud, loquēdo de statu intrinseco notitiæ, vbi non est vnum, & aliud; sed

sed vnum quid simplicissimum. Vtinam hoc temei penitissimè inspiciatur, vt sæpè depellantur falsitatum nebulæ.

15 Vnde ad replicationem ex *num* 13. dicatur, loquendo de statu intrinseco notitiæ diuinæ, præcindendo à modo nostro concipiendi, nusquam admittendum esse vnam formalitatē eius notitiæ dirigere ad amorem directum; & eam formalitatem non dirigere ad gaudium erga talem amorem; sed totam indiuisam, & simpliciſsimam notitiam simul tendentem ad rationes aptas, & ineptas, vt ponatur amor, dirigere ad positionem huius amoris, & gaudij circa ipsum. Quo fit, vt, sic loquendo, nequaquam verificetur ex vnâ formalitate eius notitiæ non dirigi amorem directum essentiæ Deī; & ex eâdem dirigi gaudium erga talem amorem. Vnde ex his prædicatis contradictorijs, cum illa non admittamus, malè nobis probabitur distinctio virtualis intrinseca inter talē amorem, & gaudium. At verò, loquendo de tali notitiâ diuinâ, vt extrinsecè cognita per nostros conceptus, benè potest affirmari eam, prout præcisè est cognitio diuinæ essentiæ, vt optimæ, dirigere ad amorem directum eius essentiæ; & non ad gaudium reflexū eius amoris; contra tamen, prout est visio eius amoris directi, vt existentis, & possessi, dirigere ad gaudium reflexum eius amoris; & non ad amorem directū essentiæ Dei. Hæc enim non aliud significant, quam expressionem, quâ nos concipimus ita notitiā diuinam: *Est notitia, quæ ostendit Deo suam essentiam esse optimam*, statim facere, vt intelligamus illam esse aptam, vt dirigat Deum ad amorem suæ essentiæ; non autem ita immediatè præstare, vt intelligamus aptam esse, vt dirigat Deum ad gaudendum de tali amore; contra vero expressio, quâ nos ita concipimus notitiam diuinam: *Est notitia, quæ ostendit Deo diuinum amorem, vt existentem, & possessum*, statim immediatè præstat, vt intelligamus eam notitiam aptam esse, vt dirigat Deū ad gaudium de tali amore; non autem ita immediatè facit, vt intelligamus eam notitiam aptam esse, vt dirigat Deum ad amorem directum suæ essentiæ. Hîc autem non cernuntur prædicata contradictoria, quæ competant actibus diuinis, vt opus erat ad distinctionem virtualem intrinsecam ipsorum; sed quæ competunt nostris expressionibus mentalibus. Sed quid mirum, si illæ non virtualiter; sed realiter simpliciter distinguuntur?

16 Secunda solutio est. Admitto, notitiam ostendentem amanti rationem ineptam, vt ponat amorem, non posse dirigere

gere ad amorem. At visio, vt existentis, & possessi amoris diuini directè terminati ad essentiam Dei, licèt ostenderet rationem ineptam ad positionẽ eius amoris, casu, quo talis amor esset præcisè amor directus essentiæ diuinæ, & non esset gaudium reflexum supra se; tamẽ vt nunc res iacent, vbi amor directus essentiæ diuinæ est omnibus modis intrinsecè idem cum gaudio reflexo supra se, certè visio ipsius, vt existentis, & possessi, nequit non esse notitia Deo monstrans rationem aptissimam, vt existat talis amor. Quocirca probari nequit, eam visionem ostendere Deo rationem ineptam, vt talis amor ponatur, donec aliunde probetur, talem amorem non esse omnibus modis intrinsecè eundem cum gaudio reflexo supra se: quod, vt credo, nunquam solidè probabunt aduersarij. ¶ Tertia solutio est. Transeat visionem, per quam videtur, maximè *in se ipso* amor, vt exercitè existens, & possessus, non posse dirigere ad hoc, vt ab amante eliciatur & producatur amor, qui media sui productione existit. Et ratio fortassis est. Nam cognitio dirigens ad producendum amorem, tendit ad hoc, vt ex ipsa per productionem agentis, quod ad amandum impellit, subsequatur amor: hic autem subsequi nequit ex visione, quâ ipse *in se ipso* cernitur, vt existens, & possessus: quia, cum hæc visio sit veluti experimentalis contactus existentiæ iam exercitæ ex parte amoris, non apparet posse præcedere ad talem existentiam. At notitia, quæ non dirigit ad amandum, impellendo voluntatem, vt per productionem subsequi faciat amorem ex tali notitia; sed præcisè dirigit, reddendo cognitam bonitatem obiecti, quod amatur per amorem substantialem existentem à se, & non præcedendo ad talem amorem; sed formaliter intrinsecè constituendo per identitatem perfectissimam, potest optimè esse visio ipsius amoris, vt existentis, & possessi, quia nihil cõtradictionis implicat identificari prorsus cum ipso amore intuitum suæ existentiæ, & notitiam obiecti, quod per ipsum amatur. Solutiones istę facilè aprantur, vt intuenti patet, ijs, quæ in argumento adijciũtur de infinitis reflexionibus gaudiorũ supra gaudia.

CAP. III.

Aliorum argumentorum contra nostram doctrinam solutio.

17 ALia possunt argumenta non contemnenda fieri contra nostram doctrinam, quatenus vniuersalitèr negauimus num. 5. posse in Deo reperiri actualitèr infinitas formalitates

tates virtualiter intrinsecè distinctas certa quadam subordinatione inter se dispositas. Contra quod argui potest primò. Deus non solùm habet decretũ liberum de productione, & conseruatione huius mundi, v.g sed etiam gaudium de existentiâ huius decreti, rursusque gaudium de existentia huius gaudij, & sic in infinitum: quia non est verosimile Deum non gaudere de quouis prædicato exercitè existente in ipso Deo. At isti actus virtualiter intrinsecè distinguũtur: ergo dãtur actualiter in Deo infinitæ formalitates virtualiter intrinsecè distinctæ certâ quâdã subordinatione inter se dispositæ. Minor probatur. Nam in primis virtualiter intrinsecè distinguuntur decretum liberum circa mundum, & gaudium circa existentiam eius decreti. Patet: quia tale decretũ eo ipso, quòd sit liberum, dirigitur ex notitiâ, nõ quidem determinatâ ad existentiam eius decreti; sed ad ipsius existentiam, & non existentiam indifferente: ergo non dirigitur ex visione sui, vt præsentis. At gaudium circa ipsum decretum dirigitur ex visione ipsius decreti, vt præsentis: ergo istud decretum, & gaudium circa ipsum distinguuntur virtualiter intrinsecè. Quo videtur satis impugnari P. Zuñiga, tract. de Trinit. disput. 9. dub. 7. memb. 3. num. 3. qui vult ipsum decretum liberum per se ipsum; non per alium actum virtualiter distinctum, gaudere de se ipso; & aliunde vult prætequiri ad gaudium notitiam de præsentia obiecti, ad quod terminatur.

18 Probatur deinde, gaudiũ circa gaudium decreti distingui virtualiter ab hoc decreti gaudio, & sic in infinitũ. Nam gaudium circa decretum liberum est etiam liberum, adhuc ex suppositione decreti: ergo non est per se ipsum gaudium de se ipso; sed per gaudium aliud virtualiter intrinsecè distinctũ: si enim per se ipsum esset gaudium sui, dirigeretur ex notitia sui ipsius, vt præsentis, quod cum ipsius libertate non constat, vt in simili vidimus num. 17. Antecedens probatur. Defectibilitas decreti circa creaturas, & cõnexio eiusdem decreti cum creaturis, quæ plurimis imperfectionibus scatent, sunt rationes sufficientes, vt Deus cognoscens tale decretum, vt possibile, suspendat positionem ipsius, quippè rationes assignatę, pluresque alię mouere potuerunt ad suspensionem eius decreti: ergo eædem rationes mouere poterunt post iam positum decretum, ad suspendendum gaudium circa ipsum, & consequenter eiusmodi gaudiũ, adhuc ex suppositione decreti, liberum erit: cumque idem argumentum fieri possit pro libertate secundi gaudij reflectentis supra

supra primum, videtur ineuitabilis infinitudo formalitatū virtualiter intrinsecè distinctarum, & actualitèr existētium in Deo.

19 Tria possunt huic argumento non improbabiliter responderi. Primum est. Admitto propter argumentum factum num. 17. gaudium circa decretum liberum mūdi distingui virtualiter intrinsece ab hoc decreto. Nego tamen gaudium circa hoc gaudium distingui virtualitèr ab illo; sed per se ipsum realitèr, & virtualitèr est gaudium de illo decreto, ac de semetipso. Ratio sit: quia valde probabile est, ex suppositione decreti liberi circa mundum non esse liberum; sed necessarium gaudium circa tale decretum. Vnde nihil prohibet, tale gaudium dirigi nō solùm ex visione prædicti decreti, vt præsentis; sed etiam ex visione sui, vt præsentis; proindeque non solùm esse gaudium de tali decreto, sed etiam de semetipso: quemadmodum iuxta nostram opinionem amor necessarius, quo Deus se ipsum totum amat, dirigitur ex cognitione essentiæ diuinæ, & sui ipsius, vt præsentium; & non modò realitèr, sed etiam virtualitèr est gaudium de essentia diuina, & de se ipso. Porrò necessitas gaudij circa decretum liberum ex suppositione ipsius decreti, satis probabilis redditur, adhibita respōsione ad probationem in cōtrarium obiectam num. 15. Respōsio sit. Pro illo priori indifferentiæ, quo Deus nondum decreuit creaturas, nondum datur tale decretum in exercitio, & consequentèr nondum intelligitur essentia diuina perficiens exercitè tale decretum. Vnde nihil prohibet, quominus ex connexione talis decreti cum creaturis imperfectis, & ex alijs rationibus Deo notissimis moueatur Deus ad suspensionem eius decreti. At verò ex suppositione decreti iam exercitè existentis, iam intelligitur, essentiam diuinam, vel infinitè simplicitèr perficere decretum, vel supra quàm possit esse perfecta quælibet creatura existens, & possibilis, de quo infra, dum de libertate diuinorum actuum. Vnde nihil mirū, quod in conspectu tantæ perfectionis iam exercitæ nihil Deum à gaudio circà tale decretum retrahere possit: maximè, cum sit satis, ni fallor, iuxta communem sensum, Deum liberrimè iustificare hominem. At postquam iam in exercitio datur perfectio iustitiæ, vel non adeò libere; vel ex hâc suppositione necessariò gaudet in iustitia, vt præsente; & in homine iustificato propter iustitiam.

20 Secunda responsio argumenti est. Admitto, non solùm decretum creaturarum esse immediatè liberum; sed etiam ex suppositione decreti sic liberum esse

esse gaudium circa tale decretum. Admitto rursus, eiusmodi gaudium liberum non posse esse gaudium de se ipso propter argumentū factum num. 17. Quare, si Deus gaudeat de tali gaudio, gaudebit per aliud gaudium virtualiter distinctum. Cæterū, his omnibus admissis, dici poterit, Deum decernentem mundum posse gaudere de hoc decreto per gaudium *A.* virtualiter distinctum; & de hoc gaudio per gaudium *B.* similiter distinctum; & de hoc per *C.* & sic in infinitum syncathegorematicè, nimirùm ita, vt licèt nullū gaudium sit assignabile, de quo vlterius gaudere nequeat; tamen propter repugnantiam infiniti cathegorematici formalitatum virtualiter distinctarum, & ordinatarum necesse sit, vt Deus pro suo libero nutu sistat in gaudio, in quo sistere malit, non gaudens vlterius de ipso. Quemadmodū, iuxta communem opinionem de repugnantiâ successiui ab æterno, Deus, qui assignauit Adamo primam sui durationem *D.* potuit huic præmittere, si placuisset durationē *C.* & huic *B*; & sic in infinitum; at propter implicantiam successiui ab æterno, necesse fuit, Deum pro suo libero beneplacito durationem aliquam primam elegisse, cui durationem aliam non præmiserit, quamuis durationum series ex alia duratione anteriori incœpisse potuerit.

21 Tertia solutio mihi verior, & solidior est, quæ nostris principijs est conformior, nimirum, ipsum decretum liberum circa creaturas esse virtualiter identificatum cum gaudio circa se ipsum. Vnde hoc decretum, quo Deus simul & creaturas decernit, & in ipso decreto, vt præsente cōgaudet, dirigitur ex duplici notitia diuina. Alia est notitia, quæ reddit Deum indifferentem electiuè, vt pro suo libito creaturas decernat, aut non decernat. Alia verò, quæ Deo tanquam iam præsens notificat tale decretum, vt in ipso præsente gaudeat. Ar inter eas notitias insigne discrimen est. Prima est indifferens ad tale decretum, & ipsius suspensionem. Secunda determinata ad existentiam decreti. Prima, scientia naturalis. Secunda, libera. Prima, præcedens virtualiter decretum. Secunda, in ordine virtuali intrinseco comitans decretum; tametsi subsequens illud extrinsecè ex modo nostro concipiendi, iuxta dicta in simili n. 9. Demum. Prima, vtpotè necessaria, & virtualiter anterior decreto libero, est distincta virtualiter ab ipso. Secunda virtualiter indistincta ab eo decreto. Neque enim est, cur distinguatur virtualiter ab illo. Nam præterquàmquod Deum decernere, Deumque videre se decernere sunt formalitates diuinæ mutuo inse-

inseparabiles; nullum est caput, ex quo necesse sit ipsas distinguere virtualiter intrinsecè.

22 Non enim hæc distinctio colligitur ex eo, quòd, cum Deus videat se decernere mundum, quia decernit; non autem decernat, quia decernere videt; visio sit subsequens ad decretū. Hoc enim probat duntaxat, vt similiter dicebamus num. 9. posteriorítatem rationis extrinsecam ex modo nostro concipiendi; non virtualem intrinsecam ex parte rerum. Nam in ordine intrinseco Deus decernens, & promptissimus, vt in se videat quicquid in se habet, non est cur veluti differat visionem ad aliud signum; sed illam habebit cum ipso decreto coniunctissimam coniunctione omnimodæ identitatis. Deinde non colligitur ea distinctio ex eo, quòd decretum liberum sit sui ipsius gaudium, iuxta hanc solutionem; & consequenter dirigitur ex visione sui, vt præsentis; & aliunde necesse est, cognitionem directricem affectus distingui virtualiter ab illo. Etenim hoc vltimum falsò supponitur. Constat enim ex disp. 4. & 5. intellectionem diuinam necessariam dirigere amorem diuinum necessarium, quantumuis virtualiter indistinctam ab illo.

23 Iam verò promptum est ex dictis componere libertatem decreti diuini cum identitate omnimoda illius cum gaudio sui ipsius, ac directione ex visione sui, vt præsentis. Cuius concordiæ ratio est. Nam scientia connexa infallibiliter cum affectu voluntatis, tunc solùm lædere queit libertatem illius, quandiu re ipsa præuenit determinationem liberam eius affectus; non verò quando non præuenit eam determinationē; sed potius realiter, & virtualiter identificatur cum determinatione liberâ talis affectus. Quid namque notius, quàm cum actu, prout liberè exercito, non pugnare, quod omnino est idē cum actu, prout liberè exercito; proindeque non minus, aut aliter venit à libero arbitrio, quàm ipse affectus, vt exercitus liberè? At visio decreti diuini, vt præsentis, non dirigit gaudium ipsius decreti prorsus idētificatum cum eo decreto, præueniendo re ipsa tale decretum, aut gaudium; sed realiter, & virtualiter se identificans cum his formalitatib⁹ huius decreti: ergo nequit lædere libertatem huius decreti. ¶ Vbi nota: quod attinet ad ordinem extrinsecū petitum ex modo nostro concipiendi, prædictus affectus diuinus, quatenus est decretum producendi mundum, dirigitur ex notitia necessaria conuenientiarum, quæ apparent in producendo, ac decernēdo. Iam ex hoc decreto, prout existente in ratione decreti, subsequitur ordi-

ordine rationis visio ipsius, prout existentis: ex hac visione gaudiũ ipsius: ex hoc gaudio visio ipsius gaudij prout existentis; & ex hâc visione gaudium huius gaudij, & sic in infinitũ. Verum, vt sæpè monuimus, eiusmodi infinitudo est syncathegorematica cadens supra nostros modos exprimendi idem obiectum, qui modi non sunt tot, quin possint esse plures, & plures; at non est infinitudo cathegorematica, quę cadat supra formalitates intrinsecas obiecti: hoc enim in ordine intrinseco est duntaxat vnica, & simplicissima formalitas.

24 At contra solutionem adhibitam vrgebis. Si decretum producendi Petrum, v.g. identificaretur, etiam virtualitèr, cum scientia libera ipsius decreti, similitèr identificaretur virtualitèr cum scientia libera de existẽtia Petri exercita pro sua differentia temporis. Sequela est absurda: ergo & antecedens. Patet sequela. Nam, cum decretũ efficax producendi Petrum sit essentialitèr cõnexum cum existentia Petri pro sua differentia temporis, necesse est, iuxta certa principia stabilita tract. de Scientia, eandem scientiam, per quã Deus videt decretum, esse scientiam, per quam cognoscat, dari existentiam Petri pro tali differentia temporis. Iam absurditas sequelæ probatur. Decretum efficax producendi Petrum antecedit, vt causa, existentiam Petri. At scientia libera de existentia Petri non antecedit, vt causa, talem existentiam. Nam hæc scientia posterior est Petro, vt existente: quippè Deus videt Petrum, vt existentem, quia Petrus existit; non autem Petrus existit, quia Deus videt ipsum, vt existentem: ergo prædictum decretum, prædictaque scientia libera distinguuntur virtualitèr intrinsecè.

25 Hoc argumentum tetigimus tract. de Prædest. disput. 16. num. 14. & 15. necnon tract. de Scientia, disp. 18. num 25. Exibi dictis respondetur, concessa sequela, quæ benè probata est. Ad probationẽ absurditatis sequelæ respondetur, scientiam liberam attingentem existentiam Petri *in decreto efficaci* producẽdi Petrum identificatam virtualitèr intrinsecè cum eo decreto, præcedere vt causam, loquendo intrinsecè, & ex parte rei, ad existentiam Petri; non autem sic præcedere formalitèr ratione nostra quatenus scientiam liberam cognoscẽtem Petrum existere pro tali differentia temporis. At scientia libera, si fortè possibilis est, quæ præcisè attingat existentiam Petri *in se ipsa*; & non *in decreto*, non præcedit, vt causa, etiam intrinsecè, & ex parte obiecti, existentiam Petri; sed talem existẽtiam comitatur ordine reali causalitatis: cum qui-

quibus cohæret, existentiam Petri secundùm ordinem rationis præcedere ad scientiam eius existentiæ; potius, quàm contra, & ideo potius dici, Deum videre Petrum, vt existentem, quia existit; quàm Petrum existere, quia Deus id videt. Declaremus breuitèr solutionem, quæ satis constat ex locis notatis.

26 In primis scientia libera attingens existentiam Petri in decreto efficaci producendi Petrum, præcedit intrinsecè, & ex parte rei, vt causa, ad existentiam Petri. Ratio est, quæ attingitur in ipsa obiectione. Quia sic præcedit ad existentiam Petri decretum efficax producendi Petrum. At quicquid conuenit huic decreto, conuenit eodem modo formalitati, quæ non solùm realitèr formalitèr; sed etiam realitèr virtualitèr identificatur cum eo decreto; cuiusmodi formalitas est prædicta scientia libera: igitur hæc scientia præcedit intrinsecè, & ex parte rei, vt causa, ad existentiam Petri. Secundò. Non sic præcedit formaliter ratione nostra, quatenus scientia cognoscens Petrum existere pro tali differentia temporis. Nam sub hac expresione non concipitur hæc scientia tanquam practicè influens, ac tribuens esse Petro; sed præcisè tanquam speculatio iudicans existere Petrum tali tempore. Sic, si Deus eodem indiuiso decreto statuat producere Petrum, & Paulum; decretum producendi Paulum est intrinsecè, & ex parte rei causa Petri: at formalitèr, & ratione nostrâ non est causa Petri, prout decretum Pauli, quia, prout sic, non exprimitur, vt tribuens esse Petro; sed Paulo.

27 Tertiò. Scientia libera, si fortè possibilis est, quæ præcisè attingat existentiam Petri *in se ipsa, & non in decreto*, non præcedit, vt causa, etiam intrinsecè, & ex parte rei ad existentiam Petri. Ratio est. Nam ea scientia non identificaretur virtualitèr intrinsecè cum decreto efficaci producendi Petrum. Nam alioquin attingeret hoc decretum sibi præsentissimum, & in ipso decreto existentiam Petri. At, seclusâ identitate virtuali intrinsecâ cum prædicto decreto, non esset, cur ea scientia, vt intrinsecè distincta virtualitèr ab eo decreto, trãsiliret metas purè speculandi existere Petrum tali tempore. Esset igitur intrinsecè, vt virtualitèr distincta ab eo decreto, pura speculatio existentiæ Petri; non causa influens in eam existẽtiam. Quartò. Huiusmodi scientia, concomitans esset ordine causalitatis (de prioritate æternitatis non est dubiũ) existentiam Petri. Ratio est. Nam hæc scientia non præcedit ordine causalitatis existen-

tiam Petri, vt diximus. At neque subsequitur ad illam in hoc ordine : ergo concomitatur. Minor probatur : nam existentia Petri nullum munus exercet erga prædictam scientiam Dei, quod sufficiat ad prioritatem causalitatis erga ipsam. Nam in primis non causat verè, & propriè scientiam diuinam, vt patet. Rursus, non sufficit, eam scientiam iure suæ infallibilitatis existere non posse sine existentia Petri, quam affirmat. Nam decretum efficax existentiæ Petri non subsequitur ordine causalitatis eam existentiam; & tamen iure suæ infrustrabilis efficaciæ non potest esse sine existentiâ, quam decernit. Præterea non sufficit, ipsam existentiam Petri esse obiectum determinans Deum, vt ipsam videat. Tum quia diuina essentia est obiectum determinans Deū, vt ipsam sui essentiam intelligat; & tamen essentia Dei non præcedit ordine causalitatis eam intellectionem; quin etiam, ex opinione satis communi, constituitur eâdem intellectione. Tum quia, secluſa causalitate physica, per quam obiectum causet sui notitiam, munus determinandi est duntaxat intentionale consistens præcisè in modo tendendi assensus huius naturæ: *Iudico Petrum existere, quoniam id apparet verum*, vbi nulla inuoluitur prioritas causalitatis obiecti ad notitiam, vt ex nostris disputationibus de scientia constat. Nullum ergo munus existentia Petri exercet erga prædictam scientiam Dei, quod sufficiat ad prioritatem causalitatis erga ipsam. Vide tract. de Prædest. disputat. 16. à numero 17.

28 Consultò dixi, num. præced. initio, loquens de scientia libera *præcisè* attingente existentiam Petri *in se ipsa* * Si fortè possibilis est * Nam verius esse, quòd sit impossibilis, colligi potest ex tract. de Scientia disput. 13. num. 31. ¶ Demum, cum prædictis constat, existentiam Petri secundùm ordinem rationis præcedere ad scientiam visionis ipsius existentiæ potius, quàm conuersim. Nam ex eo, quòd Petrus existat, datur nobis intelligi, Deum visione infallibili conspicere Petrum existere potius, quàm detur nobis intelligi, Petrum existere ex eo, quòd Deus visione infallibili cōspiciat Petrum existere. Et ratio est, quia licet per bonam consequentiam, non solùm inferatur ab existentia Petri Deum videre talem existentiam; sed etiam per bonam consequentiam inferatur Petrum existere ab eo, quòd Deus videat hanc existentiam; tamen hæc visio infertur ab existentia Petri, tanquam ab obiecto de se notiori, quàm visione. Notius enim de se est,

Pe-

Petrum existere, quàm Deum id videre visione infallibili: etenim Petrum existere est obiectum optimè scibile, non factâ mentione visionis eius diuinæ de existentia Petri; hæc autem visio non benè scibilis est, non factâ mentione existentiæ Petri. Quocirca relatè ad ordinem rationis, potius est verum, Deum videre Petrum existere, quia Petrus existit; quàm hunc existere, quia Deus id videt. Placuit hæc perstringere, quia, post expressam satis nostram sententiam locis notatis, fuerunt, qui de illâ dubitauerint. Ex dictis in tractibus citatis constat satis, quo prioritatis, vel posterioritatis ordine comparentur actus nostri liberi probi, & praui cum præscientia Dei, de quo iterum tract. de Concordia.

29 Vrget secundò doctus Recentior. Stat optimè, affectum liberum Dei essentialitèr connexum cum existentiâ Petri non identificari virtualitèr cum scientiâ diuinâ talis existentiæ: ergo gratis asseritur decretum efficax Dei de existentiâ Petri identificari virtualitèr cum scientia diuinâ talis existentiæ. Nam hæc identitas niti precisè potest in connexione essentiali decreti efficacis cum ea existentia. Antecedens probatur. Volitio, qua Deus displicet in Petro pro hoc instanti *B.* quia peccauit in instanti *A.* præcedente, connectitur essentialiter cum existentia Petri in instanti *B.* Quomodo enim displicentia diuina terminabitur ad Petrum, prout Petrus est in instanti *B.* si pro eo instanti Petrus non existat? At ea volitio nequaquam est scientia, per quam Deus iudicet, Petrum existere pro instanti B. ergo affectus aliquis liber diuinus connexus essentialitèr cum existentia Petri non est scientia diuina talis existentiæ. Minor probatur. Ea volitio, & prædicta scientia sunt formalitates separabiles: si enim peccatum, quod pro instanti *A* Petrus commisit, condonaretur à Deo respectiuè ad instans *B.* non displiceret Deus in Petro respectiuè ad instans *B.* & tamen ipse Deus haberet scientiam, per quam iudicaret, Petrum existere pro instanti *B.* At formalitates diuinæ separabiles distinguuntur saltem virtualitèr intrinsecè: igitur ea volitio nequaquam idētificatur virtualitèr intrinsecè cum prædicta scientia.

30 Respondetur. Negatur antecedens. Ad probationem, concessâ maiori, negatur minor. Cuius probationi respondeo, eam volitionem, & aliquam scientiam, per quam Deus iudicet, Petrum existere pro instanti *B.* separabiles esse, vt conuincit probatio; non

tamen ea volitio separabilis est ab omni scientia, per quam Deus iudicet, Petrum existere pro instanti *B*. Id, quod neque ipse arguens negare potest: quia, cum ea volitio sit connexa essentialiter cum existentia Petri pro instanti *B*, Deus *in ea ipsa* volitione comprehensiuè cognita videt Petrum existere pro instanti *B*. Patet autem formalitates inseparabiles esse eam volitionem & scientiam in ipsa volitione discernētem, Petrum existere pro instanti *B*. Has ergo formalitates inseparabiles, dicimus non esse, cur virtualiter intrinsece distinguantur, & consequenter etiam virtualiter identificantur, tametsi prædicta volitio distinguatur, saltem virtualiter intrinsece, abilla scientia, quam Deus haberet de existentia Petri pro instanti *B*. si respectiuè ad hoc instans condonaretur illi peccatum commissum in instanti *A*. Hoc amplius patebit ex his, quæ in simili dicemus cap. seq.

CAP. IV.

Proponitur aliud argumentum, & doctrina pro expeditione plurium apprimè necessaria.

31 SEcundò potest argui pro infinitis formalitatibus virtualiter intrinsecè distinctis, & actualiter existentibus in Deo. Sumamus namque scientiam conditionatam Dei de pœnitentiâ Tyriorum. Modo sic. Potest Deus reuelare Michaeli hanc scientiam, nec non cognoscere, quòd Michael in ea scientia diuina complacebit, si fuerit ipsi reuelata. Rursus potest Deus hanc secundam scientiam conditionatam complacentiæ erga primam eidem Michaeli reuelare, nec non scire, quòd Michael in ea secunda scientia Dei complacebit, si fuerit ipsi reuelata. Præterea potest Deus similiter reuelare hanc tertiam scientiam, & similiter scire casu, quo reueletur, nasciturum esse complacentiam erga ipsam, & sic in infinitum. At, hoc possibili posito in esse, dantur actualiter in Deo infinitæ scientiæ conditionatæ tangentes diuersas complacentias ex hypothesi diuersarum reuelationum: ergo non implicat actualiter existere in Deo infinitas terminationes ad obiecta virtualiter intrinsecè distinctas.

32 Hoc argumentum sibi soluendum proponit gratissimus mihi Recentior non minus præstantis doctrinæ, quàm ingenij. Sed ante illius, & sequētium solutionem, breuiter præmittendum duximus id, quod anno 1651. docuimus in tractatu de Scientia conditionatorum

torum disputat. 7. capit. 8. Sed quoniam ea doctrina nondum satis ab Autoribus agitata fuit, non placuit nobis prælo illā mandare in tractatu de Scientia Dei expectantibus iudicium aliorum. Nec diu fuit opus expectare, quippè Recentior, quem laudauimus, cuius maturum iudicium magni nobis est, suo illam suffragio probauit, & ingeniosè illustrauit tract. pulcherrimo de vsu sciētiæ mediæ, quem præ manibus habeo, etiam, atque etiam exoptans, vt ab eius authore luci publicæ ad omniū vsum committatur. Ea doctrina est, scientiam, quâ Deus independentèr à suo libero decreto actualitèr exercito cognoscit omnes euentus contingentes conditionatos, ita simplicissimam esse nō solùm realitèr formalitèr; sed etiam realitèr virtualitèr, vt non constet diuersis terminationibus intellectualibus; sed vnica indiuisa terminatione euentus omnes conditionatos contingentes speculetur: quemadmodum, vt loco notato dicebam, eâdem virtualitèr intrinsecè indiuisâ terminatione intellectuali penetrat Deus omnes creaturas possibiles, & omnes euentus conditionatos necessarios.

33 Rationem à priori subiunximus ibidem prœmittētes duo. *Primum* est: Eatenus præcisè potest intellectus diuinus non terminari pro aliquo signo ad aliquod obiectum, quatenus nondum potest pro eo *tunc* illius veritas apparere: quia, cum intellectus diuinus sit plenissimè sufficiens, & infinitus ad perspiciēdum quodlibet verum, præcisè potest vel nusquam, vel pro aliquo signo non perspicere ipsum, quia vel nusquam, vel saltem pro eo signo nequit apparere verum, vt sæpè diximus tract. de Scientiâ. *Secundum* præmissum est. Non habent ordinem prioritatis, & posterioritatis intrinsecè, & ex parte rei (quicquid sit ex modo nostro imperfecto cognoscendi) euentus cōditionati contingentes, quatenus conditionalitèr existentes; sed quicumque euentus contingentèr existentes conditionalitèr, quatenus sic existentes contingentèr conditionatè, se habent concomitantèr. V.g. euentus isti: *Si Petrus haberet auxilium A. indifferens adoppositā, cōuerteretur: Si Paulus haberet auxilium B. similitèr conuerteretur: Si vterque se conuertentes suo exēplo Ioanni præluceant, hic etiam conuertetur*, sunt euentus, qui quantùm ad hunc statum: *Essent, si tales conditiones ponerentur*, cōcomitantèr se habent.

34 Cuius ratio est. Nam illa se habent concomitantèr, quæ non seruant ordinem prioritatis, & posterioritatis. At euen-

tus isti intrinsecè, & ex parte rei non seruant ordinem prioritatis, ac posterioritatis, quantùm ad existentiam conditionalem contingentem: ergo quantum ad istam se habent concomitantèr. Probatur minor. Nam in primis isti euentus, quoad existentiam conditionalitèr exercitam, vel, quod in idem recidit, quoad veritatem conditionatam, non habent prioritatem, & posterioritatem ordine durationis, quia simul sunt ab æterno vera veritate conditionali, quæcunque essent ab æterno, vel in tempore, si tales, vel tales conditiones ponerentur, vt concors est mens omnium, qui veritates istas cõditionales admittunt. Secundò, ijdem euentus quoad veritatem conditionatam, non seruant ordinem prioritatis, & posterioritatis naturæ, vel originis, vel, quod idem est, causæ, & effectus, principij, & principiati. Probatur. Nam, si quâ ratione nonnulli saltem istorum euentuum seruarent prædictum ordinem, quoad veritatem conditionatam, maximè, quia seruant illum quoad existentiam absolutam Petrum enim, v. g. conuerti cum auxilio *A*, causa est, vt Paulus illius exemplo ductus conuertatur cum auxilio *B*. At hæc ratio nulla est: ergo prædicti euentus nulla ratione seruant eum ordinem quoad veritatem conditionatam.

35 Minor probatur. Tum, quia ex eo, quòd plures euentus, quoad existentiam absolutam sint priores, & posteriores duratione, non colligitur, esse in hoc ordine priores, & posteriores veritates conditionatas eis euentibus correspondentes: quippè prius est duratione conuerti hodie Petrum cum auxilio *A*, quàm Paulum conuerti cras cum auxilio *B*; & tamen simul est verum ab æterno, quod Petrus conuertetur hodie, si vocetur auxilio *A* & quod Paulus conuertetur cras, si vocetur auxilio *B*: ergo similiter ex eo, quod plures euentus, quoad existentiam absolutam, sint priores, & posteriores naturâ, & origine, non colligitur, esse in hoc ordine priores & posteriores veritates conditionatas ipsis correspondentes. Tum, quia licet euẽtus necessarij se habeant tanquam causa, & effectus, quoad existentiam absolutam; non tamen sic; sed mere concomitantèr se habent veritates cõditionatæ necessariæ correspondentes ipsis: ergo licet euentus liberi se interdum habeant tanquam causa, & effectus, quoad existentiam absolutam, non ideo sic; sed mere concomitantèr poterunt se habere veritates conditionatæ contingentes

tes correspondentes ipsis. Consequentia patet à pari: & antecedens constat: quanuis enim ignis *A*, concurrente Deo, sit causa, vt in ligno introducatur vltima dispositio ad ignem *B*, ac proinde sit causa ignis *B*; non tamen hæc veritas conditionata: *Si Deus concurrat cum igne A. introducetur vltima dispositio ad ignem B.* causa est huius: *Si introducatur ea dispositio, Deusque concurrat, producetur ignis B.* Quis enim credat, dari causalitatem inter veritates peræquè necessarias nullius creati existentiam exercitam, quæ causetur, importantes, in quibus nulla cernitur exigentia, vt altera causet alteram?

36 Demum, quia nihil aliud est euentus contingentes esse prorsus concomitantes quoad veritatem cõditionatam, quàm Deum non posse non omninò simul perspicere, quid sub qualibet hypothesi contingentèr eueniret. Sed benè stat, Deũ non posse non omnino simul hæc omnia perspicere; & tamen eos euentus, quoad entitates creatas, quas important, fore, vt haberent prioritatis ordinem, si exercerentur absolutè: igitur hoc posterius non obstat, quominus euentus contingentes sint prorsus concomitantes, quoad veritatem conditionatam. Minor probatur, quia licet seruent ordinem prioritatis, & posterioritatis secundùm causalitatem duæ istæ veritates secundùm creatas entitates, quas important: *Hic ignis A. est omnino prædeterminatus in actu primo ad producendum ignem B.* Rursus: *Ignis B. existit ab igne A.* tamen, cum prior veritas infallibiliter cõnectatur cũ posteriori, nequit Deus perspicere primam, quin omnino simul perspiciat postremam: ergo benè stat, euentus conditionaliter significatos habere, vel habituros fore, si conditiones purificarentur, ordinem prioritatis; & tamen Deum non posse non omnino simul perspicere quid sub eis conditionibus contingenter eueniret.

37 Ex dictis tandem firmatur, & explicatur sic nostrum præmissum. Nam, quæ non habent ex natura sua necessitatem, vt vnum alteri præponatur, & postponatur, certè, si ab æterno dentur, non apparet, quo alio ex capite possit alterum quodam ordine postponi, quàm ex libero beneplacito Dei volentis alterum alteri postponi. At veritates contingentes conditionatæ dãtur ab æterno: tametsi namque incipiat in tempore Petrũ cõuerti cum auxilio *A*; non tamen in tempore incipit verum esse, quod cõuerteretur Petrus, si haberet auxiliũ *A*.

Deinde, vt ex dictis patet, eiusmodi veritates non habent necessitatem ex natura sua, vt altera præponatur, vel postponatur alteri. Tandem, nulla prius, aut posterius, ordine naturæ, vel originis ponitur pro libero beneplacito Dei statuentis alteram alteri præponi, vel postponi. Nam prædictę veritates, iuxta mihi verissima Societatis principia, quæ tradidi in disp. de Scientia Dei, ponuntur independenter ab actuali exercitio diuinæ libertatis: ergo prædictæ veritates nullo ex capite seruant ordinē prioritatis, & posterioritatis, siue durationē, siue naturā, siue originē; sed purè puteque concomitanter dātur ab æterno. Quāobrē obiter notaueris discrimē inter veritates cōditionatas cōtingētes, & inter contingētes absolutas, v. g. istas: *Petrus erit, Paulus erit.* Quanuis enim possibile sit, esse simul verum hoc vtrumque enuntiabile; tamen, quia sicut pendet ex libertate Dei Petrum esse futurum, & Paulum esse futurum; ita potest Deus pro suo libito non determinare Paulum existere pro tali tēpore nisi ex præuisione Petri iam determinati, ideo veritates illæ, quæ quantum ex ipsis est, possent esse concomitantes, sic se habent, vt altera pro libertate Dei sit alterā posterior ordine quasi naturæ.

38 Dices. Plures ex veritatibus contingentibus conditionatis habent ex se ipsis prioritatem, & posterioritatem in ordine vniuersalitatis, vel, vt dici solet, in subsistendi consequentia: sicut enim in hoc ordine præcedit animal ad hominem: nam ab hoc ad animal valet consequentia; secus ab animali ad hominē; ita in eodem ordine prioritatē, & posterioritatē seruabunt veritates istæ contingentes, & conditionales: *Aliquod auxilium ex indifferentibus ad conuersionem, & non conuersionem Petri, illud est, quod, si detur, conuertetur Petrus.* Item. *Auxilium A. indifferens ad conuersionem, & non conuersionem Petri, illud est, quod, si detur, conuertetur Petrus,* nam à priori ad posteriorem non valet consequentia; secus à posteriori ad priorem. Hoc tamen haud quaquam obstat doctrinæ præiactæ. Nam benè stat, aliqua extrema non se habere concomitanter, & æqualiter in ordine illationis logicæ; & tamen concomitanter, & æquè primò se habere in ordine cognoscibilitatis ab intellectu diuino. Quanuis enim in homine, v.g. & *esse animal,* & *esse hominem* non se habeant cōcomitanter, & æqualiter in ordine illationis logicæ, cum non sit æquè bona illatio: *Est animal: ergo homo*; ac: *Est homo: ergo animal*; tamen citra dubium est, Deum æquè primò, simul, & eodem intuitu cognosce-

noscere de homine, esse hominem, & esse animal.

39 Ex his præmissis descendit legitimè ratio à priori doctrinæ commemoratæ n. 32. Repeto propositionem probandam. Scientia, quâ Deus independenter à suo libero decreto actualitèr exercito cognoscit omnes euentus conditionatos, simplicissima est nullis constans formalitatib⁹ virtualitèr intrinsecè distinctis, quarum altera ad alteram virtualitèr intrinsecè subsequatur. Patet ex præiactis principijs. Nam, quæ sic se habent, vt non prius vnum sit verum, quàm aliud; sed purè concomitantèr, eodem intuitu indiuiso virtualitèr attinguntur à Deo, quin aliquid sit, quod inferat virtualem diuisionem intrinsecam. At euentus contingentes conditionati se habent purè concomitantèr quoad veritatem contingentem conditionatam: igitur eodem intuitu indiuiso virtualitèr attinguntur à Deo, ita, vt nihil sit, quod inferat diuisionem virtualem intrinsecam. Consequentia legitima est. Maior constat ex primo prę-misso: minor ex secundo.

40 Vnde ad argumentum factum num. 31. responsio est in promptu. Dicendum enim est, Deum eâdem scientiâ intrinsecè, & ex parte rei, adhuc virtualitèr, indiuisâ cognoscere cuncta illa conditionata, quæ in illâ obiectione describuntur. Fateor, posse nos eam scientiam prorsùs indiuisam intrinsecè, iam concipere sub expressione terminatæ ad vnum ex illis euentibus, iam sub expressione terminatæ ad alium, iam ad alium, & sic in infinitum syncathegorematicè. At, vt in simili dicebam supra nu. 23. fine, hæc infinitudo est syncathegorematica supra nostras cadens expressiones, quatenùs possumus exprimere scientiam Dei non tot expressionibus, quin pluribus; non cathegorematica, quæ cadat supra infinitas formalitates intrinsecas scientiæ diuinæ virtualitèr intrinsecè diuisas.

41 Patet etiam ex dictis responsio ad aliud argumentum, quod sibi proposuit Recentior laudatus num. 32. & ex nostris principijs iam olim, & nunc denuò præiactis optimè soluit. Argumentum sic se habet. Sicut Deus per scientiam mediam directam cognoscit hanc veritatem: *Si decreuero Petro auxilium A, conuertetur*; ita per scientiam mediam reflexã cognoscit hãc: *Si habuero prædictam scientiam directam de conuersione Petri sub hypothesi auxilij A. decernam auxilium A.* Nam eisdem argumentis, quibus probatur in Deo existens scientia media directa, probatur etiam scientia media reflexa. Tunc sic: ergo paritèr cognoscet per scientiam

refle

reflexam B. quid ipse Deus præstaret, si haberet scientiam reflexam A. & eodem modo per scientiam reflexam C. quid præstaret, si haberet B. & sic in infinitum gradatim ascendendo. Declaratur. Illa scientia media directa Deum dirigit, vt auxilium decernat, ideoque Deus præuidet, se decreturum auxilium, si habeat eam scientiam. At similiter scientia media reflexa de decreto auxilij exercendo à Deo sub conditione scientiæ mediæ directæ, potest dirigere Deum, vt per nouum libertatis exercitium quid aliud decernat. Nam saltem posset Deus pro suâ libertate scientiam eam reflexam reddere conducentem ad quid aliud decernendum, sicut ita conducentes reddere potest cõditiones alias disparatas: ergo nouum hoc decretum poterit sub hypothesi scientiæ mediæ reflexæ à Deo sciri. At de hac scientia redit idem argumentum, & sic in infinitum: ergo ineuitabiles sunt in scientiâ diuinâ formalitates cathegorematicè infinitæ quendam ordinem reflexionis, & reflexionis seruantes.

42 Confirmatur. Nam infinitudo cathegorematica nõ euitabitur, quanuis in prima scientia reflexa sistamus, per quã Deo videat, quòd ipse decerneret Petro auxilium A. si præuideret ipse Deus fore efficax. Nam per talem scientiam reflexam sunt cõditionatè cognoscibilia infinita decreta Dei inter se separabilia, necnõ infinitæ cõditiones. Quãobrem ea scientia per vnam sui formalitatẽ cognosceret, an Deus esset collaturus Petro auxilium A. si videret ipsum fore inefficax, & per aliam formalitatem, an esset concessurus Paulo auxilium B. si videret ipsum fore inefficax; item an Ioanni sub simili conditione daturus esset auxilium C. & sic in infinitum. Cum igitur personæ, & auxilia, circa quæ versantur eiusmodi formalitates, sint infinita, patet has formalitates simul existẽtes actualiter, esse cathegorematicè infinitas, quemadmodum infinitæ cathegorematicè essent illæ personæ, & auxilia, si simul existerent.

CAP. V.

Soluitur præcedens argumentum, & replicationes contra solutionem expediuntur.

43 PAtet, inquam, ex dictis responsio ad argumentum propositũ n. 4. Nam ad illud, simulque ad suam confirmationem dicendum est, eam scientiam vnica ex parte sui simplicissima formalitate, etiã virtualiter intrinsecè indiuisa, terminari ad cunctos illos conditionatos euentus. Neque obstat, talia obiecta esse inter se distincta,

stincta, & separabilia. Nam obiecta inter se distincta, & separabilia possunt eandem omnino cognitionem terminare, vt patet in hoc iudicio; *Petrus, & Paulus simul existunt*: quod eâdem ex parte sui indiuisâ tendentia tangit Petri, & Pauli existentias inter se distinctas, & separabiles. Item, vt obseruant egregiè Recentiores, Christus D. eâdem ex parte sui simplicissima, & indiuisâ scientia beata tangit infinitos actus liberos per totâ æternitatem futuros. Nos tamē possumus prædictas scientias in ordine ad sua obiecta sub aliâ, & alia, & alia in infinitū expressionibus concipere: quod, vt notaui n. 40. nō est, eas scientias in se ipsis constare formalitatibus categorematicè infinitis; sed possibile esse infinitum syncathegorematicum nostrarum expressionum.

44 Sed contra vrgebis. De ratione scientiæ formaliter conditionatæ est præscindere, manere neque suspensam circa conditionis existentiam, proindeque non affirmare talem existentiam At oppositum sequitur ex adhibita solutione: igitur insufficiens est. Maior patet ex dictis tract. de Scientia Dei, maximè disp. 9. cap. 2. Minor probatur. Nam, iuxta eam solutionem, hæc prima scientia conditionata reflexa. *Si præuiderim auxilium A. fore Petro efficax, decernerem illud Petro*, est scientia, quæ pro conditione assumit scientiam conditionatam directā. Deinde secunda scientia conditionata reflexa primam assumit pro conditione; tertia secundam: quarta tertiam, & sic deinceps gradatim ascendendo. Nunc sic infero: ergo illæ omnes scientiæ conditionatæ reflexæ nequeūt idē tificari virtualiter intrinsecè. Patet consequentia: *Primò*: quia, si secunda scientia reflexa identificaretur virtualiter intrinsecè cum prima, inseparabilis prorsùs esset ab existētia primæ, necnon vtraque existeret in eodem indiuiso signo, & consequenter intellectus diuinus exercens secundam scientiam conditionatam reflexam, nequiret præcindere, suspensusque manere circa existentiam prioris; sed potius per eandem secundam scientiā, prioris existentiam affirmaret, & consequenter iam secunda scientia non erit conditionata, quæ priorem, vt conditionem respiciat, quandoquidem, vt diximus, de ratione conditionatæ notitiæ est præcisio, & suspensio circa existentiam absolutam cōditionis. *Secundò*. Si prima scientia conditionata reflexa virtualiter intrinsecè identificaretur cum scientia conditionata directa, esset eo ipso incapax suspensionis, & præcisionis ab existentia absoluta scientiæ conditionatę directæ, non minùs, aut aliter,

tèr, quàm incapax est suspensionis, & præcisionis circa existentiam sui ipsius, & consequentèr iam non esset conditionata respiciens, vt conditionem, scientiam conditionatam directam: ergo idem propter eandem rationem dicendum est, collatis inter se prima, & secunda reflexis, si virtualitèr intrinsecè identificentur.

45 Sed obijciunt acutissimè Recentiores; nec minus subtilitèr, ac solidè respondent ex doctrina, quam eo tract. de Scientia conditionatorum discipulis dictato tetigimus dub. 5. cap. 3. à num. 13. & disp. 10. c. 7. num. 64. plenum cohibentes assensum, donec placeret aliis, cumque iam placuerit, illius vberiori luci incumbemus, si fortè disputationes de Scientia Dei secundam editionem viderint: quanuis, vt verum ingenuè fatear, post hanc operam fœliciss imè, ac diligentissimè nauatam à præcitatis RR. vlterior illustratio difficillima est. Responsio argumenti sit, falsò in illo supponi, primam scientiam conditionatam reflexam respicere, vt conditionem, scientiam conditionatam directam actu existentem; ac deinde secundam reflexam respicere, vt conditionem, primam reflexam actu existentem; tertiamque secundam; & sic deinceps. Nam, iuxta principia posita, formalitates omnes scientiæ conditionatæ actualitèr existentes existunt simul, & pro eodem signo; imò & identificantur virtualiter: vnde nequit intellectus diuinus per vnam illarum præscindere, ac suspendi circa existentiam alterius, vt bene probat obiectio.

¶ Vnde fit primo, scientiam cõditionatam assumentem, tãquam hypothesim, aliam scientiam conditionatam, non coniungi; sed potius incompossibilem esse cum illa, quam, vt hypothesim assumit: quippe non posset illam, vt hypothesim assumere, si hæc, quæ tanquam hypothesis assumitur, existeret. Fit secundo, scientiam conditionatam, quæ infinitos euentus conditionatos respicit, assumendo, tanquam conditiones, scientias alias infinitas non existentes, esse ex parte sui vnicam scientiam simplicissimam, adhuc virtualitèr intrinsecè. Ex quibus tertiò. Modus cognoscendi, quem habet prædicta scientia conditionata simplicissima, est iste: *Si ego, qui video inefficax esse auxilium A. vidissem esse efficax, illud decernerem. Deinde, si ego, qui video, quòd in tali casu decernerem auxilium A. vidissem, quòd in tali casu non decernerem, in tali casu exercerem decretum B. Deinde: si vidissem oppositum, exercerem decretum C*: & sic deinceps respiciendo, vt hypotheses, non quidem scientias conditionatas actua-

ctualitèr existentes; sed oppositas non existentes.

46 At contra solutionem hãc replicabis. Hæc scientia conditionata: *Si præuidissem per scientiam mediam auxilium A. fore efficax ad conuersionem, decernerem illud*, nequit esse essentialitèr connexa cum non existentiâ conditionis: ergo solutio tradita falsa est. Consequentia patet intuenti solutionem. Antecedens probatur. Nam alioqui, cũ ea scientia se ipsam per se ipsam perfectissimè cognoscat, cognosceret se ipsam, vt connexam essentialitèr cum non existentia conditionis, proindeque affirmaret non existere conditionẽ. Sed hoc implicat: ergo repugnat, eam scientiam conditionatam esse connexam essentialitèr cum non existentia conditionis. Minor probatur. Nam de ratione scientiæ formalitèr conditionatæ est præcisio, & suspensio ab existentia, & non existentiâ conditionis. At cum ea præcisione, & suspensione stare nequit, ipsam scientiam conditionatam affirmare conditionem non existere: sicut, per nos, stare nequit, ipsam scientiam conditionatam affirmare cõditionem existere: ergo implicat, eam scientiam affirmare non existentiam conditionis.

47 Resp. Negatur antecedens, & minor probationis. Ad probationem minoris negatæ respondetur (caue dissidium de voce) de ratione notitiæ cõditionatæ nõ esse præcisionem, & suspensionem circa existentiam, & non existentiam conditionis, nempè præcisionem, & suspensionem relinquentem intellectum indeterminatum circa existentiã, & etiam circa non existentiam conditionis Est tamen de ratione notitiæ conditionatæ præcisio, & suspensio circa existentiam conditionis consistens in eo, quòd ea notitia non affirmet existentiam conditionis, sive affirmet, sive non affirmet non existentiam. Itaque de ratione notitiæ conditionatæ est non affirmare existentiã conditionis, non est tamen contra ipsius naturam affirmare nõ existentiam conditionis. Tum à posteriori, quia siquis noctu existens, eodem actu sic assereret: *Non lucet Sol; si tamen lucaret, dies esset*, nullus dubitarit, hũc actum esse affirmationem conditionatam de existentia diei sub conditione lucis solaris, quamis simul sit absoluta negatio de existentiâ eius lucis. Tùm à priori. Nã ad notitiam conditionatam sufficit asserere, quòd daretur quidam euentus, non asserendo illũ absolutè dari; sed cùm hac restrictione: *Si daretur talis conditio*, ad quod nihil prohibet, eãdem videre nondum dari conditionem; obstaret tamen eâdẽ cognitione videri, iam dari condi-

tio

tionem : quia iam ista cognitio non esset conditionata nihil iudicans de existentia absolutâ euentus; sed hanc existentiam absolutam iudicans, implicitè saltem, si sit notitia creata, & imperfecta; explicitè verò, si sit notitia perfectissima Dei.

48 Tandem obijci poterit, quod eâ disp. 7. sæpè citatâ mihi opponebam cap 9. num. 84. Nã per scientiam mediam directam ita Deus cognoscit: *Si dedero Petro auxilium A. conuerteretur: Si dedero Paulo auxilium B. conuerteretur. Item: conuerteretur Franciscus, si dedero illi auxilium B.* & sic in infinitum excurrendo ad alias infinitas personas, & auxilia. At eiusmodi terminationes intellectuales distinguuntur, saltem virtualitèr intrinsecè: ergo negari non possunt in Deo actualiter existentes infinitæ terminationes intellectuales virtualitèr intrinsecè distinctæ. Minor probatur. Nam illæ terminationes separabiles sunt. Tum, quia sicut potest esse verum, quòd cõuerteretur Petrus, si haberet auxilium A, quin sit verum, quòd conuerteretur Paulus, si haberet auxilium B. ita potest in intellectu diuino dari terminatio ad priorem veritatem, quin detur terminatio ad posteriorem. Tũ, quia Petrus, si cõstituatur in statu absoluto liber ad suam conuersionem per auxilium A poterit potestate antecedente dissentire auxilio A. ac proinde ponere aliquid incompatibile cum illa terminatione scientiæ diuinæ pertinente ad ipsum Petrum: *Si Petrus vocetur auxilio A. Petrus cõuerteretur.* Tunc autem nequit Petrus ponere aliquid incõpatibile cum illa terminatione scientiæ diuinæ pertinente ad Paulum: *Si Paulus vocetur auxilio B. conuerteretur.* At separabiles, & consequentèr, saltem virtualitèr intrinsecè, distinctę sunt terminationes, quarum alteri opponitur, quod non oponitur alteri. Ergo, &c.

49 Respondeo. Concessa maiore, negatur minor. Ad probationem negatur earum terminationum separabilitas. Ad primam probationem in cõtrarium respondetur sub hac distinctione: *Ita potest in intellectu diuino dari terminatio ad priorem veritatem, quin detur terminatio ad posteriorem*: deficiente vna formalitate huius numero scientiæ, quæ nunc datur; & manente alia, negatur. Deficiente tota hac scientia conditionata, quæ nunc datur, & posita loco ipsius alia scientia indiuisè terminata ad omnes euentus conditionatos contingentes, est verum. Itaque sicut nunc quando verum est, conuertendum esse Petrum sub conditione auxilij A, & conuertendum esse Paulum sub cõditione auxilij B. &c. cognoscit Deus hos omnes euentus per vnicam

nicam scientiam, etiam virtualiter simplicissimam; ita casu, quo verum esset, conuertēdum esse Petrum sub conditione auxilij A, & non esse conuertendū Paulum sub conditione auxilij B. &c. deesset tota prædicta scientia virtualitèr simplicissima, viceque ipsius daretur alia similitèr simplicissima terminata ad omnes euentus contingentes conditionatos. Amplius hoc iam patet ex n. 50.

50 Ad secundam probationem in contrarium, resp. Petrus in statu absoluto constitutus liber ad suam conuersionem per auxilium A. nequit, dissentiendo ei auxilio, ponere quid oppositū vni formalitati prædictæ scientiæ; & non oppositum alteri formalitati eiusdem scientiæ: talis enim formalitatum distinctio virtualis intrinseca suppositione falsâ laborat. Tunc autem Petrus potens potestate antecedē dissentire auxilio A. potest ponere quid oppositum toti simplicissimæ scientiæ conditionatæ, quæ nunc datur: quòd si Petrus dissentiret auxilio A. non extitisset hæc scientia conditionata; sed vice ipsius alia simplicissima, quæ indiuisim cognosceret, & Petrum non esse conuertendum, si haberet auxilium A. & reliquos omnes euentus conditionatos contingentes. Sic modo Christus D. per scientiā beatam indiuisibilem videt omnes actus liberos per totam æternitatem futuros: quòd si vice vnius ex nunc futuris poneretur contrarius, non extitisset in Christo Domino ea scientia beata, quæ nunc existit; sed vice ipsius existeret alia, quæ ad eum actum contrarium, & ad omnes alios actus liberos futuros terminaretur indiuisibiliter. Hæc nunc satis.

DISPVT. IX.

Attributa nonnulla diuini amoris erga ipsum Deum.

POSVIMVS tanquam notissimum, Deum amare se ipsum. Videndum restat, quomodo se amet.

CAP. I.

De necessitate, qua Deus amat se ipsum.

1 CErtissimum est primò, amorem, quo Deus amat se ipsum, posse quodammodo dici liberum. Ratio est. Nam quot modis aliquid excludit necessitatem, tot modis liberum dici solet. At amor, quo Deus amat se ipsum, excludit quibusdam modis necessitatē: ergo quibusdam modis potest dici

dict liber. Minor probatur. Nã, *Primò*, excludit necessitatem violentiæ, per quam agens aliud Deo extrinsecum, interat vim ipsi Deo, vt se amet. *Secundò*: excludit necessitatem coactionis, per quam alius à Deo cogat ipsum, vt, quanuis nolit, se amet. Tertiò: excludit necessitatem prædeterminationis ab alio impositæ: quippè nullus distinctus a Deo potest Deo prædeterminationem imprimere, vt se amet. Quas, & alias necessitates eruditè cõmemoratas à P. Didaco Ruiz disp. 4. de Voluntate, sect. 2. excludit, non solùm amor, quo Deus se ipsum amat; sed etiam amor, quo decernit creaturas. ¶ Certissimum secundò est, Deum se amare *necessariò* quoad specificationẽ. Nam hac phrasi nihil aliud significatur, quàm Deum non posse se ipsum odio habere. At certissimũ est, id non posse. Tũm, quia nequit in se ipso inuenire malitiã, quæ faciat ipsum à se ipso fugere. Tum, quia peccare nequit; & sicut peccaret, si mẽtiretur, peccaret longè grauiùs, si se odiret.

2 Tertiò indubitatum omnibus catholicis esse debet, Deũ se amare necessariò quoad exercitium, id est, sic se amare, vt nõ possit non se amare. Nam indubitata sunt catholicis hæc duo principia. *Primum*: Spiritus Sanctus de sua ratione procedit ex amore, quo Deus se amat. *Secũdum*: Spiritus Sanctus ita existit, vt non possit non existere: & sic procedit ex eo amore, vt non possit non procedere. Ex his autem principijs ineuitabiliter infertur, sic se Deum amare, vt nõ possit non se amare. Verum est, Scotum, Basiol. Mayron. Rubion. Alex. S. Thom. Capreol. S. Bonauent. Argent. & Henric. apud P. Ruiz sup. sect. 1. liberũ vocare prædictum amorẽ: quorum aliqui liberum simul, & necessarium appellant. Loquũtur autem procul dubio de libertate in sensibus adductis num. 1. non de libertate inuoluente potestatem in Deo, vt pro suo libito cohibeat amorem sui. Quare quoad rem ipsam conueniunt cum reliquis omnibus Theologis negantibus Deo prædictam potestatem. Ratio naturalis, vt ea potestas (quæ certè potestatis nomen non meretur, cum potiùs imbecillitas esset) neganda Deo sit, formari sic potest.

3 *Primò*. Quia voluntas diuina nequit non esse summè recta in ratione voluntatis; sicut nequit non esse Deus summè perfectus in ratione entitatis. At nõ esset summè recta in ratione voluntatis, si libere omitteret amorem summi boni: ergo nequit omittere liberè talem amorem. Minor probatur. Nam quemadmodum ea res non est summè perfecta in ratione entitatis, quæ non se vnit vnione identifica

tificatâ cum summè perfecto entitatiue; ita illa res non est summè recta, & perfecta in ratione voluntatis, quæ nõ se vnit vnione affectiuâ cũ summo bono, quin potius voluntariè, ac liberè se diuidit ab illo. At ea voluntas, quæ Deum liberè non amaret, non se vniret affectiuè cũ summo bono, quin etiam voluntariè, ac liberè se diuideret ab illo: ergo Dei voluntas non esset summè recta in ratione voluntatis, si libere omitteret amorem summi boni. ¶ Secundò sic disiero. Vel Deus, quatenùs volitiuus, habet secum identificatam necessariò inclinationem aliquam, saltem innatam, ad bonum; vel nullam? Si hoc vltimũ; non erit Deus necessario bene moratus ac bonæ indolis, cum indolis bonitas consistat in pronitate ad bonum. Absurditas autem sequelæ non minus patet, quàm absurdum esse Deum non esse necessariò Deum. Iam, si Deus habet necessariò secũ idẽtificatam aliquam inclinationẽ ad bonum: ergo ad bonum simplicitèr infinitum. Nam quid indecẽtius, quam Deum optimũ, & simplicitèr infinitum aliquam inclinationem ad bonum secum identificare necessariò; & tamen non ad bonum simplicitèr infinitum? Ergo Deus habet secum identificatam necessariò aliquã inclinationem, saltem innatam non ductam ex cognitione infinitæ bonitatis ad bonum simpliciter infinitum, id est, ad ipsum Deum. Ergo potiori ratione habebit secum identificatam necessariò inclinationem ad ipsum Deum, quasi elicitam, ductam ex cognitione infinitæ bonitatis. Nam hæc posterior est ex genere suo perfectior, quàm prior. Quomodo ergo prior, & non posterior tam intrinseca Deo erit, vt non sit in Deo potestas, quominus se identificet cum ipsâ? Patet ergo, idẽtificari necessariò cum Deo inclinationem ad ipsum Deum ductam ex cognitione suæ infinitæ bonitatis. In hâc autem inclinatione stat, Deum amare se ipsum: ergo Deus amat se ipsum necessariò.

4 Tertiò. Non est in Deo potestas, vt non sit beatissimus, & fœlicissimus: ergo necessariò possidet gaudentèr, & iucundissimè summum bonum. Nam, citra istam lętissimam possessionem, vel non datur; vel saltem integrè, & omninò perfectè nõ datur summa fœlicitas, & beatitudo. At in possessione gaudentissimâ summi boni includitur gaudium circa ipsum summum bonũ, idque gaudium est procul dubio amor circa Deũ: ergo Deus se amat necessariò. Confirmatur. Deus non potest non esse sanctus sanctitate consistente in iure perfectissimo ad beatitudinem, & rationalẽ, lætissimãque possessionẽ sui: ergo

go Deus non potest non habere hãc beatitudinem, in quâ inuoluitur, vt dicebamus, amor circa Deum. Consequentia probatur. Tũ, quia perfectissimum ius ad beatitudinẽ est illud, quod nullâ potestate fraudari potest beatitudine, ad quã est ius. Tũ, quia nequit esse minor (sed saltem æqualis perfectio) beatitudo ipsa, quàm ius ad illam. Atqui Deus ratione suæ perfectionis simpliciter infinitæ, secum identificat necessario ius illud: ergo & prædictam beatitudinem.

5 Quarto vires inde sumit communis in his rebus probatio ducta ex ratione perfectionis simpliciter simplicis, illius scilicet, quâ si Deus careret; conuinceretur non summè perfectus. Nam Deum esse completissimè beatum, & fœlicem est perfectio simpliciter simplex, nõ minùs, quàm esse sapientissimum; sicut enim ex terminis notissimum est, non esse summè perfectum, qui aliquatenùs est non sapiens; ita non minus est notum, non esse summe perfectum, qui aliquatenus est non fœlix. At in Deo non est potestas, vt careat perfectione simpliciter simplici, nempè, non est potestas, vt non sit summe perfectus: ergo Deus necessario est cõpletissime beatus, & fœlix, & quod hinc sequitur, amans se ipsum. Omitto rationes alias, prout ab alijs propoũtur, quia vel ex prædictis suas vires sumunt, vel alioqui non satis illis conuincimur.

6 At contra hanc certissimã veritatem obijcies primo. Libertas finita nostræ voluntatis vim habet, vt à finito bono non capiatur, huiusque amorem cohibeat: ergo vim habebit libertas infinita diuinæ voluntatis, vt ab infinito bono nõ capiatur, eiusque amorẽ suspendat: non enim minus potest infinita libertas resistere infinitæ bonitati, quàm finita finitæ. Resp. concesso antecedente, & negatâ consequentia: quia vis ad resistendum infinito bono clare viso, & comprehenso, potius esset imbecillitas, quàm vis. Tale namque prædicatum redderet voluntatẽ nõ summè rectam, non summè bene moratam, non summè perfectam, & nõ summè determinatam ad plenissimam beatitudinẽ, proindeque huiusmodi prædicatum infirmitatẽ potius, quã vires impenderet Deo.

7 Obijcies secundò. Perfectior modus operandi, vel quasi operandi est Deum se libere amare, quàm necessario: ergo Deus se amat liberè. Consequẽtia patet: & antecedens probatur. Tum, quia liberè operans est sui iuris, est Dominus suæ operationis, & operatur ex electione. At necessario operans, non operatur ex electione; sed more pecudum ex necessitate naturæ. Tum, quia potissimus excessus ra-

rationalium supra bruta, stat in libertate, quæ rationalibus competit; non verò irrationalibus: ergo quia perfectior modus operandi est operari liberè, quàm operari necessariò. Tū, quia voluntarium liberū perfectius est, quàm volūtarium necessarium, cū illud magis, quàm hoc, sit ex determinatione, & electione voluntatis. At Deus se amat volūtariè perfectissimè: ergo libere. Resp. Negatur antecedens. Ad primam probationem dicatur. Operari cum iure, dominio, potestateque electiua operationis, & non operationis est potior perfectio, quàm oppositum, nō quidem semper; sed quandiu potestas cohibendi operationem potiùs est virtus, quā imbecillitas. Constat autem ex dictis, fore potius imbecillitatem, ac defectum; quàm virtutem, & perfectionē, quòd Deus posset cohibere amorem erga se, quàm id non posse. Vnde illud non est potior perfectio, quàm hoc.

8 Neque obstat, bruta sic appetere obiecta sensibilia, vt nequeant appetitiones cohibere. Nonne quia sic bruta suū *esse* habent, vt non possint pro suo libito suum *esse* destruere, imperfectio in Deo erit similitèr habere suum esse? Absit. Dicatur ergo quid simile in præsenti. Nam potius pertinet ad summam perfectionem Dei non posse resistere suæ bonitati, cohibēdo amorem erga ipsam, non eō modo; sed infinitis interuallis distante ab illo, quo bruta ferūtur circa sensibilia sine potestate coercendi suas appetitiones. Ad secundam probationem dicatur. Inter potissimos excessus rationaliū supra irrationalia computandam esse libertatem ad amandum, & suspendendum amorem circa obiecta, quæ dignitatē, vt amentur, admixtam habent cum dignitate, vt non amentur. Non tamen inter eos excessus computanda est libertas creata, quā parte dicit potestatem suspendendi amorem circa obiectum infinitissimè dignum amore sine vlla mixtura dignitatis, vt non ametur, cuiusmodi est solus Deus. Nam tātum obiectum posse nō amare dicit imperfectionem, vel non summæ rectitudinis in voluntate, vel non summæ notitiæ circa Deum in intellectu, vel vtriusque. Vnde libertas relegāda est à Deo, quā parte dicit potestatem, vel, vt melius dicam, infirmitatem, vt Deus non se amet. Ad tertiam probationem dicatur ex tract. de actibus humanis. Voluntarium liberum non semper est perfectius in ratione voluntarij, quàm voluntarium necessarium; sed solùm quādo in casu libertatis potius, quàm necessitatis, existit operatio vel minùs ab extrinseco, magisque ab intrinseco substantiæ volitiuæ, vel magis volita ab

eâdem ſubſtantia; vel ex meliori, penetratioríque notitiâ obiecti, & circunſtantiarum regulata. Quo fit, amorem neceſſariũ, quo Deus ſe ipſum amat, non eſſe minus perfectum in ratione voluntarij, quàm ſi eſſet liber. Quia tametſi neceſſarius ſit, nullatenùs eſt ab extrinſeco; ſed à ſe ipſo penitus identificato cũ ſubſtantia Dei, & à nullo extra Deũ exiſtens. Item, talis amor exiſtit perfectiſsimè per ſe ipſum volitus à Deo, tandemque dirigitur ex infinita ſapientiâ Dei, quam nihil omnino latet. Vnde, quamuis neceſſarius, eſt perfectiſsimè voluntarius; imò, ſi liber eſſet, argueretur non ita perfectus in ratione voluntarij. Nã argueretur nõ eſſe a Deo, vt cõprehendente ſuã infinitã amabilitatẽ.

9 Obijcies tertiò. Coniunctum ex Deo, & creaturis non importat minorẽ perfectionẽ; ſed potius extenſiuè maiorem, quam Deus ſecundùm ſe. At ſine diſpendio diuinæ perfectionis Deus amat, non quidem neceſſariò; ſed liberè tale coniunctum: ergo ſine diſpendio diuinæ perfectionis poterit Deus amare libere ſe ipſum ſecundũ ſe ſumptum, non obſtante infinitâ ſimpliciter amabilitate, quam, vt ſic, importat. Maior patet ex terminis: & conſequentia videtur bona. Minor probatur. *Primò*. Nam Deus non amat neceſſariò; ſed liberè, obiectũ claudẽs dignitatẽ, vt non ametur à Deo. Tale autem coniunctum inuoluit eam dignitatem: inuoluit enim creaturã, quæ perpetuo cũ ſua perfectione admixtam habet imperfectionem, quæ eſt dignitas, vt à Deo non ametur, ſufficienſque ratio, vt Deus non rapiatur neceſſariò in ipſius amorem. *Secundò*. Terminatio, per quam Deus decernit creaturas propter diuinam bonitatem, eſt intrinſecè omninò indiuiſibilis, vt nobis eſt certum: ergo tota libera; vel tota neceſſaria. At non neceſſaria, vt patet: ergo tota libera. At ea terminatio fertur ad diuinam bonitatem, & ad creaturas: ad has, tanquam ad obiectum materiale; ad illam, tãquã ad formale: ergo diuinus amor terminatus ad cõiunctũ ex Deo, & creaturis eſt liber, etiã quatenus terminatur ad diuinã bonitatẽ, factã per ly *quatenus* reduplicatione ſupra formalitates reales indepẽdẽter à noſtro modo cõcipiendi imperfecto. ¶ *Tertiò*. Deus decernit efficacitèr, & liberè per decretũ prorſus indiuiſibile realiter (vel ſaltem poteſt ſic decernere) Chriſtũ D. Itẽ poteſt decreto ſimiliter indiuiſibili decernere, quòd Chriſtus ponat meritũ infiniti valoris. At Chriſtus D. eſt cõiunctũ ex perſona increatâ Verbi, & ex humanitate creata. Itẽ meritũ infiniti valoris eſt cõiunctũ ex actu creato, & ex formâ dignificãte increata, & infinita,

de

de quo tractatu de Incarnatione: ergo diuina voluntas terminatur liberè ad coniunctum ex increato, & creato.

10 Respond. Concessis præmissis, negatur consequentia. Tùm, quia in Deo secundùm se sumpto nulla existit dignitas, vt non ametur; secùs in coniuncto ex Deo, & creaturis, vbi clauduntur creaturæ, quæ propter ipsarum imperfectionem, importãt dignitatem, vt non amentur. Nihil ergo mirum, amari liberè tale coniunctum; necessariò verò Deum secundùm se. Tum, quia licèt sit contra summam rectitudinem diuinæ voluntatis non amare Deum secundùm se clarissimè propositum, in quo nihil non perfectissimum appareat, omnisque perfectio conspicitur; non tamen contra talem rectitudinem est non amare simul quidpiam aliud, vbi cernitur imperfectio. Tum, quia Deus non erit perfectissimè fœlix, & beatus, nisi se ipsum iucundissimè possideat, vbi iam dicitur se ipsum amare. Non tamẽ opus est ad eam fœlicissimam beatitudinem, amare simul obiectum aliud creatum.

CAP. II.

An Deum amare se ipsum sit necessarium quoad indiuiduationem actus?

11 DIximus, Deum amare se necessariò quoad specificationem, quia nequit se ipsum odisse. Præterea, quoad exercitium, quia nequit se ipsum non amare. Vertitur nunc in dubium necessitas quoad indiuiduationem, scilicèt: Num Deus necessitatus quidem sit, vt aliquo amore se amet, id est, vt nõ omittat omnem amorem sui; ita tamen, vt sint distincti amores, quibus Deus possit se amare, ipseque Deus pro sua libertate hunc amorem eligat præ alio? Ratio difficultatis est. *Primò*: quia, si Deus amet se ipsum necessariò quoad exercitium; & liberè quoad indiuiduationem, satisfit ex vna parte diuinis perfectionibus exigentibus Deum se amare; & aliunde magis extenditur dominium Dei eligentis pro sua libertate illum numero amorem, quo amat se ipsum: ergo potiori iure defendetur necessitas quoad exercitium coniuncta cum libertate quoad indiuiduationem; quàm necessitas quoad exercitium, & indiuiduationem simul. *Secundò*. Nã quando Deus amat se ipsum, necesse est, vel decernere liberè

liberè creationem mundi; vel excludere liberè tale decretum. Aliunde non apparet necessariũ, quòd alio, & alio actu talia munera præstet; quin potius magis elucet diuina simplicitas, & perfectio, si Deus eodem prorsùs indiuiso actu se amet, ac decernat creare mundum; vel, si maluerit, eodem prorsùs indiuiso actu se amet, & excludat tale decretum. Ergo quilibet amor, quo Deus se amet, erit liber quoad indiuiduationem: quilibet enim erit, adhuc virtualitèr intrinsecè, vel decretum liberũ circa creaturam aliquam; vel exclusio libera talis decreti.

12 *Tertiò*: Perfectio Dei, quãtum ad præsens attinet, non aliud exigit, quàm Deum sic se amare, vt nequeat non se amare. Sed hoc seruatur, præscindendo ab eo, quòd se amet necessariò quoad indiuiduationem: ergo non se amat necessariò quoad indiuiduationem: si enim sic se amaret, prouenire duntaxat posset ex diuinæ perfectionis exigẽtiâ. Minor probatur. Nam præscindendo ab eo, quòd Deus se amet necessariò quoad indiuiduationem, necesse est, iuxta cõmunem Theologorum opinionem, de quâ infrà, vt, si Deus decernat creaturas, amet eo decreto bonitatem diuinam tanquam obiectum formale decernendi creaturas. Deinde necesse est, vt si nolit decernere creaturas, amet eâdem nolitione diuinam bonitatem tanquam obiectum formale talis nolitionis: ac demum iuxta communiorem opinionem Theoll. negantium Deo puram omissionem liberã, necesse est, Deum vel creaturas decernere, vel decernere nolle: ergo, inspectis præcisè actibus liberis Dei, præscindendo ab eo, quòd Deus se amet necessariò quoad indiuiduationem, seruatur Deum, quouis modo se gerat, sic se amare, vt nequeat nõ se amare.

13 At, cùm Theoll. qui præsentis quæstionis expresè non meminerunt, supponere videantur necessitatem diuini amoris quoad indiuiduationem, ac deinde nouiores nostræ Societatis, qui præsentem quæstionem agitant, eandem necessitatem constantèr tueantur, censenda est communis omnium Theologorum opinio, quæ talem necessitatem affirmat. Vnde, quãuis ea opinio non omnino euidentèr probetur, standum pro illâ est, quandiu rationes oppositæ probabilitèr soluuntur, eaque sententia communis probabilitèr suadetur. Sit igitur nostra conclusio, Deum se amare necessariò quoad indiuiduationẽ actus. At, quia forsã videbuntur Lectori probabiliores rationes, quæ mihi minùs probantur, placet omnes expromere, quæ alicuius momenti videntur. *Primò*

pro-

probari potest cõclusio ex principijs P. Vazq. plurimũque Theologorum, qui defendunt, nihil aliud in Deo esse amare obiectum bonum, quàm ipsum esse Dei essentiale, & bonitatẽ obiecti. Tũc sic. Determinatè quoad indiuiduationem est necessariũ coniũctum, vel quasi coniunctum ex essentiâ Dei, & bonitate diuinâ. At amor Dei circa diuinam bonitatem non est aliud, quàm huiusmodi coniunctum: ergo talis amor necessarius est determinatè quoad indiuiduationem. At hæc probatio non placet, quia, licet rectè concludat, suppositis principijs, quæ assumit; veritas tamen de necessitate diuini amoris quoad indiuiduationem, quæ iuxta omnes Theologos est certa, non est alligãda principijs, quæ paucioribus videntur vera, pluribusque falsa, de quo infrà.

14 *Secũdò* probari potest. Nã Deus se amat necessariò, non vtcunque; sed amore exhauriente totam amabilitatem Dei secundùm se, id est, Deus sic se amat, vt non possit nõ se amare amore, quo ametur omnibus modis, quibus secũdùm se est amabilis, præscindẽdo ab attingẽtia creaturarum. At non sunt possibiles plures amores, quibus Deus sic exhauriat totam suam amabilitatem; sed vnicus præcisè: ergo hic numero amor est necessarius determinatè quoad indiuiduationem: nam impossibilis est alius præter hunc exhauriens totam amabilitatem Dei, necesseque est, Deũ se amare aliquo amore totam eam amabilitatem exhauriente. Minor probatur: quia, cum quolibet eorum amorum ametur Deus secundùm se omnibus modis, quibus est amabilis, certè tales actus solùm numericè distinguerentur. At repugnant in Deo actus solùm numero distincti circa idem obiectum, quippè reliqui præter vnũ essent superflui, repugnatque in diuinis superfluitas. Ergo.

15 At hæc probatio non placet, nisi tandem ad alias fiat recursus. Facilè namque poterit negari minor. Ad probationem dici poterit primo ex ratione dubitandi posità num. 12. Tametsi quilibet eorum actuum exhauriat totã amabilitatẽ Dei secundùm se sumpti, ac proinde tales actus solo numero differrent, ũ præcisè haberent tendentiam affectiuam ergaDeum; distinguuntur tamen pluſquam numero. Nam alius cum tendẽtiâ affectiua circa Deum, coniũgit esse decretum talium, aut talium creaturarum; & alius cũ similitẽdẽtia affectiuâ circaDeũ, coniungeret esse nolitionem decernendi tales, vel tales creaturas. ¶ Secundò permitti poterit, eos actus purè numericè distingui. Ad repugnantiam petitam ex superfluitate, quæ impossibilis est in diuinis, responderi po-

rest, coniunctionem simultaneã eorum actuum superfluam, & repugnantem esse in Deo. Nam quicquid præstarent illi duo actus simul sumpti, præter coexistere simul, quilibet eorum seorsim acceptus præstaret perfectissimè, suppono nullatenus tẽdere siue effectiuè, siue exclusiue circa creaturas; sed præcisè tendere affectiuè adæquatè circa totam amabilitatem Dei) nõ tamen est superfluum, aut propter superfluitatem repugnans, quemlibet ipsorum existere, excluso altero.

16 At contra secundam hanc solutionem militat tertium fundamentum RR. Nam, si prædicti actus solo numero distinguerentur, Deus ex necessitate se amaret omnibus illis simul sumptis absque vllâ libertate præferẽdi alterum alteri: quia nullatenus essent inter se oppositi; & aliunde in exercitio se amandi omnib⁹ simul, nihil malitiæ, aut imperfectionis reperiretur, quod posset voluntatem diuinam ab eo exercitio reuocare. Negabitur sequela. Ad probationem dicetur, eos actus esse inter se oppositos propter superfluitatem repugnantem in diuinis, quam importat compositio simultanea ipsorum. Quapropter eiusmodi simultanea cõpositio superfluitate, ac repugnantiâ suâ satis est mala, non quidem malitia, ex qua Deus libere reuocetur ab exercitio talis compositionis; sed ex qua sit essentialitèr impeditus, quominus ad illam se determinet: quemadmodũ impeditus est essentialitèr, quominùs se determinet ad positionẽ chymærarum.

17 Sed contra vrgebis primò. Nam ex nuper dictis fit cõtra suppositum solutionis, eos actus non differre solo numero; sed plusquàm numero. Quoniã ea duntaxat solo numero distident, quæ tã exactè similia sunt, vt præcisè sortiantur discrimen necessarium ad constituẽdũ numerum vnius, & alteri⁹. At, iuxta nuper dicta, non ita se habent prædicti amores: ergo nõ distinguuntur solo numero. Probatur minor. Nam quod requiritur, vt prædicti actus cõstituant numerum vnius, & alteri⁹, est præcisè carentia identitatis vnius cũ altero. At vltra talem carẽtiã sortiuntur oppositionẽ, vi cuius alter excludit coexistentiam cum altero: ergo non sortiuntur præcisè discrimen necessariũ ad cõstituendum numerum vnius, & alterius. ¶ Omissis multis de distinctione numerica, de quib⁹ egi latè in metaph. sufficiat nunc respondere, tales actus solo numero differre *Theologicè*; siue pl⁹; siue non plus differãt, loquẽdo *metaphysicè* Quia differentia theologica eorũ amorũ metienda est ex modo tẽdẽdi in Deũ: & quãuis prædicti act⁹ sint distincti;

ta-

tamen exactam, & perfectam similitudinē habent quoad modum tendendi in Deum: quippè non aliter quiuis illorum tendit, quam adæquatè exhauriēdo totam amabilitatem Dei. Sic præclari Theologi docent, visiones beatificas, quoad modum exprimendi Deum, exactè consimiles non differre specie Theologica; tametsi ab intellectib⁹ Angelico, & humano specie diuidentibus pendeant essentialiter. Et quidem distinctio, quam explicuimus, eorum amorum, vt vt placeat illam vocare siue purè, siue plusquam numericam, sufficiens erit, si aliud non obstet, vt ex amoribus diuinis tendentibus præcisè circa Deum, possit Deus pro sua libertate præferre vnum alteri, citra necessitatem quoad indiuiduationem; qui scopus est nostræ quæstionis.

18 Vrgebis secundò. Implicant plures dij numero distincti: ergo etiā implicant plures actus diuini numero distincti. Retorquetur. Nam etiam implicant plures Dij specie, vel quasi specie distincti. Item plures Dij incomposibiles inter se; & tamō non implicant plures actus liberi Dei quasi specie distincti, & incomposibiles inter se, cuiusmodi sunt volitio, ac nolitio efficax mundi, innumerique alij. Deinde, eo cesso antecedente, negatur consequentia. Discrimē est, quia nulla sequitur contradictio ex distinctione actuum Dei, quantum ad terminationes contingentes ad obiecta, esto necesse ut, identificari quantùm ad perfectionem diuinam, quam inuoluunt, vt constabit ex dicēdis in seqq. At contradictio sequitur ex pluralitate Deorum. Nam Deitas vnius secum identificaret Deitatē alterius. Nam hæc Deitas alterius esset perfectio sine imperfectione; alioqui non esset Deitas, eique de ratione Deitatis identificare secum omnem perfectionem sine imperfectione. Deinde, Deitas vnius non identificaret secum Deitatem alterius. Nam alioqui iam non essent plures Dij: quippè *Deus*, vt potè concretum substantiuum, potest solùm multiplicari, multiplicata Deitate.

19 Vrgebis tertio subtilius cum ingeniosis RR. Nullū prædicatum diuinum directè, & ratione sui potest reijci, & excludi à Deo pro ipsius Dei libertate. At, si Deus non haberet necessario; sed liberè, hūc numero amorē erga se, posset Deus pro suâ libertate prædicatū aliquod diuinum directè, & ratione sui excludere: ergo nō habet Deus liberè; sed necessario, hunc numero amorem circa se. Consequentia patet. Maior constat. Nam, vt aliquid directè reijciatur à Deo, terminando nolitionem diuinam, necesse est habeat ali-

aliquam rationem mali; quemadmodum, vt aliquid ametur à Deo, necesse est habeat aliquam rationem boni. Constat autem nullum prædicatum diuinum, quantumuis liberum, habere rationem mali. Iam minor primi syllogismi probatur. Nam, cum nullum obiectū possit esse incōpossibile cum amore, quem Deus potest habere de se ipso, non aliter poterit voluntas diuina excludere talem amorem, quàm ipsum directe nolendo, ac reijciendo.

20 Hoc sit quartum fundamentum pro necessitate diuini amoris quoad indiuiduationē. At, absolutè loquendo, non est firmum. *Primò* enim dici poterit, amorem, quem Deus habet de se ipso, esse simul vel decretum efficax creaturarum, v. g. huius mundi; vel terminationē aliam incompatibilem cum decreto efficaci creaturarum. Si sit decretum efficax creaturarum, poterit indirectè excludi per terminationem incompossibilem cum eo decreto; sin eiusmodi terminatio sit, poterit reijci indirectè per decretū efficax creaturarum. Si vrgeas, possibilem esse amorem, quo Deus præcisè tendat circa se, neque decernendo, neque nolendo creaturas: talisque amor erit determinatè, & quoad indiuiduationem necessarius, nam in illo vrget argumentum factum num. 19. Respondebitur, vel recurrendum esse ad solutionem statim adhibendam, vel dicendum erit, talem amorem implicatorium esse: quia necessarius esset, & liber. *Necessarius*, quia neq; indirectè, neque directè potest reijci pro libertate Dei, iuxta rationem positam num. 19. *Liber*, quia perfectiones diuinæ non necessitant ad talem amorē. Tametsi namque poscant indispensabilitèr, quòd Deus se amet; non tamen quòd se amet, tendendo præcisè circa se, neque decernendo, neque reijciendo creaturas; sed quòd se amet amore, quem eligere maluerit.

21 Poterit dici secundò, consequenter ad num. 16. amorem *A.* v. g quo Deus amat se ipsum, exhauriendo totam suam amabilitatē, posse à Deo excludi per amorem *B.* similiter exhaurientem amabilitatem diuinam: & quidem excludi independentèr ab eo, quòd Deus eo amore *B.* directè nolit amorem *A.* Nimirum, quia propter repugnantiā superfluitatis in Deo, incompossibilis est amor *B* totam diuinā amabilitatem exhauriens cum amore A. ad nullum aliud munus requisito in Deo, nisi ad illud, quod obit perfectissimè amor B. Itaque, sicut ex repugnantia, vt in Deo coexistant affectus, quorum alter alteri aduersetur, mutuò se excludunt efficax volitio, & nolitio mundi in-

independenter ab eo, quòd per alteram directè reijciatur altera; sic ex repugnantiâ, vt in Deo coexistant circa idem obiectum affectus, quorum alter reddit alterum superfluum, mutuò se excludunt prædicti amores A, & B. independenter ab eo, quòd per alterum reijciatur alter directè.

22 Tertiò forsan erit, cui placeat distinguere duplex genus nolitionis. Alia est per modum displicentiæ in obiecto sua positiua deformitate, ac fœditate prouocante ad hoc, vt voluntas ab ipso abhorreat. Alia est per modum puræ reiectionis ab existentia obiecti noliti. Quę distinctio comprobari potest ex eo, quòd potest Deus nolle, quòd existant; aut velle, quòd non existant plures eximij actus creati valde studiosi. V.g. potest Deus nolle, iustis de causis, Petrũ exercere feruentissimum actum misericordię, quin etiam potest negare illi potestatem ad talem actum; & tamen certum est, non posse Deum ab illo abhorrere, & in eo displicere, sicut hæc potest circa peccatum: nam ille actus non habet fœditatem, ac deformitatem positiuam prouocantem ad displicentiam, & auersionem diuinã circa ipsum. Quo posito, dicet aliquis, posse Deum directè nolle eum amorem, quẽ habet circa se, ponendo vice ipsius alium amorem circa se ipsum: nolle, inquam, non quidem displicentia, & fugâ prouenientę ex fœditate obiecti; sed nolitione puræ reiectionis existentię talis amoris: ad quam nolitionem non requiritur malitia in eo amore; sed sufficit, nõ esse necessarium determinatè sumptum ad plenissimam completionẽ, & fœlicitatem Dei. Omittimus illa, quæ ex dicendis infra de actibus liberis Dei colligi possent, necnon & illa, quæ possent dici iuxta sententiam existimãtium non repugnare in Deo puram omissionem liberam. Non enim oportet tandiu in his morari.

23 Quintum fundamentum est. Nam amor, quo Deus se ipsum amat, est principium Spiritus Sancti: si igitur pro libertate Dei potuit vice amoris essentialis nunc existentis alius existere: ergo pro libertate Dei potuit vice principij, ex quo nunc procedit Spiritus Sanctus, aliud principium existere: ergo similiter potuit pro libertate Dei vice huius amoris notionalis principiati, nempè, huius Spiritus Sãcti, existere alius amor notionalis principiatus, nempè, alius Spiritus Sanctus. Si enim pro libertate Dei, loco vnius amoris essentialis potest alius poni, cur similiter pro eadem libertate loco vnius amoris notionalis non poterit alius poni. Vnde vlterius colligitur, Spiritum Sanctum, qui nunc existit, non esse necessarium; sed con-

contingentem, quod absurdissimum est.

24 At neque fundamentum hoc est omnino firmum. Concesso enim antecedente, & prima consequentia, non erit facilè cõuincere manifestè eũ, qui dixerit, amorẽ notionalem posse bipertitò sumi. *Primò* dicitur amor notionalis, persona diuina exigens procedere viâ amoris. *Secundò* hęc eadem persona, quatenus actualitèr habens communicatum amorem, ex quo procedit. In primo sensu amor notionalis est præcisè complexum, seu quasi complexum ex essentia Dei, & personalitate tertia. In secũdo sensu est complexum, aut quasi complexum ex essentia Dei, & amore, quo Deus se ipsum amat, & ex tertia personalitate. In primo sensu amor notionalis est ipse Spiritus Sanctus præcisè sumptus. In secundo sensu, qui eneruare velit argumentum propositum, dicet amorem notionalem non esse Spiritum Sanctum præcisè sumptum; sed simul sumptum cum terminatione actuali amoris tẽdentis ad Deum, contingente quoad denominationem amandi Deum, contingentiâ quoad indiuiduationem. Vnde dicet secundò, amorem notionalem in primo sensu, in quo prorsus coincidit cum persona Spiritus Sancti, esse penitus necessarium; at amorem notionalem in secũdo sensu, in quo præpter personã Spiritus Sancti præcisè sumptam clauditur amor Dei, prout denominans ipsum Deum amatũ, includere aliquid in indiuiduo contingens, quoad denominationem, nempè ipsum amorem Dei: sicut in sententiâ plausibili in hâc nostrâ tẽpestate, Spiritus Sanctus procedens ex amore futurorum, licet quoad entitatem sit omnino necessarius; tamen quoad aliquam sui denominationem est contingens. Tandem dicet, hunc numero Spiritum Sanctum non expoſcere processionem ex hoc numero amore, quo Deus se ipsum amat; sed ex hoc amore, vel ex alio vice ipsius; quemadmodum hic numero amor creatus, quo Deum amamus, non exigit procedere ex hac numero cognitione diuinæ bonitatis; sed ex hîc, vel aliâ loco ipsius. Quibus ex vna parte infirmatis; & aliunde propositis, quæ scripsimus num. 11. & 12. nouitatis amatori placeret defendere, contingẽtem esse quoad indiuiduationem amorem, quo Deus se ipsum amat. Mihi tamen semper placebit communiori menti acquiescere, quandiu non appareat manifestè falsa.

CAP.

CAP. III.

Placitum commune defenditur, & ab argumentis oppositis vindicatur.

25 DIcendū nobis est, Deū amare se ipsum aliquo amore necessario, etiam quoad indiuiduationem. Hoc placitū, pro quo stare omnes Theologos notatum est num. 13. probatur. *Primò* à posteriori, vel quasi à posteriori. Nam omnis amor Deo, vel alicui personæ diuinæ liber, est liber Spiritui Sancto. At hoc non ita esset, si omnis amor, quo Deus se ipsum amat, esset liber quoad indiuiduationem: ergo non omnis amor, quo Deus se ipsum amat, est liber quoad indiuiduationem. Consequentia constat, maiorque est in Theologia certissimū dogma. Minor probatur. Pro priori originis ante existentiam Spiritus Sancti præsupponitur in Patre, & Filio aliquis amor circa Deum. Nam alioqui Spiritus Sanctus nō procederet ab ipsis vi amoris. At hic amor præsuppositus ad existentiam Spiritus Sancti, nequit esse ipsi Spiritui liber. Nulla enim persona liberè ponit exercitium iam præsuppositum ante ipsius personæ existentiam: ergo, si liber esset in indiuiduo omnis amor, quo Deus se ipsum amat, aliquis amor erit liber Deo Patri, & Filio, qui nō erit liber Spiritui Sancto.

26 Confirmatur, & explicatur primò. Sicut est in Theologia certum, omnes diuinas personas producere ad extra, quicquid vna ipsarum producit; ita est in Theologia certum, omnes diuinas personas decernere liberè ad intra, quicquid vna liberè decernit. At primum obstat, quominus Deus sit producens ad extra creaturam aliquam pro priori ad existentiam Spiritus Sancti: ergo secundum obstat, quominus Deus sit ad intra liberè decernens amare se ipsū pro priori ad existentiā Spiritus Sancti. Cōfirmatur secundo. Nam, vt videbimus tract. de Trinitate, sicut omnes diuinę personę prę-cōstitutæ supponuntur ante omnem productionem ad extra; sic etiam ante omne decretum liberum ad intra, & ad huius exercitium ineffabili quodam veluti fœdere coniunguntur vnà perspicientes decernendi conuenientias, vnaque se determinantes ad decernendum. At, si amor, quo Deus se ipsum amat, ex quo Spiritus Sanctus procedit, non esset necessarius in indiuiduo; sed liber, non supponerētur omnes tres personæ præconstituræ ante omnem determinationem liberam Dei, quippè subsequeretur Spiritus Sanctus ad liberam determinationē prædicti amoris: igitur amor ille, quo Deus se ipsum

ipsum amat, & ex quo Spiritus Sanctus procedit, est necessarius in indiuiduo.

27 Porrò autem à priori persuadere nostram sententiam satis mihi difficile est independentèr ab aliis principijs, etsi mihi quotidie firmioribus. Dependentèr quidé ab illis probari potest secundò à priori conclusio nostra sic. Omne constituens plenam, & perfectam beatitudinem Dei est verisimè ipse Deus, cum Deus sibi sufficiat, vt sit plenissime, & perfectissimè beatus. At amor, quem Deus habet primario circa se ipsum, cōstituit Deū in ratione plenè, & perfectè beati: quia non ita constitutus est citra amorem sui, vt diximus capit. 1. & consequentèr in ea constitutione intrat ille saltem amor, quo primariò se ipsum amat: ergo amor, quo Deus primariò se ipsum amat, est verisimè ipse Deus, & consequentèr est quid summè perfectum. At, si defectibilis esset, ac proinde nō solùm potens non esse Deus; sed potens in nihil abire, posito vice ipsius aliquo incōpossibili cum ipso, nō erit verisimè ipse Deus, & aliquid summè perfectum. Videtur enim lumine rationis clarissimum à summitate perfectionis, ac deitate cadere aliquid eō ipso, quòd sit defectibile, capaxque, vt in nihilum abeat: ergo talis amor nequit deficere, posito loco ipsius aliquo incompossibili cum ipso. Hæc ratiō non traditur dependēter ab eo, quòd libertas actuum diuinorū constituatur per cōnotata creata, quæ sententia nobis est falsa; sed dependenter ab eo, quòd defectibile non sit summè perfectum: cum quo stare, actus liberos Dei, quatenus liberos, esse defectibiles; & tamen quatenus liberos per nihil creatum cōstitui, videbimus in seqq. an aliquomodo explicabile sit.

28 Tertiò probatur indepēdentèr ab eis principijs. Possibilis est amor diuinus, quo Deus se ipsum amet, non minus necessarius, & indefectibilis in indiuiduo, quàm ipsa essentia Dei: ergo talis amor existit. Nam in necessarijs illatio recta est à possibilitate ad existētiam: omne quippè potens existere, & nō existēs, non est necessarium; sed contingens. Antecedens probatur. Talis amor ideo solùm posset censeri impossibilis, quia esset contra perfectionem Dei. At eiusmodi perfectionem extolleret potius, quàm deprimeret: ergo est possibilis. Minorem facilè sibi persuadebit, qui sincerè conferat inter se quid perfectionis cogitetur in Deo, si alicui amori circa se ipsum ea competat indefectibilitas; quid autem secùs. Si enim amori diuino competat ea indefectibilitas, in primis Deus se amat tam præstāti actu, vt non solùm in reliquis perfectio-

ctionibus; sed etiam in necessitate non deficiendi conueniat cum essentiâ Dei. Secundò, cum amor Dei circa se ipsum sit perfectissima comprehensio affectiua totius amabilitatis diuinę, nō est cur ponatur in necessitate cedens æternitati, immensitati, & omnipotentiæ Dei: cum igitur hæc attributa in indiuiduo accepta perfectionem indefectibilitatis obtineant, cur non similiter prædictus amor? Tertio, sic ponitur essentia diuina potēs per identitatem perfectissimam communicare suo comprehensiuo amori æqualem indefectibilitatem, ac personalitatibus diuinis, & alijs attributis communicat, quæ quidem in indiuiduo sumpta sunt indefectibilia, vt indubitatum est. Iam perfectio, quæ cogitatur in Deo, si primarius amor, quo se ipsum amat, non sit necessariùs in indiuiduo, præcisè est dominium quoddā leuissimę considerationis, nimirū indifferentia physica, vt hoc amore, vel alio æquali vice ipsius se amet. Hæc autem indifferentia tam exigua censetur in genere libertatis, vt censeatur æquiualens necessitati ponendi hunc numero amorem: quemadmodum necessitas tibi cōferendi vnum è duobus aureis per omnia æqualibus, præstat, vt collatio aurei A. perinde se habeat in æstimatione prudentum, ac si necesse esset illud aureum in indiuiduo conferre. Quocirca cōmunitèr opinantur RR. Theologi, libertatem eius generis insufficientem esse ad meritum, & demeritum. Patet ergo, inspectis omnibus, melius esse Deo indefectibilem esse illum numero amorem, quo se primariò amat, quàm defectibilem. Sufficiant hæc, dum rationes validiores pro asserto nostro ab alijs Theologis expectamus.

29 Ex quibus parum vrgent rationes propositæ num. 11. & 12. Ad primam respon. non satisfieri exigentiæ diuinarum perfectionum, nisi amor, quo Deus primariò se ipsum amat, sit necessarius in indiuiduo. Tum, quia diuinæ perfectiones exposcunt Spiritum Sanctum procedere ex amore, quo Deus primariò se ipsum amat, omnemque amorem liberum supponere Spiritū Sanctum præconstitutum, quæ non constant cum libertate in indiuiduo eius amoris primarij, vt patet ex num. 25. & 26. Tum, quia perfectionibus diuinis melius est huiusmodi amorem primarium Dei esse necessarium in indiuiduo, quàm illa dominij leuis accessio, quæ per oppositum cogitatur. Ad secundam resp. iam constare ex his, quæ immediatè diximus ad primam, quibus ex capitibus necesse sit, vt præter actus, quibus Deus, vel liberè decernit, vel excludit liberè creaturas, habeat alium

actum

actum primarium in indiuiduo necessariũ, quo se ipsum amet. Tandem ad tertiam patet, quâ ratione diuina perfectio non solùm exigat sic Deum se amare, vt nequeat non se amare; sed etiam eum amorem primariũ, quo se ipsum amat, ita esse in indiuiduo necessarium, vt nullatenus possit deficere.

CAP. IV.

Quarundam quæstionum decisio.

30 PRima quæstio sit. An amor, quo Deus amat se ipsum, sit comprehensiuus? Respond. cõprehensiuum esse. Nam ille amor est comprehensiuus amabilitatis, qui fertur ad totam amabilitatem Dei, adeoque plenè, exactè, & adæquatè, vt vi ipsius talis amabilitas comprehensiuè cognita ametur tanto, & tam perfecto amore, quàm digna est amari. At certissimum est, eiusmodi esse amorẽ, quo Deus se amat: ergo est cõprehensiuus. Hinc facilè constat, amorẽ creatum non posse esse comprehensiuum amabilitatis diuinæ. Tũ, quia cognitio creata nequit esse comprehensiua diuinæ cognoscibilitatis in ordine repræsentatiuo: ergo similitèr amor creatus nequit esse comprehensiuus amabilitatis diuinæ in ordine affectiuo. Antecedens certum est in Theologiâ, tract. de Visione. Consequentia patet à paritatẽ rationis. Sicut enim Deus, propter summam infinitudinẽ, adeò excelsum esse oportet in ratione cognoscibilis, vt nulla cognitione creata possit eius cognoscibilitas exhauriri; sic oportet adeò excelsum esse in ratione amabilis, vt nullo creato amore possit exhauriri amabilitas ipsius. Tũ, quia sola notitia comprehensiua Dei videtur idonea, vt dirigat amorem comprehensiuum diuinæ bonitatis. At solus Deus dirigi potest ex tali notitia ad amandum, quippè talis notitia repugnat creaturæ: ergo solus Deus potest se ipsum amare amore comprehensiuo.

31 Tandem, quia diuina bonitas non comprehenditur affectiuè per amorem, quandiu non amatur tanto, & tam perfecto amore, quàm digna est amari. At solo amore diuino; non autẽ creato, amatur tanto, & tam perfecto amore, quàm digna est amari: ergo solo diuino amore; non autem creato, comprehenditur affectiuè. Consequentia, & maior patent. Minor probatur. Diuina bonitas digna est amore diuino. At nullus amor creatus potest esse tantus, & tam perfectus, quàm amor diuinus: ergo diuina bonitas solo amore diuino; non autem creato, potest amari tanto, & tam perfecto amore, quàm digna est amari. ¶ Dices, amorem

tem creatum non posse esse tantum, & tam perfectum, quàm diuinũ *entitatiuè, & materialiter* loquendo; benè tamen *formaliter* in ratione amoris: quia Deum amare est velle bonum Deo, possuntque creaturę idem, & tantum bonum Deo velle, quantũ Deus sibi ipsi vult, quippè possunt creaturæ velle Deo ipsam Deitatem. Sed contra. Nã quanuis non ex obiecto amato; tamen ex modo amandi æstimabilius est, etiam in ratione amoris, obiectum amari ab excellentiori amante, meliusque penetrante dignitatem obiecti. Quis enim magis non æstimet à dignioribus, & intelligentioribus amari, quàm à vilioribus, & minus intelligentibus? At quælibet creatura est incomparabiliter minoris dignitatis, minusque exactè penetrans diuinam bonitatem, quàm Deus: ergo diuinus amor circa Deum, etiã in ratione amoris, est ex modo amandi incomparabilitèr æstimatione superior cuilibet amori creato: cumque diuina bonitas toto illo diuino amore dignissima sit, semper amore creato infra suam dignitatem amabitur.

32 Secundò explicatur aliter excessus amoris diuini, etiam in ratione amoris, circa diuinam bonitatem supra quemlibet amorem creatum. Nam amor ex ratione amoris respicit ex parte obiecti bonum rei amatæ; coniungitque affectiue ex parte modi amantẽ cum amato. At amor diuinus, quo se ipsum Deus amat, superat incõparabilitèr quemlibet amorem creatum in ratione coniungendi affectiuè amantem cum amato: ergo superat incomparabilitèr in ratione amoris. Minor probatur. Nam amor, quo Deus se ipsum amat, adeò viuidè, vehemẽtèr, & efficacitèr inclinat ad hoc, vt Deus amans identificetur cum Deo amante, vt ponat infrustrabilitèr hanc identitatẽ, si non productiuè, quia talis identitas est improducibilis; afferendo tamen illam secum in suis intrinsecis intimissimè imbibitã. Quo namque iure negetur hæc perfectio diuino amori circa bonitatem Dei? Ergo amor, quo Deus se ipsum amat, ita ex vi sua, modoque amandi, Deum amantem in Deum amatum veluti transformat, & transfundit, vt ex vi sua, modoque amandi ponat, nõ productiue; sed altiori modo, nempè formalitèr, cõiunctionem identificam perfectissimam Dei amantis cũ Deo amato. At creatura, quãtuncũque Deũ amans, non coniungitur vi sui amoris cum Deo per identitatẽ, & perfectissimã veluti transformationẽ cum illo; sed quadã affectiua coniunctione, quæ non plusquã metaphoricè dicit identitatẽ. Ergo collatis

ſecum amorē, quo Deus Deum amat, & quocumq; amore, quo creatū Deo amat, diuinus amor ſuperat incōparabilitèr quemlibet amorem creatum in ratione coniungendi affectiuè amantem cum amato. Qui plura velit circa præſentem quæſtionem, legat P. Ruiz diſp. 4. de Voluntate Dei, ſect. 4.

33 Secunda quæſtio. An amor, quo Deus ſe ipſum amat, ſit efficax, an inefficax comparatione ipſius Dei amati? Certum eſt, ſi ſumatur inefficacia pro carentia poteſtatis ad producendum, vel efficiendum Deum, eſſe inefficacē. Nam, cum Deus quoad eſsētialia ſit omnino improducibilis, & infactibilis, nihil habet poteſtatem productiuam, vel effectiuam Dei, quoad eſſentialia. Vnde talis amor circa prędicata eſſentialia Dei iure poteſt dici inefficax effectiuè. Dubitabitur tamen, an aliter dici poſſit efficax? Reſpondeo affirmatiuè. Nam primò dici poteſt eſſe efficacem *negatiuè* circa eſſentiā Dei: quemadmodum eſſentia diuina dicitur eſſe *à ſe ipſa* efficacitèr negatiuè. Ratio eſt. Nam ideò eſſentia diuina eſt à ſe ipſa efficacitèr negatiuè, quia ſic in ſe ipſa ſuum *eſſe* habet, vt nullatenus illud habeat acceptum ab alio diſtincto ab ipſa. At ſimilitèr eſſentia Dei ſic in ſe ipſa habet ſui amorē, vt ſuum *eſſe* nullatenus habeat ab alio diſtincto ab eo amore: ergo ſicut eſſentia Dei eſt à ſe ipſa efficacitèr negatiuè; ita etiam ab amore ſui.

¶ Secundò dici poteſt, eſſe efficacem circa prædicata eſſentialia Dei, efficaciâ, non quidem productiuâ, & effectiuâ; ſed formali intrinſecâ. Ratio eſt. Nam ille amor eſt efficax, efficacia formali intrinſecâ, rei, quam vult, qui ex modo amandi rē nequit cōponi cū ipſius carētia; ſed potius eā rē ſecū affert primariò, licet non ab ipſo productam; cum ipſo tamen identificatam. Sic diximus tract. de Actibus humanis, eodem amore immediatè libero, quo volumus obiectum directum, hunc ipſum amorem amare, & efficacitèr determinare, non quidem efficacia productiua, quia in eo amore identificantur amor obiecti, determinatioque ad amorem, ideoque vnum non procedit ab alio; ſed efficacia formali intrinſeca; quia determinatio ad amādum, ex vna parte ex modo amandi, ac determinandi amorem, nequit componi cum carentia amoris; & aliunde per identitatem ſui cum illo trahit illum ſecum primariò, nempè, non præſupponendo exiſtentiam ipſius. At amor neceſſarius, quo Deus amat ſua prædicata eſſentialia, ex ſuo modo amandi nequit componi cum carentia ipſorum, eaque ipſa prædicata eſſentialia ſecum affert primariò con-

connexione identitatis perfectissimæ, præsertim iuxta nostram doctrinã, secundùm quã prædicata essentialia Dei neq; virtualitèr intrinsecè distinguũtur, neq; præsupponuntur ad amorẽ necessarium Dei: ergo talis amor in ordine ad prædicata essentialia Dei efficax est efficacia formali intrinseca.

34 Tertiò dici potest, in ordine ad eadem prædicata esse efficacem affectiuè. Ratio est. Nam ille amor est efficax affectiuè in ordine ad rem amatam, qui ex modo ipsam amandi nequit componi cum odio, vel nolitione absolutè, & simplicitèr tali circa ipsam rem, siue possit, siue nequeat componi cum affectu, qui propter exiguam nolendi vehementiam dicitur *noleitas* potius, quàm *nolitio*. Atqui Deus amat sua prædicata essentialia amore, qui ex modo amandi nequit componi cum odio, vel nolitione talium prædicatorum, vt de se manifestum est: ergo talis amor est efficax affectiuè in ordine ad ea prædicata. Cætera patent, maioremque explicat ingeniosè de more suo P. Ripalda in manuscript. de Voluntate Dei, disput. 6. dubit. 1. Tum, quia dicitur absolutè efficax detestatio peccati præteriti, quia licet sit expers potestate ad destructionem existentiæ præteritæ peccati; tamen incomposibilis est ex modo detestandi peccatum cum amore simplicitèr, & absolutè tali circa ipsius existentiam. Tum, quia similitèr vehementissimũ odium, quo Dæmon auersatur existentiam Dei, dicitur affectiuè efficax, quia licet impotens sit inferre non existentiam Dei; tamen ex modo auersandi Deum est incomposibilis cum amore absolutè, & simplicitèr tali circa eam existentiam. Tandem amor perfectus elicitus à charitate creata circa Deum dicitur efficax, quia tametsi nequeat existentiã Deo conferre; tamen ex modo amandi Deum inconiungibilis est cum odio, vel nolitione existentiæ diuinæ.

35 Tertia quæstio. An amor, quo Deus amat suas perfectiones, sit concupiscentiæ, an amicitiæ, ac beneuolentiæ? Quæstio hæc, supposítis acceptionibus terminorum, facilis est. Amor ferri solet ad obiectũ, *quod* alicui suppositio amatur, & ad suppositum, *cui* tale bonum ex complacentia ipsius suppositi, id est, quia ipsum suppositum placet, amatur. Amor, prout fertur ad primum ex obiectis assignatis, dici solet concupiscentiæ; beneuolentiæ, vero prout fertur ad suppositum, ex cuius complacentia amatur ipsi obiecto tale bonum. Rursus: concupiscentia, & beneuolentia so-

lent vsurpari respectiuè ad suppositа, ex quorum complacentia amatur ipsis bonum: ita sanè, vt concupiscentia dicatur ille amor, quo suppositum ex complacentia sui vult sibi bonum; beneuolentia verò ille amor, quo suppositum ex complacentia alterius suppositi huic alteri suppositо vult bonum. Tandem amicitia sumitur strictè, & laxè. Strictè requirit saltem quatuor cōditiones iuxta concordem mentem omnium. *Prima*: velle bonum suppositо amato ex complacentia circa ipsum suppositum, quia bonum ipsi est. *Secunda*: suppositum amans, & suppositum amatum esse duo. Nam, strictè loquendo, nemo dicitur sui amicus. *Tertia*: ea suppositа esse rationalia. Nam circa ratione expertia non est amicitia propria. *Quarta*: personam amatam redamare amantem. Nam si ames alium, qui vicissim non amet te, talis amor dicitur beneuolentia, & inchoata quædam amicitia; non tamen strictè dicitur amicitia consummata. Iam amicitia laxè sumpta dicitur ille amor, quo amans fertur in aliquod obiectum propter bonitatem ipsius obiecti. Item amor, quo alicui suppositо amatur bonum ex complacentia ipsius suppositi. Quæ diximus de amicitia lata, desumpta sunt ex diuersis authoribus diuersimodè loquētibus; ex Arist. autem lib. 8. Ethic. ad Nicomach. cap. 2. & lib. 9. cap. 5. & lib 7. Ethic. ad Eudem. cap. 8. quæ de amicitia stricta diximus. His positis.

36 Prima sententia est, Deū non amare sua intrinseca amore concupiscentiæ. Ita M. Albiz disp. 4. de Voluntate, sect. 5. Herice disput. 14. num. 12. & 13. Consonant P. Suar. lib. 3. de Angelis, cap. 4 num. 5. P. Ruiz disp. 52. de Vol. sect. 5. num. 9. Hæc de amore Dei vt vnius. Nam de amore, quo vna persona diuina personam aliam diuinam amat, existimat Albiz suprà, esse amorem concupiscentiæ. Alij autem docti Recentiores, quibus consentit Ludouicus de Ribas disp. 12. de Volunt. c. 1. n. 1. concedunt Deo absolutè sumpto concupiscentiæ amorem circa sua intrinseca; necnō vni personæ diuinę respectiuè ad aliam. ¶ Dico primò. Deus habet amorem beneuolentiæ, & cōcupiscentiæ simul in prima acceptione. Probatur. Deus amat sibi ex complacentia sui suas perfectiones intrinsecas, quia Deo ipsi bonas: ergo perfectiones intrinsecæ Dei comparatione eius amoris sunt obiecta, quæ Deo amantur, & Deus ipse est obiectum, cui ex complacentia ipsius tales perfectiones amātur.

At

At in eo stat, iuxta primam acceptionem, talem amorem esse concupiscentiam in ordine ad eas perfectiones amatas, & esse beneuolentiã in ordine ad Deũ, cui amantur ex complacentia ipsius. Ergo.

37 Obijcies primò ex M. Albiz. Inter Deum, & ipsius perfectiones intrinsecas nõ datur realis distinctio. At concupiscentia requirit eam distinctionem inter bonum amatum, & subiectum, cui amatur. Ergo Deo nõ competit concupiscentia in ordine ad prædicta obiecta. Concessâ maiore, negatur minor cum P. Vazq. 1. p. disp. 232. n. 7. & cum P. Ruiz disput. 52. de Vol. sect. 5. in fine. Nam, vt optimè stat, Deum verè, & propriè intelligere, seclusâ reali distinctione inter subiectum, quod intelligit, & intellectionem, per quam intelligit; sic Deum sibi concupiscere suas perfectiones sine reali distinctione perfectionum, quæ amantur, & subiecti, cui amantur. Et sicut aliud est, nos concipere in Deo subiectum, quod intelligit, & intellectionem, per quam intelligit, instar rerũ distinctarum; aliud, re ipsa distinctionem requiri ad intelligendũ; & hoc vltimum est falsum, quanuis primum contingat propter imperfectionem nostri intellectus; ita etiam aliud est, nos exprimẽtes concupiscẽtiam, quâ Deus sua sibi bona cõcupiscit, exprimere illam concipiendo diuina bona instar distinctorum à Deo; aliud verò, realẽ distinctionẽ ipsorũ à Deo requiri ad talem concupiscentiam; & hoc est falsum, quanuis primum ex imperfectione nostri intellectus contingat. Vnde arbitror, posse Deum ipsi Deo concupiscere esse Deum, tametsi Deus à Deo neque distinctione rationis ratiocinatæ distinguatur.

38 Obijcies secũdò ex P. Herice. Concupiscentia non virtualiter; sed propriè, & formaliter accepta, claudit relationem realem transcendentalem ad bonũ, quod amatur, & ad subiectum, cui amatur, vt in nobis patet: ergo etiam distinctionem realem ab his obiectis. At amor, quo Deus amat Deo sua bona intrinseca, neque à Deo, neque à prædictis bonis distinguitur realiter formaliter; sed summũ virtualiter: ergo non potest dari in Deo in ordine ad hæc obiecta concupiscẽtia realis formalis; sed summùm virtualis. Confirmat idem nouissimè præclarus in Academiâ Valentinâ Doct. Melchior Fuster tract. de Vol. num. 126. Nam concupiscentia realis formalis est ad bonum realiter formaliter ab ipso concupitore distinctum: nullus enim concupiscit se ipsum, vultque sibi realiter formaliter se ipsum. At perfectiones intrinsecæ Dei non sunt realiter formaliter distinctæ à

Deo: ergo Deus non concupiscit ipsas sibi concupiscētia reali formali; sed summùm virtuali.

39 Resp. His minimè obstantibus, concedi Deo potest concupiscentia realis formalis circa sua bona intrinseca. Ad argumētum dicatur. Sicut in Deo verissimè, propriissimè, & formalissimè est cognitio, & amor sui ipsius: qui sane actus, tametsi vix possint concipi à nobis, nisi per modum respectiuorum ad Deū; tamen in se ipsis non sunt respectiui ad Deum, proindeque ab ipso distincti; sed omnino indistincti; ita in Deo verè, propriè, ac formalitèr est concupiscentia circa sua bona intrinseca, nō quidem realitèr ad ipsa relata, & ab ipsis distincta; sed absoluta, & indistincta, quantunuis à nobis concepta instar relatæ, & distinctæ. Ratio est, quia formalis concupiscentia Dei circa ea bona non est aliud, quàm affectuosa coniunctio diuinę voluntatis cum eis bonis, vt Deo bonis: ea verò coniunctio ex eo, quòd perfectam identitatē pertingat, non descisit à formalissima coniunctione affectiua; sed in ea ratione maximè perficitur. ¶ Ad hæc; licet in nobis frequentèr concupiscentiæ affectus relatione reali transcendentali referatur ad bonum concupitū; non tamen oportet ita semper contingere. Nam, vt alias considerationes omittam, mihi est certum, posse nos eodē prorsus actu realitèr indiuiso, & amare Deum, quia bonum; & nobis appetere hunc ipsum amorē, quia nos valde exornantem: & tunc affectus, quo nobis hunc amorē cōcupiscimus, indistinctus est ab illo; non distinctus, & realiter transcendentalitèr relatus. Ad confirmationē, negatur maior. Non enim video, quomodo nequeat quis propriissimè, & formalissimè ex cōplacentia sui sibi velle suū *esse*, in quo, seclusis vocibus, stat concupiscentia, quam defendimus. Et quidē nihil magis homines solemus nobis ipsis amare, quàm nos ipsos, iuxta illud vulgare. Amabile quidem bonum, vnicuique autem proprium, &c.

40 Dico secundò cum Albizcit. & cum Fuster supra n. 127. Potest vna persona diuina amore concupiscentiæ sibi velle aliā personam diuinā. Probatur. Persona Patris, v. g. potest sibi amare personam Filij, quia persona Filij bona est ipsi personæ Patris. At nihil deficit huic amori, quominus cōcupiscentia sit, per quā persona Patris sibi concupiscat personam Filij: ergo potest vna persona diuina concupiscentiæ amore sibi velle personam aliam diuinam. Minor, & consequentia patet. Maior probatur. Nam persona Patris nequit existere sine persona Filij; itemque persona Filij est Patris splendor non mi-

minus plenè, quàm luculentèr exprimens ipsius Patris excellẽtiam. Eiusmodi autem, aliæque rationes personam Filij reddunt conuenientissimam Patri, Paterque dignissimè, & honestissimè sibi Filium amabit propter conuenientias adeò excellas. Potest igitur Pater amare sibi personam Filij, quia bonam ipsi Patri.

41 Nobis tamen sese opponit sapientissimus P. Didacus Ruiz sup. citat. ductus hoc argumento, quod fusè prosequitur. Nam amore concupiscentiæ nõ amatur bonũ, quia ipse amans redditur eo bono honestè amabilis; sed præscindendo ab honestate amatur bonum, siue ipsi amanti, siue amico amantis, quia iucundum, & vtile ipsis est. At neque Deus, neque personæ diuinæ sibi amant bona diuina, quia sibi iucunda, & vtilia, præscindendo ab honestate. Nam quicquid diuinum sibi Deus amat; ideò vult, quia est summum honestum reddens Deum honestissimè amabilem: ergo neque Deus, neque personæ diuinæ quicquam diuinum sibi volunt amore concupiscentiæ. ¶ Sed obseruandum est, bonum vtile stare bifariam. *Primò* pro merè vtili, purè puteque amabili propter aliud, non autem propter suam propriam honestatem: quâ ratione se habent obiecta purè indifferentia. *Secundò* pro illo, quod simul habet secum coniunctas bonitatem vtilitatis, quâ constituitur amabile propter aliud; & bonitatem honestatis, quâ constituitur amabile propter se. Sic actus studiosi prediti sunt bonitate vtilitatis ad vitam æternam, quâ bonitate sunt amabiles propter consecutionem vitæ æternæ; necnon bonitate honestatis, quâ sunt amabiles propter se ipsos. Rursus, bonum iucundum, & delectabile stat dupliciter. Nam aliud est purè delectabile; non honestum, vt quædam peccata propter suã iucunditatem turpiter appetibilia. Aliud delectabile, & honestum simul, nempè appetibile propter voluptatem, & gaudium, quod amanti affert, & etiam appetibile, quia propter se ipsum decentissimum, & pulchrum est. Sic appetere possumus nostram beatitudinem, & quia de se pulcherrima, & decẽtissima est; & quia suauissimum gaudium circa Deum possessum nobis affert.

42 Hinc ad argumentum respondeo Non sunt de ratione concupiscentiæ hæc duo, positiuum aliud; & aliud negatiuum. *Primum*, amare bonum, quia vel vtile, vel iucundum amanti. *Secundum*: non amare idem bonum, siue quia in se ipso honestum, siue quia ipsum amantem reddens honestè amabilem; sed primum illud duntaxat

xat est de ratione essentiali concupiscentiæ. Sic de ratione misericordiæ est ferri in bonum, vt subleuatiuum miseriæ alienæ; non vero non ferri in idem bonum, vt hic, & nunc Deo gloriosum, & satisfactiuum iustitiæ. Quamobrem, si illo eodem actu, quo creditori nimis egeno soluis centum ipsi debita, hæc reddas, & quia hic, & nunc ea redditio Deo gloriosa est, & quia iustitiæ satisfacit, & quia eadem redditione proximi egeni miseria subleuabitur, eo sane actu veram, & propriam misericordiam exerces, licet simul exerceas charitatem erga Deum, & iustitiam erga proximum. Dico ergo, Deum sibi amantem suam diuinitatem, & quia sic ipsi vtilis est, vt sine ipsa nequeat existere, & quia sic iucunda, vt eam diuinitatem possidere, summum gaudium Deo affert, amare sibi amore concupiscentiæ suam Deitatem; tametsi quia eodem actu diuinitatem habet, vt in se pulcherrimã, & honestissimam, reddentemque Deum honestissimè amabilem, talis actus non sit purè puteque concupiscentiæ, de quo parum nunc curo. Similiter Pater æternus amans sibi diuinum Filium, quia ipsi Patri sic vtilis est, vt sine Filio nequeat existere, & quia tantus Filius summi gaudij est ipsi Patri, Filium sibi amat amore concupiscentiæ, quidquid sit, an talis amor non sit purè, ac præcisè concupiscentiæ, quia simul fertur in Filium, quia in se pulcherrimus, & honestissimus est.

43 Dico tertio. Deus non amat sibi sua intrinseca bona strictâ amicitia, de qua num. 35. Patet, quia in ea stricta acceptione amicitia non est ad ipsum amantem, sed ad alium ab amãte reciprocè correspondentem in amore. Quare S. Gregorius de charitate amicabili sic pulchrè loquitur homil. 17. in Euagel. initio. *Minus, quàm inter duos, haberi charitas non potest. Nemo enim propriè ad semetipsum habere charitatem dicitur; sed dilectio in alterum tendit, vt charitas esse possit.* At amicitia lata, de quâ loco citato, datur in ordine ad bona diuina. Tum, quia ipsa propter ipsorum bonitatem amat. Tum, quia personis diuinis ex ipsarum complacentia Deus amat diuina bona. Quia vero nunc solùm agimus de amore necessario Dei in ordine ad ipsum Deum, remittimus ad sequentia declarare, num Deus se ipsum liberè creaturis amet ex istarum complacentia.

44 Vltima quæstio huius cap. sit. Vtrùm vna persona diuina verum, & proprium amicitiæ strictæ amorem exerceat erga aliam? Certum omnibus est primò,

nio, vnam personam diuinam, v.g. Patrem, amare alteri personæ diuinæ, v g. Filio, ex complacētia erga ipsum Filium, & quia ipsi Filio bonæ sunt, perfectiones diuinas Filio cōuenientes. Certum est secundò, licèt personalitates distinguantur realiter; tamen diuinarum personarum naturam, voluntatem, & actualem amorem identificari; quæ cum sint certa quoad rem ipsam, dissidium de nomine videtur, an hæc sufficiant, vel non, ad cōcedendam amicitiam inter diuinas personas. Mag. Albiz disp. 4. sect. 5. n. 4. asserens quæstionem esse de nomine, neutri parti adhæret. Partem negatiuam eligūt P. Suar disp. 30. met. sect. 16. n. 60. P. Herice disput. 14. cap. 3. quanuis n. 16. eminentem amicitiam concedat; quam etiam vocat superamicitiā. P. Arriag. disp. 24. sect. 4. subs. 4. num. 28. & 29. notās, quęstionem esse de nomine. Partem affirmatiuam tuentur P. Did. Ruiz disput. 52. sect. 4. à num. 8. existimans, ita meliùs, & exactiùs loquendum ad regulas, & vsum Theologorum, quod, vt semper apud ipsum sit, elegantèr, & eruditè probat. P. Ripal. tract. de Volūt. disp. 6 dubit. 5. Fuster. num. 128. quanuis notent, quæstionem esse de nomine. P. Alarcon tract. 3. disput. 2. cap. 4. Ribas disp. 12. cap. 10. à num. 10. P. Martinon de Deo disp. 16. sect. 3. à num. 20. Doctissimi RR. Deinde apud hos autores inuenies pro hac parte affirmante citatos S. Thom. Mag. sent. S. Bonauent. Ricard. Albert. Alens. Ægid. Hēric. Marsil. Gabriel. Maior. & alios.

45 Pro affirmantibus sto, nō negans multùm disputari de nomine. Probatur. Pater amat Filio bona ipsius, quia ipsi filio bona sunt. Item, Filius amat Patri bona Patris, quia ipsi Patri bona sunt: eādemque proportione loquendum est de Spiritu Sancto. At hoc sufficit, vt prædictus amor verè, & propriè sit amicitiæ. Talis igitur est. Minor probatur. Nihil enim aliud obstare potest, quàm realis identitas inter amorem, quo Pater Filium, & Filius Patrem amat, vt constabit legenti scripta aduersariorum. Hoc autem non obstat. Nam, vt bene obseruant RR. cum P. Martinon supra n. 21. si Petrus, & Paulus ita se amarent, vt quilibet amaret alterum ex complacentiâ alterius, eadē tamen amoris qualitate infusa in vtroque à Deo, non minus essent amici, quā si distinctis qualitatibus affectiuis se amarent.

¶ Id, quod confirmatur primò. Non enim videtur credibile, cadere amorem à proprietate amicitiæ ex eo, quod melius attingat amicitiæ scopum. At ex eo, quòd eodem amore se amet personæ diuinæ, vnaquæque ex

com-

complacentia alterius, melius attingunt amicitiæ scopū, quàm personæ se amantes amoribus realitèr distincti is: ergo identitas amoris, quo se amant diuinæ personę, non præstat, cum amorem cadere à proprietate amicitiæ. Minor probatur.

46 Nam amicitiæ scopus, ad quem affectiuè tendit amicabilis amor, est amantem reddi vnum, & eundem cum amato, quò melius possit. Hinc illud vulgare: *Amicus alter ego.* Hinc illud Aristotelicum lib. 7. Eudemiorum cap. 15. *Amicus enim esse vult alter Hercules, & alter ipse* At ex identitate vera, & reali personarum diuinarum in natura, voluntate, & amore actuali, & quidem formalitèr, vi, & efficacia formali prædicti amoris, vt dicebam num. 33. longe melius attingitur hæc vnitas, & idētitas amantis, & amati, quam vbi personæ distinctæ in personalitatibus, in naturis, & in amoribus se amant: ergo personæ diuinæ ex eo, quòd eodem amore se ament, attingunt melius amicitiæ scopum. Confirmatur secundò (& hæc potissimum confirmatio diluet aduersariorum argumenta) Charitas, & amicitia in idem recidunt, ideoque sicut amicitia nequit esse, nisi inter duos; ita iuxta Gregor. cit. num. 43. *Minùs, quā inter duos, haberi charitas non potest.* At testimonia Scripturæ, & PP. quæ afferunt P. Ruiz, & ex ipso P. Martinon, significant in diuinis personis dari charitatem: ergo & dari amicitiam. Vnde sic infero: ergo nō solum impropriè; sed propriè sumpta tribuenda est amicitia diuinis personis. Hanc illationē probo sic.

47 Nam iuxta regulam B. Augustini ab omnibus receptā: quod Scriptura, & Patres significant accipiendum est propriè, vbi nihil cogit ad improprietatem. Scriptura autem, & PP. vt vidimus, amicitiam significant in diuinis personis. Deinde nihil cogit ad improprietatem. Probatur hoc vltimū. Nam ad improprietatem posset præcisè cogere, vel in creatis non esse amicitiam absque distinctione reali naturarum, voluntatum, & amorum; vel nomen amicitiæ ex primaria sua institutione significare amorem cum ea distinctione. Neutrum autem horum ad improprietatem cogit. Contingit enim in creatis quædam prædicata nō dari nisi aliquibus imperfectionibus admixta; & tamen ea prædicata poni in Deo propriè; seclusis tamen imperfectionibus. Sic in Deo propriè est scientia; & tamen in nobis imperfectionē habet causatæ, accidentalis, &c. Rursùs contingit ex primaria nominū institutione, quædam duntaxat obiecta significari, quæ tunc occurrunt; deindeque extendi, vt non minus

nus principalitèr alia significent, quæ innotescunt denuo. Sic notante P. Ruiz sup. n. 21. hæc nomina, Pater, Filius, Spiritus, Relatio, Generatio, Natiuitas, Spiratio, Imago, Similitudo, Æqualitas, Principium, Productio, Producens, Productum, Origo, Communicatio, Circuminsessio, & Missio, significabant ante reuelatum Trinitatis mysterium distinctionem realē, nō solùm quoad personalitates; sed etiam quoad naturas extremorum, quæ respiciunt: at post idem mysterium reuelatū, iam propriè, & æquè principalitèr significant Paternitatem, & Filiationem, generare, & generari &c. inter extrema, non quoad naturam; sed præcisè quoad personalitates distincta.

48 Obijcitur primò. Nam teste Arist 8. Ethic. cap. 2. 3. & 11. & lib. 9. cap. 5. non est amicitia, nisi vbi est amatio cum mutua redamatione alterius. At redamatio est nouus, & distinctus amor alteri amori respondens: ergo vbi non est hæc distinctio amorum sibi respondentium, vt reuera non est in diuinis personis, non datur propriè, & strictè amicitia: maximè cum rationes nominum non sint pro libito variandæ. Secundò. Nam ex eodem Arist. 8. Ethicor. cap. 3. 4. & 5. amicitia postulat communicationem bonorum. At Spiritus Sanctus nihil communicat Patri, & Filio, quippè qui pro priori originis ante Spiritum S. præcedunt cum omnibus suis bonis, ergo saltem Spiritus Sanctus non exercet amicitiam circa Patrem, & Filium. Tertio, Nō minus amicitia est virtus ad alterum, quam fidelitas, & iustitia. At istæ non dantur absque distione voluntatum: ergo neque illa.

49 Ad primam resp. Amicitia nō requirit amationem cum mutua redamatione sumptâ secundum adæquatam rationem redamationis traditam in argumento; sed sufficit inadæquata ratio redamationis consistentis in eo, quòd duæ personæ se ament, vnaquæuis ex complacētiâ alterius, præscindēdo ab eo, quod hoc præstetur duplici; vel vno amore. Neque ob id pro libito variantur rationes nominū. Nam, vt nomen: *Amicitia* extēdatur ad significandam propriè hanc rationem, assignata sunt fundamenta satis probabilia. Ad secundum resp. Amor, quo Spiritus Sanctus amat Patri, & Filio ex ipsorum complacentia perfectiones omnes, quas habent, licet non sit, quasi quoad effectum communicatiuus earum perfectionum; est tamen amor amicitiæ, quia totum habet cōceptum primarium, & essentialem amicitiæ; tametsi non habeat id, quod nostræ amicitiæ secundarium est. Nam Spiritus Sanctus

Sanctus amat Patri, & Filio ex complacentiâ ipsorum, bona, quæ habent, idque sufficit ad rationem primariam, & essentialem amicitiæ. Cœterùm, quanuis in nobis amor amicitiæ secum habeat secundariò coniunctam exigentiam, vt ab ipso oriatur amantis bona communicari amato, quod in nobis est possibile; tamen amor Spiritus Sancti circa Patrem, & Filium, non habet secum iunctam eam exigentiam, quia impossibile est ex amore, prout in Spiritu S. oriri, quòd Patri, & Filio perfectiones ipsorum communicentur.

¶ Ad tertium resp. negatâ maiori. Nam amicitia præcisè petit vnam, & alteram personam, quarum vnaquæque amet alteram modo explicato: & ad hoc sufficit distinctio in personalitatibus. At iustitia, & fidelitas sunt ad alterum, qui in naturâ sit alter. Ratio est. Quia prædictæ virtutes suapte natura tendunt adhoc, vt vnius libertas, & dominium obstringatur quoad rē aliquam, strictiori, vel laxiori obligatione, libertati, ac dominio alterius. Patet autem, non constare libertatum, ac dominiorum distinctionem absque distinctione naturarum.

DISPVT.

Variorum affectuum natura exponitur.

PLacuit hanc disputationem non prætērire, quia licet sit Philosophica; tamen est parum agitata, valdèque pendent ab illa, quæ statuemus in sequentibus.

CAP. I.

De natura specialis amoris, gaudij, & desiderij.

1 PRo cuius indagine quæritur primò. Quid sit desiderium? Notentur pro responsione verba aurea D. Thom. 1.2. quæst. 25. art. 2. in fine corp. *Ipsa*, inquit, *aptitudo, siuè proportio appetitus ad bonum est amor, qui nihil aliud est, quàm complacentia boni. Motus autem ad bonum, est desiderium, vel concupiscentia. Quies autem in bono, est gaudium, vel delectatio.* Ex quibus verbis respondeo, desiderium presse, & propriè acceptum esse affectū voluntatis circa bonum, qui reddit animum positiuè anxium, & inquietum propter non existentiam eius boni, cōtra quam gaudium reddit animum positiuè quietum propter existentiā boni,

ni, circa quod versatur. Hoc sanè iuxta communem acceptionem apprehenditur sub nomine desiderij. Ex quo fit primò, adiunctis, quæ posteà subiungemus, amorem, non quidem generalitèr; sed specialitèr dictum, vt distinctum à desiderio, & gaudio, tametsi sit tendentia voluntatis ad bonum, quæ non reddit animum quiescentem in existētia eius boni; non tamen esse desiderium. Nam prędictus amor, licet non reddat animum quietum circa existentiam boni; at non reddit animum positiuè anxium, & inquietum ex non apparentia boni, vt existentis; sed est affectus præscindens, tùm ab eo, quòd animus quietetur in bono, quia iam apparet existens; tùm etiam ab eo, quòd inquietetur, quia non apparet existens.

2. Fit secundò, desiderium non versari circa bonum illud, quod nobis proponitur, vt omninò facilè assequibile pro mero libito nostro. Ratio est, quia non componitur desiderium cū notitia oppositā inquietudini, quæ proueniat ex eo, quòd bonum non appareat, vt existens. Notitia verò proponens bonum, vt omnino facilè assequibile pro mero libito, prædictæ opponitur inquietudini: quippè nullus adeò desipit, vt inquietetur, & affligatur, quia non apparet, vt existēs, bonum, quod ipse potest omninò facilè pro suo libito reddere existens. Fit tertiò, similitèr desiderium nō versari circa bonum illud, quod volenti proponitur clarè, & citra omnem hæsitationem infallibilitèr determinatū ad existendum: quia similiter nullus inquietatur, vexatur, & affligitur ex non existentia boni, quod clarissimè cernit determinatum infallibiliter ad existēdum.

3 Quæres secundò. An, & quomodo requiratur ad desiderium boni, absentia ipsius? Nam aliquomodo requiri absentiam patet ex communi sensu, iuxta quem non quæ habemus bona; sed quæ non habemus, desideramus, ideoque dixit optimè D. Thom. 1. p. quæst. 20. art. 1. in corp. *Sunt autem quidam actus voluntatis, & appetitus respicientes bonum sub aliqua speciali conditione. Sicut gaudium, & delectatio est de bono præsenti, & habito: desiderium autem, & spes de bono nondum adepto. Amor autem respicit bonum in communi siue sit habitum, siue non habitum.* Pro declaratione huius rei obseruandū est, absentiam boni bifariam accipi. Nam alia est realis, vel, vt aiunt, in esse rei; alia intentionalis, vel, vt aiunt, in esse cognito. Realis, est ille defectus rei, per quem ipsa constituitur reipsa *nō habita*. Intentionalis est, vel cognitio, per quam res, siue verè; siue falsò repræsentatur, vt non habita; vel non existere cognitionem,

tionem, per quam repræsentetur, vt habita. Rursùs. Absentia intentionalis accipitur, vel positiuè pro instanti reali temporis; vel præcisiuè pro signo causalitatis, & naturæ. Primo modo sumpta nihil aliud est, quàm in tali instanti reali dari cognitionem, per quam bonum repræsentetur, vt non habitum; vel in eo instanti absolutè, & simplicitèr deficere notitiam, per quam bonum repræsentetur, vt habitum. Secundo modo accepta non est aliud, quàm in signo causarum, id est, in collectione causarum, quæ in hoc instanti v.g. influunt in desiderium boni, neque includi notitiam talis boni, vt habiti; neque carentiam eius notitiæ; sed alia conditiincta adæquatè ab his extremis contradictorijs; quemadmodum essentia hominis neque albedinē, neque carentiam albedinis includit; sed prædicata conditiincta adęquate ab his extremis cōtradictorijs, ob idque dicitur ab vtroque cōtradictorio præscindere, vt in Philosophiâ, sæpèque alibi explicuimus.

4 Aſſero primò. Absentia realis boni non requiritur ad desiderandum ipsum. Probatur, quia sufficit intentionalis, nempe notitia, quâ bonum, tametsi reipsâ sit habitum, repræsentetur tamen, vt non habitum. Nā ad desiderandum bonum ea sufficit absentia, quæ satis est, vt circa ipsum inquietè, & anxiè moueatur voluntas, ipsum quærendo. Sufficit autem ad hunc effectum absentia intentionalis, nēpè bonum apparere absens, quātunuis physicè præsens sit. Nam auarus, qui reipsâ ditissimus sit, inquietabitur pro diuitijs, si eisdem carere cogitet: ergo prædicta intentionalis absentia sufficit ad desiderium. Confirmatur. Non enim potior absentia boni requiritur ad desiderium; quàm præsētia boni requiritur ad gaudium. At non requiritur ad gaudium præsentia physica boni; sed sufficit intētionalis. Nam si quis arbitretur, se ingeniosum esse, de hoc potest concipere gaudiū, tametsi reipsâ sit satis obtusæ mentis: ergo neque ad desideriū requiritur absentia physica boni; sed sufficit intentionalis. Confirmatur secundò. Nam citra dubium videtur, desiderium esse hunc affectum hominis prosequentis sanctitatem: *Vtinam sanctus reddar, si fortè sanctitatem non habeo.* Atqui ad hunc affectū concipiendum non requiritur carere reipsâ sanctitate, quippè viri sanctissimi laudabiliter timentes anteacta peccata nondum esse diluta, possunt eum affectum concipere: ergo ad desiderium boni non requiritur absentia realis eius boni; sed sufficit illa notitia: *Fortè nō habeo bonū hoc*, quę est quædā absentia intentionalis ipsius. At in re certâ non

non oportèt ampliùs morari.

5 Aſſero ſecundò. Ad deſiderium boni non ſufficit abſentia intentionalis *negatiua*, nempè, *non cognoſcere* bonum, vt præſens; ſed requiritur *poſitiua*, ſcilicèt, aliquo modo cognoſcere bonum, vt abſens; ſaltem hac notitiâ formidolosâ: *Fortè deerit tale bonum*. Probatur. Nam deſiderium boni, vt condiſtinctum à gaudio, & amore ſtricto ſpecialitèr dicto, non ſolùm habet hoc prædicatum negatiuũ, nempè, non reddere animum quieſcentem in bono; ſed poſitiuè inquietare, & cruciare animum propter defectum rei deſideratæ: quippè primum illud negatiuum commune eſt amori ſtricto, vt condiſtincto à deſiderio, & gaudio. At non inquietatur, & poſitiuè cruciatur animus propter defectum rei, niſi res appareat, vt fortè deficiens, vel defutura; ſicut animus non gaudet, poſitiuèque lætatur niſi de bono, quod apparet, vt præſens: & in eâ notitiâ, per quam bonum apparet, vt fortè deficiens, aut defuturum, conſiſtit illius abſentia intentionalis poſitiua: ergo talis abſentia intentionalis poſitiua requiritur ad deſiderium. Confirmatur. Non lætatur animus, quieſcitque poſitiuè propter exiſtentiam boni eò præcisè, quòd bonum non appareat, vt non exiſtens; ſed oportet apparere, vt exiſtens: ergo neque affligitur, cruciatur, poſitiuèq; inquietatur animus propter non exiſtentiam boni eò præcisè, quòd bonum non appareat, vt exiſtens; ſed oportet apparere, vt non exiſtens. Atqui, vt eſt de ratione gaudij reddere animum quietũ, & lætum propter exiſtentiam boni; ita eſt de ratione deſiderij reddere animum poſitiuè inquietum, & cruciatum propter non exiſtentiam boni: ergo ſicut ad gaudiũ requiritur præſentia intentionalis poſitiua boni conſiſtens in notitia boni, vt præſentis; ita ad deſiderium opus eſt abſentia intentionali poſitiua conſiſtente in notitia boni, vt abſentis.

6 Ex quibus fit primò, non ſufficere ad deſiderium abſentiam intentionalem boni præciſiuam conſiſtentem in eo, quòd in ſigno, vel congerie cauſarum influentium in deſiderium non includatur notitia repræſentans præſentiam boni. Nam, vt nuper vidimus, requiritur vlteriùs, quòd inter cauſas excitatiuas deſiderij includatur poſitiuè notitia repræſentans bonum, vt fortè ſaltem non exiſtens pro illo tempore, pro quo exiſtere deſideratur. Vbi enim hæc notitia deſit, non adeſt notitia ſufficiens ad excitandum affectum cruciãtem animum propter defectum rei amatæ. Neque obſtant, quæ Recentiores opponunt. Primò enim dicunt, poſſe nos deſi-

de-

derare, quòd nobis Deus conferat aliquod bonum, poteritque Deus in eodem instanti conferre bonum desideratum: quemadmodum in eodem instanti, quo gratiam habitualem meremur, Deus illam nobis cõcedit, & in eodem momento, quo desideramus honestè gratiam vberiorem, eandem ipsomet desiderio comparamus. Secundò videtur indubitatum, posse parentes deprecari, ac desiderare filio bonam valetudinẽ, Deũq; illam in eodẽ momẽto cõcedere intuitu precum, ac desiderij.

7 Tertiò addunt alij secundùm Athanasium oratione 8. contra Arrianos, Patrem Æternum *esse cupitorem Filij*, quod non est aliud, quàm desiderare Filium; & tamen Pater nullatenus cognoscit Filium fortè abfuturum ab eo signo, quod cum existentia Filij coniungendum desideratur. Quartò iuxta probabilem sententiam, quam tuetur P. Alarcon 1. p. tract. 3. disp. 1. cap. 4. n. 7. in Patre datur respectu Filij appetitus innatus per modum desiderij, quanuis nullatenus Filius deesse possit: ergo poterit dari desiderium elicitũ, & si nullatenus Pater cognoscat Filium, vt fortè | defuturũ. Quintò, lapis omnino expeditus, vt in centrum descendat, causæque necessariæ similitèr expeditæ, vt producant suos effectus, desiderant innatè terminos istos; & tamen realitèr nullatenùs absunt ij termini à tempore, cum quo desiderantur coniungi: ergo similitèr poterit animus desiderare elicitè bonum, quod nullatenùs abest intentionalitèr, & apparentèr. Nam, vt se habet absentia realis ad desiderium innatum; sic se habet absentia apparens ad desiderium elicitum, vti appetitus innatus fertur ad bonum reale; ad apparens autem appetitus elicitus. Vltimò. Nam illud Petri, Ep. 1. cap. 1. *In quem desiderant Angeli prospicere* exponunt Beda, Bernard. Hugo, Titelm. Cornel. & alij de Angelis auidissimè intuentibus in cœlo humanitatem Christi. Ex suppositione autem status beatifici formidare non possunt humanitatem Christi ab ipsorum intuitu subducendam esse. Plura ex his extendi possunt contra id, quod diximus num. 2. fine.

8 Verum hæc omnia parum vrgent. Ad primum respondeo. Poterimus in eo casu desiderare bonum; & in eodem momento consequi, si tunc adsit notitia, dubium, suspicio, vel formido mentis, quòd fortè non consequemur; secùs, si desint hæc omnia. Quamobrem, si quis ita firmitèr sibi persuadeat, quòd bonum consequetur in eo momẽto, | vt nullus sit locus vel | suspicandi oppositum, ea ipsa firma persuasio impediet desiderium eius boni: quemadmodum RR. cum

cum quibus agimus, conuenientes nobiscum in doctrina tradita num. 1. dicere tenentur, notitiam, quæ proponeret, bonum esse à nobis consequendum omninò facilè, & pro nostro mero nutu facillimè exercendo, impedituram esse, quominùs eius boni desiderium excitaretur. Quapropter in his casibus posset quidem voluntas amare per amorem strictum consecutionẽ eius boni; non autem desiderare. Hinc similitèr ad secundum dicatur, posse parentes in eodem momento, quo sanitatem filij consequuntur; eandem desiderare, si tunc habeant aliquam saltem suspicionem, quòd ipsam non obtinebũt; secus, si eam saltem suspicionem non habeant. Quo fit, si citra omnem suspicionem ad oppositum, sibi persuaderent ex vna parte, quòd, ipsorum desiderio posito, sanitas infallibilitèr obtineretur, & aliũde, quòd ipsa non deficiet, siue ex defectu desiderij, siue aliundè, hæc ipsa notitia desiderium impediret. Id, quod arguentibus mirum esse non debet. Nam ex ipsorum principijs, si parentes sibi firmitèr persuaderent, eam esse sanitatem obtenturos ex eo præcisè, quòd eliciant ipsius desiderium ipsis pro mero suo nutu promptissimum, hæc ipsa notitia desiderium impediret.

9 At contra dicta replicabitur difficultèr quoad speciem. Sicut nullus desiderare videtur, quòd pro tali tẽpore existat id, quod firmitèr iudicat existere pro tali tempore citra omnem suspicionem oppositi; sic nullus orare videtur pro existentia rei in tali tempore, clarissimè videns eam tunc existere citra omnem suspicionem oppositi. At hoc secundum non ita prefsè verũ est, quin possit oratio fundi pro existentiâ rei in tali tempore, quæ ex vna parte clarissimè cernitur exercenda, si ponatur oratio; & ex aliâ parte constat, non esse defuturam ex defectu orationis: ergo neque primum illud adeò strictè verum est, quin possit dari desiderium circa rei existentiam in tali tempore, cùm tamen eam existentiam exercẽdam esse pro tali tempore, si ponatur desiderium, clarissimè constet; & aliunde compertum etiam sit, nõ esse defuturam defectu desiderij. Minor, quæ sola videtur difficilis, patet in Christo D. cui clarissime constat, se esse obtenturũ salutem Petri, si hanc petat à Patre in hoc instanti; & aliunde ipsi Christo experienti se nunc fundere talem orationẽ, vt ponimus, notissimum est non defuturam salutem Petri ex defectu talis orationis.

10 At in primis hoc argumentum, vt intuenti constabit, eâdem ratione opponi poterit nobiscum sentientibus, non esse obiectũ desiderij id, quod amãti

proponitur, vt facillimè obtinẽdum ab ipso pro suo mero arbitratu facillimè exercendo. Deinde respondeo, maiorem ex vtraque parte videri peræquè veram, inspectis quoad primam faciem desiderio, & oratione: causaque deceptionis est, quia frequentissimè contingit, vt illa sola petamus, quæ desideramus; vnde oritur existimare, non dari requisita ad orationẽ, vbi non dentur requisita ad desiderium. Non tamen est vera maior, introspectis naturis orationis, & desiderij. Concessâ ergo minore, negatur consequentia. Discrimen est. Nam petitio, & oratio non est aliud, quàm actus, quo aliquis se alteri submittit, significando humilitèr, se velle (siue per volitionem, quæ sit desiderium, siue quæ sit amor specialitèr dictus à desiderio, & gaudio distinctus) talem rem ab illo fieri, quem in ordine ad hoc quasi Superiorem agnoscit. Contra hoc autem nullatenùs est, orantem videre ex vnâ parte talem rem obtinendam esse ex vi talis significationis sui animi, & aliũdè videre, quòd iam ipse talem animũ significat, & consequentèr non posse rem petitam deficere ex defectu talis significationis. At desiderium alicuius rei, vt condistinctum ab amore specialitèr dicto, & à gaudio, est affectus inquietans, & affligens animum, eo quòd, eo desiderio stãte, nõ adest amanti securitas plena de consecutione rei amatæ. Patet autem, cum hoc non cohærere, quòd amans sciat omni claritate, & rem amatam esse ponendam, posito desiderio, & iam exerceri desiderium.

11 Ad tertium ex num. 7. dicatur, cupere non solùm significare idẽ, ac desiderare, & optare; sed interdum idem, ac bene velle, vt testatur Ambrosius Calepinus id probans exemplis Cæsaris, & Cicer. Vndè, cum Pater Æternus, tametsi, presèloquendo, non desideret Filiũ, benè velit absque dubio Filium, iure potuit Athanasius appellare Patrem *cupitorẽ Filij*. Ad quartum respondeo, eam opinionem esse falsam, quicquid sit de probabilitate ipsius. Nã, si fortè Pater appetat innatè Filium, talis appetitus erit, vel per modũ innati gaudij, vel amoris stricti, prout infra decernemus de appetitu elicito. Ad quintũ. Causæ illæ sumptæ, quatenùs adeò determinatæ ad suos effectus, vt iã neque diuinitus possint ab ipsis diuelli, appetunt innatè, vel per modum amoris stricti, vel per modum gaudij tales terminos, iuxta modum, quo infra statuemus Patrem amare Filium, & vtrũque pro priori originis amare Spiritũ S. cum quo stat, eas causas, prout non adeò determinatas, & completas; sed in statu alicuius contingentiæ, vt vltimò deter-

determinentur, & compleatur vel secùs; & consequenter, vt separentur, vel non separentur à suis terminis, & hos terminos, & illud complementum appetere innatè per modum desiderij. De his satis in Philosophia. Ad vltimum dicatur. Si Patres illi, & interpretes attentè legantur, constabit, scopum ipsorum non esse adstruere talem affectum esse propriſsimè desiderium; sed Angelos eâ iucunditate intueri humanitatem Christi D. vt quâuis eam clariſsimè cernant, certiſsimique sint non esse in æternum ab ipsorum mentibus elabendam, perinde vsque ad fastidium non exſatientur, ac si non tam ipsâ fruerentur, quàm auidiſsimè desiderarent.

CAP. II.

Eiusdem instituti prosecutio.

12 QVæres tertiò. An absentia boni desiderati sit solum conditio, quæ, vt cognita, requiritur ex parte subiecti ad excitandum desiderium, vel etiam desiderium respiciat ipsam tanquam obiectum? Antiquiores Philosophi, & Theologi supponere videntur, desiderium, & gaudium ex ipsis obiectis distingui, quatenùs desiderium respicit ex parte obiecti absentiam boni desiderati; secus autē gaudium, quod non absentiam, sed præsentiam respicit. At verò Recentiores communiter sentiūt, absentiam boni desiderati nō se tenere ex parte obiecti, quod à desiderio respicitur; sed esse purè, putèque conditionem, quæ ex parte subiecti requiritur, vt cognita, ad excitandum desiderium. Cuius ratio videtur efficax. Nam obiectum desiderij præcisè est illud, quod desideratur, & motiuum, propter quod desideratur. At absentia boni amati, neque est bonum, quod desideratur; sed potius malum, quod odio habetur; neque est motiuum, propter quod desideratur bonum amatum. Nam, quod mouet ad desiderium boni, est honestas, cōmoditas, vel iucunditas, quā tale bonum secū affert; non autem absentia boni, vt patet in sanitate, aliisque bonis, quæ cupimus: ergo non est obiectum desiderij absentia boni desiderati; sed præcisè circūstantia, quæ prænosci debet, vt desiderium excitetur.

13 At, iuxta principia stabilita, vera sentētia est, absentiā boni desiderati, non solum esse circunstātiam extrinsecè præcognitam, vt excitetur desiderium; sed etiam obiectum intrinsecè spectatum ab actu desiderij. Ratio est. Quia sicut actus gaudij non habet præcisè rationem amoris afficientis animum erga bonum secundùm se; sed etiam rationem quietis lætificantis ex

præsentiâ boni, vnde capitur ea lætitia; sic desiderij actus non habet præcisè rationē amoris; sed etiam rationem positiuæ inquietationis affligentis, & cruciantis animum ex boni absentiâ, vnde capitur talis afflictio, & contristatio. At priori de causâ gaudium, in ratione amoris, respicit, vt obiectum amatum, bonū illud, circa quod versatur; deindeque respicit, tanquam obiectū quietans, & lætificans, eiusdem boni præsentiam: ergo similiter desiderium in ratione amoris respiciet, vt obiectum amatum, & desideratum, bonum illud, ad quod tendit; at verò tanquam obiectum positiuè inquietans, & affligēs, eiusdem boni absentiā. Confirmatur, & explicatur. Nā quandiu in eūdem affectū duæ rationes confluunt, altera conuersionis, & amoris; altera verò auersionis, & fugæ, certè, sicut obiectū, in quod eo affectu voluntas conuertitur, non est præcisè circumstantia requisita tanquam prænognita; sed obiectū eius affectus, quatenus amoris, & conuersionis; ita obiectum, à quo eodem affectu voluntas auertitur, non erit præcisè circūstantia requisita tanquam prænognita; sed obiectum eius affectus, quatenus auersionis, & fugæ. Sic quando actu cōtritionis detestamur peccata propter bonitatē Dei, quem eo actu formaliter, aut virtualiter amamus, Deus est obiectū, quod volūtas eo actu amat; peccata vero obiecta, quæ detestatur eodē actu. Cum igitur desiderium afficiat voluntatē erga bonū optatum; & propter huius absentiā animum cruciet, prædictū bonū erit obiectum amatū, vel, vt aiunt, obiectum illi⁹, quatenus amoris; at absentia boni erit obiectum illi⁹ non quidem amatum; & desideratum; sed crucians, & cōtristās, id est, obiectum eius actus, quatenus inquietationis, & contristationis. Vnde patet ad rationē positam n. 12. quæ solū probat, absentiam boni non esse obiectū desideratum, & amatum, neq; rationē obiectiuā amandi, quod desideratur; non autem probat, non esse obiectū inquietans, & affligēs, nimirū illius actus, quatenus inquietationis, & afflictationis. Ex principijs consimilibus trademus fortasse tract. de Spe non contemnendam doctrinam pro assignandis spei, & desperationis obiectis, quatenus tradūtur à Principib⁹ moralis Philosophiæ, & Theologiæ Scholasticæ.

14. Explicatâ naturâ desiderij, proptū est decernere, quid sit dicēdū ad duplicē aliā quæstiūculā. Prima, & in ordine quarta est, quid sit gaudiū? Resp. esse affectū voluntatis circa bonū, qui reddit animum quietum, & lætum eò, quòd bonum iam appareat præsens. In hoc omnes cōueniunt, estque de se clarissimū

ex-

explicationē non indigens. Secunda, & in ordine quinta quæstio est. An desiderium, & gaudium distinguantur ex distinctione obiectorum, circa quę versantur; an præcisè ex diuerso modo tendēdi circa idem? Respondetur facilè ex dictis num. 13. Non distinguuntur ex obiecto, quod desideratur, & quod delectationem parit; sed in ordine ad hæc obiecta distinguuntur præcisè ex modo tendendi. Distinguuntur tamen ex obiecto inquietante, quando datur desiderium; & quietante, quando datur gaudium. Prima pars patet. Nam ipsa existentia boni, quæ gaudium parit, quando apparet præsens, & ex quâ sic apparente capitur gaudium, est id ipsum, quod desideratur, quando apparet absens. Nam quis dubitet, ægrotum auidissimè desiderantem sanitatem, non sanè desiderare meram possibilitatē ipsius; sed ipsam existentiam, quâ exercita gauderet? Idem ergo est obiectum, quod vno modo apparēs desideratur; & aliter apparens terminat gaudium. Hinc patet secunda pars, nempe desiderium, & gaudiū in ordine ad obiectum, quod desideratur; & obiectum, quod terminat gaudium, nō distingui ex diuersitate obiectorum, quippè talis diuersitas non est; sed ex modo tendendi, quatenùs desiderium inquietè tendit ad bonum optatū; gaudium autem pacatè quiescit in eo bono, ex quo capitur. Tertia pars constat. Nam obiectum inquietans, quando datur desiderium, est absentia boni terminantis desiderium; & obiectum quietans, quando datur gaudiū, est præsentia eiusdem boni terminantis gaudium. Constat autem, inter se distingui absentiam, & præsentiam eiusdem boni.

15 Quæritur sextò. An præter desiderium, & gaudium detur in voluntate alius affectus circa bonum, qui vocari solet, iam amor strictus, iā amor specialitèr dictus, iam simplex cōplacentia boni, vt bonis Negant Aureol. & Gregor. citati num. 7. Reliqui tamen Philosophi, & Theologi verissimè affirmant. Et ratio est manifesta. Nam potest proponi obiectum, vt in se bonum, & etiam vt nobis bonum, quin propenatur siue vt absens; siue vt præsens; siue vt non habitum; siuè vt habitum, sed præscindendo ab his omnibus rationibus: quippè nec leuis vmbra repugnantiæ in hoc apparet. At voluntas affici potest erga bonum sic propositum, siquidem ea propositio monstrat bonitatem attractiuam affectus. Deinde affectus, quo circa bonum sic propositum volūtas afficitur, neque est desiderium, ad quod requiritur bonum proponi, vt aliquomodo absens, & nō

habitum: neque est gaudium, ad quod requiritur bonum proponi, vt præsens, & habitum: ergo est amor quidam specialis distinctus à desiderio, & gaudio, quem iam vocamus amorem strictū; iam amorem specialitèr dictū; iam simplicem complacentiam boni, vt boni.

16 Quæritur septimò. An amor strictus (sic deinceps appellabimus affectum nuper explicatum) differat ex obiecto; an præcisè ex modo tendendi ab affectu gaudij? P. Arriaga, P. Oniedo iam citati, subtilesque Recentiores, qui cæteris accuratiùs rem hanc agitarunt, ex veritate sentiunt, hos affectus, non ex obiecto; sed præcisè ex modo tendendi differre. Non differre hos affectus *necessariò* ex parte obiecti, nempè contingere posse, quòd ex parte obiecti nō differant, probatur. Nam, si sumamus duplicem hunc affectum: *Placet mihi id, quod est me esse sanum, quia hoc tale bonum est.* Itē: *Gaudeo bonum hoc, nempè me esse sanum, existere*, sanè prior affectus est amor strictus, quippè nō requiritur ad ipsum tale obiectum proponi, siue vt absens, & non habitum; siuè vt præsens, & habitum: posterior autem affectus est gaudium, vt patet. At eiusmodi affectus haud quaquā differunt ex obiecto: ergo amor strictus, & gaudium non differūt necessariò ex parte obiecti. Probatur minor, quia obiectum vtriusque affectus præsignati est præcisè hæc specialis bonitas: *Existentia sanitatis in me*: ergo prædicti affectus omninò conueniunt in obiecto. Explicatur. Nam, si sumamus duplicem istū actū intellectū: *Duratio hodierna Petri est exercitiū huius, quod est durare Petrū hodie.* Itē: *Duratio hodierna Petri exercetur secūdùm suam naturam*, certè huiusmodi actus omninò conueniunt obiecto: nam, si quæras obiectum attactum ab vno, nihil inuenies, quod non attingatur ab alio. Tamen hi actus valdè diuersi sunt in modo tendendi. Nam prior est modus mentalitèr identificans eius durationis essentiā cū suis prædicatis essentialibus; posterior autem est modus assertiuus existentiæ in rerum naturâ talis durationis. Similitèr ergo, licet affectus præsignati differant ex modo tendendi; conueniunt tamen omnino in obiecto. Vide dicta tract. de Scientiâ, disp. 10. cap. 4.

17 Dixi, eos affectus nō differre *necessariò* ex parte obiecti. Nam sicut vnum gaudium potest ab alio gaudio ex obiecto differre, quo pacto gaudiū de salute animæ differt à gaudio de salute corporis; sic potest aliquis amor strictus ab aliquo alio gaudio ex obiecto differre, quod in dubium verti non potest. Quare solum potest esse quæstio, an de essen-

essentiâ amoris stricti circa aliquod bonum, non exigentis ex suâ præcisè ratione, quòd tale bonum appareat existens, & possessum, sit distingui ex obiecto à gaudio circa idem bonum, exigente ex essentiâ suâ, quòd tale bonum appareat, vt existens, & possessum. In quo dubio placuit pars negatiua. At quâ ratione possit expeditè declarari diuersitas eorum affectuum ex modo tendendi non est omnino facilé, vt inferius constabit. Quapropter placet prius alias faciliores quæstiones expedire. Verum ante illas, obijcies contra doctrinã traditam num. 16. prædictos affectus differre obiecto formali. Nam per amorem strictum amamus sanitatem, quia bonam; per gaudium autem gaudemus de sanitate, quia possessa à nobis: vnde obiectum formale amoris stricti est bonitas sanitatis; possessio verò, gaudij. At bonitas sanitatis distincta est à possessione ipsius: nam sanitas est in se ipsa bona, præscindẽdo ab eo, quòd nobis inhæreat: sicut, eâdem inhæsione præcisa, gratia habitualis est bona in se: ergo eiusmodi affectus distinguuntur obiecto formali.

18 Confirmatur. Nam etsi bonitas peculiaris huius, quòd est *Petrum esse sanum* identificetur realitèr cum eo, quòd est Petrum possidere sanitatem; tamẽ stat hoc vltimum esse obiectum formale gaudij; & non amoris stricti; cõtra verò primum amoris stricti; non autem gaudij. At illi affectus distinguũtur obiecto formali, quorum alter habet obiectũ formale, quod non alter: ergo cum identitate in esse rei obiectorum amoris stricti, & gaudij componitur distinctio in esse obiecti rationum obiectiuè mouẽtium ad eos affectus. Maior, quæ sola est difficilis, patet primò à paritate veritatis, & bonitatis. Nam in esse rei idẽ sunt, verum esse Petrum esse sanum, & bonum esse Petrum esse sanum. At prius est obiectum formale assensus intellectualis; non verò amoris; contra verò posterius est obiectum formale amoris; non assensus intellectualis, quippe assentimur obiecto, quia vero; non quia bono; contra verò amamus obiectum, quia bonũ; non quia verum: ergo cum identitate reali duplicis rationis obiectiuæ stat, vnam, & non aliam mouere ad vnum actum; & oppositum accidere respectu alterius actus. Patet secundò, quia licet diuinæ scientiæ impossibile sit præscindere, nempe cognoscere vnam formalitatẽ sine alia identificata; tamen ipse diuinus amor potest præscindere. Nam, & potest Deus mediũ conducens ad plures fines amare, vt conducens ad vnũ, & non

vt ad alium, quãuis vtraque vti litas identificentur realiter; ac deinde, si exerceres actum indiuisim tendentem in vnum obiectum honestum; & in aliud indifferens, quanuis vtraque tendentia realitèr identificentur, posset Deus velle remunerare talem actum propter tendentiã in obiectum honestum; & non propter tendentiam in obiectum indifferens. Et quis dubitet, posse nos amare Deum, quia misericordem; non amando interim ipsum, quia iustum, quanuis diuina misericordia, & iustitia realitèr identificentur?

19 Hic video, viros alioquĩ doctissimos, & ingenio plenos æquiuocationem pati relegandam accuratè. Ad argumentum nego prædictos affectus *necessario* differre obiecto formali. Ad probationẽ in contrariũ respondeo. Per illum peculiarẽ amorẽ strictũ, de quo nunc loquimur, amamus sanitatem propter specialem bonitatẽ, quæ in eo est, vt possideamus sanitatem: gaudemusque de sanitate, quia eam bonitatem possidemus. Iã verò possidere sanitatẽ, specialisque bonitas, quæ in eo est, vt ipsam possideamus, sunt reipsa omnino idem: quia sanitatem possidere, est se ipso illa specialis bonitas, quæ est in possidere sanitatem. Vnde obiectum formale amoris stricti, & gaudij, de quibus loquimur, idem sunt, quidquid sit de alio amore stricto tendente in bonitatem sanitatis condistinctam à bonitate possessionis comparatiuè ad gaudium, cuius obiectum formale sit possessio sanitatis.

20 Ad confirmationem respondeo, distinguendam esse maiorem; negandumque omnino est, cum eâ identitate reali obiectorum stare, quòd vnum sit *reuera* obiectum formale amoris stricti; & non aliud (idem proportionatè dicendum est respectiuè ad gaudium) concedendumque est cum eâ identitate stare, totum illud obiectum sub vno nomine, & cognitione esse obiectum formale amoris stricti; & similitèr totum ipsum obiectum sub alio nomine, & cognitione non esse obiectum formale amoris stricti, paritèrque dicendum in ordine ad gaudium. Itaque vis omnimodæ identitatis realis, quæ datur inter bonitatem specialem possidendi sanitatem, & possidere sanitatem, præstat, vt nihil reuera possit exercere vnum istorum extremorum, quod non exerceat aliud. Imperceptibile quippè est, quòd in eo statu, vbi non est vnum, & aliud; sed præcisè vnumquid, detur locus, vt vnum exer-

exerceat aliquid, & aliud exerceat aliud, & consequenter reuera in statu reali implicat, eam bonitatem specialem possidendi sanitatem mouere ad amorem strictum, & non mouere possidere sanitatem. At verò quia modus tendendi amoris stricti est iste: *Amo bonum possidendi sanitatem, quia tale bonum est*: ac deinde modus tendendi gaudij est iste: *Lætor de bono sanitatis, quia tale bonum possideo*: idcirco tantùm prædictum obiectum sub his terminis, & sub hâc notitiâ: *Bonum possidendi sanitatem tale bonum est*, denominatur obiectum formale amoris stricti; & sub eis terminis præcisè nõ denominatur obiectum formale gaudij; cum tamen denominetur obiectum formale gaudij sub his alijs terminis: *Possideo bonum sanitatis*. Vnde totũ discrimẽ horum affectuum in modo tendendi est.

21 Hinc intelligitur primò, quomodo sit accipiendum talia obiecta, quæ alioqui prorsus idem sunt in esse rei; distingui tamen intentionalitèr in esse obiecti: non quidem, quia vna formalitas intrinseca obiecti sit obiectum amoris, & alia non sit: hæc enim altetas vnius, & alterius formalitatis intrinsecæ falsâ suppositione laborat; sed quia totum obiectum, vt subest vni modo cognoscendi, denominatur proximè motiuum ad amorem strictum; idemque totum obiectum, vt subest alteri modo cognoscendi, denominatur proximè motiuum ad gaudium.

¶ Intelligitur secundò, quâ ratione verum habeat, quòd veritas intrinseca obiecti sit obiectũ formale assensus; non autem amoris; contra verò bonitas intrinseca obiectũ formale amoris; non assensus, nimirum, quia licet totum obiectum, nempè veritas, & bonitas sit reipsa obiectum formale vtriusque actus; tamen totum obiectum denominatur proximè motiuum assensus, prout subest apparentiæ suadenti rem ita se habere; amoris autem, prout subest apparentiæ suadenti rem esse bonam.

22 Hic tamen oportet adnotare duo. *Primum*. Quanuis loquendo in genere de obiecto formali assensus, vt sic; & de obiecto formali amoris, vt sic, obiectum formale assensus, vt sic, denominetur tale, prout est cognoscibile subiacens apparentiæ suadenti aliquid reuera conuenire ipsi; necnon obiectum formale amoris, vt sic, denominetur tale, prout subiacet notitiæ suadenti prædicatum bonitatis ipsi conuenire; cæterum obiectum formale huius determinati assensus: *Bonum est Petrum esse sanum* denominatur obiectum formale proximè motiuum ad ipsum, vt subest eidem notitiæ, quâ

quâ denominatur obiectū formale proximè motiuū ad hunc amorem: *Mihi placet Petrum esse sanum.* Nam hoc obiectum apparere bonum, constituit ipsum proximè potens mouere, & ad hoc, vt ametur; & ad hoc, vt iudicetur esse bonum. Quamobrem hîc non est locus, vt dicatur, obiectum prædicti assensus, & obiectum prædicti amoris distingui in actu primo ante hunc assensum, & amorem; distingui, inquam, in esse obiecti, quatenus constituitur obiectum potens proximè mouere ad talem assensum per notitiam ostendentem esse verum; & potens proximè mouere ad talem amorem per notitiam ostendentem esse bonum. Nam, vt vidimus, per eandem notitiam ostendentem hoc obiectū esse bonum, cōstituitur ipsum obiectum proximè potens mouere ad vtrumque istum actum.

23 Secundum est. Vt communi modo loquendi, & sentiēdi, qui mihi semper magni est, demus quicquid possimus, adhuc in eo euentu defendi potest in aliquo vero sensu, tale obiectum, vt verum, & non vt bonum terminare prædictum assensum; contra verò, vt bonum; & nō vt verum, terminare prædictum amorem: non quia non terminet se toto tales actus; sed quia terminat assensum per modum obiecti verificantis ipsum, verificareque actum intellectus est exercitiū in ordine ad quod obiectū denominatur verum; ac deinde terminat amorem per modum terminantis vnionem affectiuam voluntatis ad ipsum, & hoc modo terminare actum voluntatis est exercitium, in ordine ad quod denominatur obiectum bonum. Quod si (vt cōtingit in essentia Dei comparatione intellectionis, & amoris necessarij, quibus intelligitur, & amatur ab ipso Deo) sint omnino idem reipsa veritas intrinseca, & intrinseca bonitas obiecti; item apparere obiectum, vt verum, & apparere, vt bonū; item intelligi secundùm se totum, & amari secundum se totum, tunc sanè, licet non reipsa; tamen ratione nostra essentia diuina, vt vera; & non vt bona, terminabit intellectionem diuinam; vt bona autem, & non vt vera, terminabit diuinum amorem: quibus reduplicationibus non aliud significatur, quàm essentiam diuinam cognitam à nobis in ordine ad Deum cognitum sub expressione præcisâ intelligentis, cognosci à nobis sub terminis *verificantis* intellectionem diuinam; non verò sub terminis affectiuam vnionem voluntatis *terminantis*; contra verò cognitam à nobis in ordine ad Deum innotescentem sub expressione volentis, cognosci à nobis directè sub terminis affectiuā vnionem

nem voluntatis terminantis; nō verò directè sub terminis verificantis &c.

24 Constat tertiò, quomodo intelligendum sit, nos interdum amare Deum, quia diuinæ misericordiæ attributo potitur; non tamen quia iustitiæ; cum aliunde huiusmodi attributa sint reipsa prorsus idem. Non quidē hoc intelligendum est, vt perperam plures concipiunt, quasi circa eum affectum aliquid præstet diuina misericordia, quod non præstet diuina iustitia: hoc enim manifestè pugnat cū omnimoda idētitate vtriusque; sed accipiendum est, quatenus talis affectus ex modo affectiuo tendendi in Deum non postulat dirigi ex notione, quæ Deum exprimat, & nominet iustum; sed ipsi sufficit dirigi ex illa, quę Deū nominet, & exprimat misericordem. ¶ Difficilius est, quod attingitur num. 18. de præcisione diuini amoris inter formalitates in sensu reali, & intrinseco penitus identificatas: quam præcisionem in affectu concedunt acutissimi Recētiores, eandem totis viribus in cognitione negātes. Quibus ego nō possum meū sensum attemperare, quia percipere nequeo, quomodo sit contra summam identitatem realem formalitatum, vnam terminare vno modo cognitionē, & aliam non terminare cognitionem eodem modo; & tamen non sit contra omnimodam identitatem realem formalitatum, vnam terminare vno modo affectum; & aliam non terminare affectum eodem modo.

25 Propterea respondeo ad primam probationem factam pro præcisione obiectiuâ diuini affectus. Quando respectiuè ad medium vtile ad duos fines dicitur Deus ipsum amare, vt vtile ad vnum finem; & non vt vtile ad aliud, non est hoc intelligendum, quasi ex parte obiecti à Deo ametur vna medij vtilitas; & nō ametur alia omnibus modis intrinsecè identificata cum prima; sed ita est intelligendum, vt quauis ex parte obiecti amati attingatur à Deo quicquid est in medio; ex parte tamen modi amandi sic totum medium attingat, vt amet ipsum amore ordinatiuo ipsius ad vnum finē; non tamen amore ordinatiuo ipsius ad alium finem. Hic autē non datur, vt patet, præcisio affectus inter formalitates intrinsecas medij; sed denotatis diuersis affectibus circa idem mediū, cōceditur vnus, & negatur alius. Sic Deus contulit D. Aug. mirādum illud, & excelsum ingeniū, in quo identificè coniungebantur vtilitas, vt August. magnificaret Deum, & vtilitas, vt superbè eleuaret se supra se. Deus amauit quidquid intrinsecū erat ingenio Augustini: nihil enim in ipso erat turpe, & à Deo non ama-

amabile; tamen nō amauit Deus tale ingenium amore ordinante ipsum, vt homo se exaltaret supra se; sed vt exaltaret Deum. Vt tamen semper, vt oportet, in rebus præsertim diuinis, castissimè loquaris, nunquam dixeris Deum amare tale ingenium, vt vtile ad superbiam: his enim vocibus non significatur præcisè amari à Deo id ipsum, quod est ea vtilitas; sed eam vtilitatem ordinari à Deo ad superbiam, quod nefas esset dicere.

26 Maius negotium facessere videtur secūda probatio. Cui tamen respondeo, Deum non remunerare illum actum, quia *præcisè* tendit in obiectum indifferens; neque quia *præcisè* tendit in obiectum honestum. Nā huiusmodi præcisio implicatoria est, tum ex parte ipsarum tendentiarum, quippè sunt ex parte sua vnum quid omnino insectile, tum ex parte diuinæ notitiæ, quę indiuisim cognoscit eū actum secundùm se totum, tum ex parte diuini affectus, qui incapax est attingendi vnum, & nō aliud, vbi non est vnum, & aliud. Propterea dicatur, Deum remunerare illum actum, quia se toto identificat tendentiam ad obiectum indifferens cum tendentiâ ad obiectum honestum. Vbi nota. Quanuis re ipsa, intrinsecè, & ex parte obiecti non minus moueat Deum ad remuneratio. nem identitas tendentiæ ad obiectum honestum cum tendentiâ ad obiectū indifferens, quàm identitas tendentiæ ad obiectum indifferens cum tendentia ad obiectum honestum: hæc enim, & illa identitas distinctæ voces sunt; ipsissima tamen res; at congruentius dicitur, Deum remunare illum actum, quia se toto identificat tendentiam ad obiectum indifferens cum tendentia ad obiectum honestum, quàm conuersim. Nam dicere, Deum remunerare talem actum, quia cum tendentiâ ad obiectum honestum identificat tendentiam ad indifferens, quodammodo innuit, vel magis; vel saltem non minus, ex genere suo mouere ad remunerationem diuinam actus tendentes ad obiectum indifferens; quàm tendentes ad honestum, quod falsum est. Nam actus tendens ad indifferens non est idoneus, vt moueat ad remunerationem, nisi simul tendat ad honestum; actus autem tendens ad honestū idoneus est, vt moueat Deū ad remunerationem, tametsi non tendat simul ad ob-

obiectum indif-

ferens.

(*.*)

CAP.

CAP. III.

Comparantur inter se prædicti affectus quoad identitatem, ac distinctionem: oppositionem, & compositionem: & aliæ quæstiones resoluuntur.

27 OCtaua quæstio sit. An amor strictus opponatur cum desiderio, & gaudio eiusdem obiecti; an verò possit componi cum desiderio, necnō cum gaudio? Communis, & vera sententia est affirmans, amorem strictum cum quolibet eorum affectuum posse componi. Cum desiderio quidem, quia benè stat, placere obiectū, quia bonum apparet; & pro illo affectuosè inquietari, quoniam apparet absens. Deinde cum gaudio, quia benè stat, placere obiectum, quia bonum apparet, in ipsoque lętanter quiescere, quòd appareat præsens. Porrò autem, cum non opponantur, sed componantur causa, & effectus; & placere bonum, quia bonum, sit frequenter causa desiderandi ipsum, quandiu apparet absens, & in ipso gaudendi, quandiu apparet prętens, constat non opponi; sed componi amorem strictum tam cum desiderio, quàm cum gaudio. Sed in re clarissimâ immorari non expedit. Vtrùm autem in nobis distinguatur semper realiter amor strictus, & desiderium: necnon amor strictus, & gaudium, commodius deducetur, postquam modum tendendi stricti amoris cuiscremus.

28 Quæres nonò. An desiderium, & gaudium eiusdē obiecti possint simul cōponi? Pars negatiua videtur certa. *Primò.* Quia desiderium, & gaudium connectuntur essentialiter cum notitijs, quæ non possunt simul componi. Desiderium quidem cum notitia, quòd tale bonum est absens; gaudium autem cum notitia, quòd idem bonum est præsens. *Secundò.* Quia per desiderium inquietatur volūtas circa bonum propter huius absentiam; per gaudium autem quiescit in eodem bono propter ipsius prętentiam. At non sunt cōponibilia circa idem inquietari, & in eodem quiescere. Hinc *tertiò.* Per desiderium mouetur, & quærit voluntas bonum, vt illud acquirat: per gaudium in eodem acquisito quiescit. At non stant circa eundem terminū irrequietè moueri; & in eodem pacatè quiescere. *Quartò.* Desiderium est amor boni veluti mixtus cū tristitia absentiæ: gaudium autē est amor boni, veluti mixtus cū lætitia præsentiæ. Non autem stant tristari de eodem propter absentiam, simulq; lætari propter præsentiam.

29 Pars affirmatiua forsan alicui

alicui videbitur satis probabilis, etiam in nostris principijs, vbi clarior apparet eorum affectuū oppositio. *Primò*. Quia sicut non est implicatorium, hominem in eodem momento reali mereri augmentum gratiæ, & illud acquirere; sic non videtur implicatorius casus, vbi homo de suâ iustitiâ formidans, actum illum mentis, qui formido dicitur, eliciat dicens: *Fortè non habeo gratiam iustificantem*, deindeque in eodem instanti ad hoc desiderium ardens suæ iustitiæ excitetur: *Vtinam habeam iustitiam*: rursusque Deus in præmium huius desiderij notificet in eodē momento homini iustitiam habere, ac tandem homo in eodem instanti tali notitia instructus gaudium de sua iustitiâ capiat. Et quidem hoc iudicium: *Habeo iustitiam*, componibile est cum illo actu formidoloso: *Fortè non habeo*. Nam ponamus, iudicium illud esse duntaxat probabile, quod proinde componibile erit cum formidine de sui veritate. Vnde.

30 *Secundò* potest idē à priori suaderi. Nam vbi non implicet in eodem instanti coniungi notitias requisitas ad desideriū, & gaudium eiusdem obiecti, neque repugnat eos affectus coniungi, vt partim ex ipsis argumentis propositis num. 28. & plenius ex ipsorum solutione inferius adhibenda constabit. At non implicat talium notitiarum coniunctio: ergo neque talium affectuum. Minor probatur. Nā in eodem instanti possunt coniungi iudicium probabile de possessione alicuius boni, v. g. iustitiæ, & illa intellectualis formido: *Fortè non habeo iustitiam*: qui actus est quædam mentis inquietudo, ac minus plena satisfactio, ex eo quòd fundamēta rem ipsam stabilientia non satis firma appareant. At iudicium probabile de possessione alicuius boni sufficit ad gaudium: non enim semper ad gaudendum expectatur euidentia, vel certitudo diuinæ fidei de possessione boni: deindeque ad desiderium sufficit ille actus intellectus: *Fortè hoc bono careo*: is enim actus sufficit, vt voluntas affectuosè inquietetur pro bono, quod in pace quasi plena non possidet: ergo talium notitiarum, quæ ad desiderium, & gaudium requiruntur, simultanea coniunctio non implicat.

31 Itaque quanuis primo aspectu videatur perceptu difficile, simul conciliari desiderium, & gaudium eiusdem obiecti; tamen iunctis notitijs, de quibus num. 30. forsan neque impossibile, neque imperceptibile videbitur. Qui enim probabiliter iudicat, se possidere gratiam iustificantem; formidat tamen ne fortè fallatur, poterit hoc modo se exercere: *Gaudeo, quia, vt mihi*

mihi videtur, gratiam possideo. At, ò vtinam possideam, meumque gaudium fallaci, & infirmo fundamento non nitatur. Quocirca, si res attentè inspiciatur; non solùm videbuntur simul conciliari posse desiderium, & gaudium eiusdem obiecti; sed posse etiam identificari realitèr, quia, semel superata difficultate conciliationis, non videtur implicare, eundem indiuisum actum esse muneris, quod modo exposuimus. ¶ Confirmãtur superiora ex his, quæ iam olim defendi in nostris scholis Regijs Matritensibus, & postea placuisse video P. Ripalda tract. de Spe. Non enim minus pugnare videtur cum spe beatitudinis iudicium absolutũ, *quòd beatitudo non erit*, quã pugnat cũ desiderio gratiæ iudicium, *quòd iam gratia possidetur*, & gaudium ortum ex eo iudicio. At iudiciũ illud absolutum, *quòd beatitudo non erit*, si propter sui obscuritatem, vel quia merè probabile sit, det locum huic actui: *Fortè consequar beatitudinem*, non omnino intercludit aditum spei beatitudinis; sed aliquam ipsi spei, siue naturali, siue Theologicæ, de quo nunc non curo, viam aperit: ergo iudicium illud, & gaudium inde ortum: *Iam possideo gratiam iustificãtem*, componibile erit cum desiderio eiusdẽ gratiæ, si componibile sit, vt esse probauimus, cum illo actu: *Fortẽ fallor: fortè gratiam non habeo.*

32 Cum quibus omnibus rectè stabit, quòd, plerunque loquendo, adueniente gaudio de aliquo obiecto, quatenus possessio, cessaret desiderium, quo idem obiectum consequi optabamus. Quia communitèr voluntas non exercet gaudium, donec mens sit plenè certa de possessione rei, adeò, vt non possit, vel saltem actualitèr non formidet in oppositum. Quandiu enim eiusmodi formido mentem inuadit, inquietum potius desiderandi affectum, quàm gaudium pacatum volũtas exercet. Quãobrem, cùm ea saltem intellectualis formido de non possessione rei necessaria sit ad desiderium; patet, cõmunitèr hoc cessare, quando gaudium aduenit.

33 Ex quibus operosum nõ erit soluere, quæ opponebantur num. 28. Ad primum iam vidimus, desiderium, & gaudiũ non connecti essentialitèr cum notitijs inconiungibilibus. Ad secundum dicetur. Sicut in intellectu duplex est modus adhærendi obiecto, alius per assensum omnino firmum non permittentem, quòd vllatenus intellectus ab eo dimoueatur obiecto; alius per assensum infirmum admittentem formidinem ad oppositum aliqualitèr dimouentem intellectum ab obiecto, cui dat assensum; ita in voluntate duplex est gaudium: aliud, quod propter

fir-

firmissimam persuasionem possessionis rei, tam plena quies est, vt nullam circa talem possessionem inquietudinem subire patiatur; aliud, quod propter nutantem suasionem de possessione rei non præstat, vt in eâ possessione plenissimè conquiescat animus. Illud gaudium; non autem hoc postremum, incomponibile cum desiderio est, Hinc ad tertium. Plenissima quies in in obiecto cum aliquali motione circa ipsum componi non valet. Vnde gaudium plenissimè quietans cõponi non valet cum desiderio. At imperfecta, & inadæquata quies in obiecto, cum aliquali inquietudine, desideratiuaque motione cõponi queit. Similiterque ad quartum: cum plenâ, perfectâ, & adæquata lætitiâ nulla potest cohærere tristitia; benè tamen aliqua constare potest cum imperfecta, & inadequata delectatione. Hæc propter, sententia posterior forsan est verior.

34 Quæstio decima. Num affectus isti stricti amoris, desiderij, & gaudij queant circa bonum modo absoluto respectum; vel solùm circa bonum attactum respectiuè ad suppositum aliquod, *cui* amentur? Hoc sanè non erat in dubium vertendum, nisi quidam docti Recentiores cõtra communem mentem frustra sensissent. Accidit nõ semel, quòd bonũ aliquod præscindendo ab eo, quòd ipsum alteri amemus, placeat nobis, gratissimumque sit propter sui pulchritudinem, & tunc dicimus amare *modo absoluto* tale bonum. Sic propositâ nobis pulcherrima qualitate gratia habituali, necnon pulchriori visione beata, dubium non est, posse nobis eas qualitates placere propter suam eximiam pulchritudinem, præscindendo ab eo, quòd huic, vel illi supposito velimus ipsas. Cõtingit sæpius, quòd bonum amemus alicui supposito, vt salutẽ, & diuitias amico, & tunc dicimus amare obiectum *quod* respectiue ad obiectum *cui*. Obiectum *quod* est illud, quod alicui supposito amamus. Obiectum *cui* est illud suppositũ, cui amamus obiectum *quod*.

35 His pro claritate terminorum positis. Quæstioni respõdeo. Circa bonum attactum absoluto modo possunt dari tres illi affectus. Nam in intellectu possunt dari, v.g. circa gratiam habitualem, tres cognoscendi modi. Primus, quo, nulla mentione facta, num gratia habitualis existat, nec ne, repræsentetur, vt pulchra, & bona ex essentia sua. Secundus, quo bonum hoc repræsentetur abesse ex rerum natura. Tertius, quo bonum hoc repræsentetur existere in rerum natura. Indubitatumque est, nisi quis frustra proteruiat, ex primo modo cõcipiendi resultare posse

hunc

sunc affectum: *Placet habitualis gratia propter suam pulchritudinem*: ex secundo istum: *O vtinã tantum bonum non abesset è rerum natura; sed existeret*: & ex tertio istum: *Lætor, quia tantum bonum non abest; sed existit in rerum natura.* At eiusmodi affectus sunt modi tendendi specie diuersi, nulloque modo congruentiùs, & ad mentem authorum accõmodatiùs discerni, ac designari queunt, quàm si primus dicatur amor strictus modo absoluto tangens bonum; secundus desiderium; tertiusque gaudium: ergo, &c.

36 Roboratur. Similes modi tendendi diuersi, & ad suppositum, cui bonum amatur, respectiui, dicuntur affectus amoris stricti, desiderij, & gaudij respectiui ad suppositum: ergo non respectiui ad suppositum, cui bonum ametur, iure merito dicentur affectus amoris stricti, desiderij, & gaudij absoluti à respectu ad suppositum. Rursus. Quanuis communissimum sit effatum illud sumptum ex Arist. lib. 2. Rhetor. capit. 4. *Amare est velle alicui bonum*, non tam strictè hoc est accipiendum, quasi solùm sit amor, qui tendit ad bonum respectiuè ad suppositum, cui ametur: quippè experimur, nos etiam amare absolutè obiecta, volendo ipsa ipsis citra ordinem ad suppositum. At etiam experimur, quòd eo modo absoluto placẽt nobis obiecta propter suam bonitatẽ; anxiamur propter non existentiam; lætamurque propter existentiam: ergo similiter prædictæ species affectuum innegabiles sunt citra ordinem ad suppositum. Et quidem, vti possumus ipsum suppositum ipsi supposito velle iam amore stricto, iam desiderio, iam gaudio; cur non similitèr obiectum, quod suppositum non sit, ipsimet obiecto? Sed quid in re moror, quę solùm ex abusu vocum potest in disputationem vocari?

37 Quæstio vndecima. Quisnam affectus detur comparatiuè ad obiectum *cui*, formalitèr quatenus gerentis munus obiecti *cui*, vt condistincti ab obiecto *quod*: an amor strictus, an desiderium, an gaudium? Singularis est cogitatio P. Ripalda, tract. de Volunt. disput. 5. sect. 2. sentientis, desiderium, & gaudium non terminari ad obiectum *cui*; sed ad obiectum *quod*. Quando enim amico ægrotanti desidero sanitatem, talis affectus respectiue ad sanitatem est desiderium; non vero respectiuè ad amicum, *cui* sanitatem desidero. Non enim desidero, quod præsens video; sed bonum, quod absens doleo; amicum autem secundùm se præsentem intueor, eiusque sanitatem absentem doleo. Similitèr neque desiderium, neque

gaudium sunt de bono absolutè spectato; sed respectivè volito alicui. Desideriũ quidem de bono, quod ab aliquo non est habitum; gaudium verò de bono, vt ab aliquo possessò. Non ergo de obiecto *cui*, quà tali, propriè datur desiderium, & gaudium. Inde autem infert Ripalda, ipsum desiderium, & gaudium, quæ talia sunt comparatiuè ad obiectum *quod*, amorem strictum esse comparatiuè ad obiectum *cui*. Nam cum amare sit velle alicui bonum, absque dubio amamus amicum, quando ipsi optamus sanitatem absentem, ac de præsente gaudemus: ergo ipsum desiderium, & gaudium aliquã sortiuntur speciem affectus comparatione obiecti *cui*, nempè amici. At non desiderij, & gaudij: ergo amoris stricti.

38 Displicet hæc existimatio. *Primò*, quia supponit, desiderium, & gaudium non posse esse de bono absolutè spectato; sed præcisè respectiuè ad suppositum, vel habens, vel nõ habens tale bonũ. Id quod falsum esse, constitit quæst. præced. Confirmatur ad hominem contra Ripalda. Nam esto dicatur, amare esse velle alicui bonum; tamen, certè, voluntas amat amore stricto obiectum *cui* sistendo in ipso, & præscindendo ab eo, quòd transeat in obiectum *quod* vlteriùs relatum à voluntate ad obiectum aliud, *cui* ametur: ergo pariter desiderium, & gaudium terminari poterunt ad obiectũ *quod* ibi sistendo, quin ipsum referant ad aliud suppositum *cui*. Secundò. Potest obiectum *cui* dupliciter spectari. Primò tanquam obiectum verè, proprièque amatum. Sic, quando Deo volumus gloriam externã, quia ipsi Deo bonam, sanè Deum verè, proprièque amamus. Secundò tãquam purus terminus eius affectus; non tamen obiectum verè, proprièque amatum. Sic personæ in excelsâ dignitate cõstitutæ, à quâ nihil boni; sed ingentia mala cepisti, proindeque non potes à temetipso impetrare, quòd circa illam afficiaris amore, poteris cultum deferre, nõ quia ipsi personæ bonum; sed quia exhibere superiori cultum aliquid est in se honestum. Modò sic.

39 Vel obiectũ, *cui* bonum absens optatur, bonumque præsens lætificat, est obiectum verè, proprièque amatum, sistendo præcisè in terminis obiecti *cui*; vel stando præcisè intra hos cancellos est purus terminus nõ amatus verè, & propriè? Si hoc secundum: igitur obiectum *cui*, vt sic præcisè, neque desiderij, neque gaudij, neque amoris stricti obiectum est. Si primum: ergo sicut obiectum *cui*, vt sic præcisè spectatum, potest apparens, vt bonum, esse ob-

obiectum proprium amoris stricti; ita ipsum obiectum *cui*, vt sic præcisè spectatum, poterit apparens, vt absens, vel apparens, vt præsens, obiectum esse proprium desiderij, & gaudij. Nam falsum, paradoxon, & à nullo hactenus somniatum videtur, non posse vt absens, & vt præsens esse propriè obiectum desiderij, & gaudij, quod potest, vt bonum, esse propriè obiectum amoris stricti. Confirmatur ad hominem contra Ripalda. Quia non minus proficit ad desiderium boni amabilis repræsentari tale bonum, vt absens; quàm eidem desiderio officiat intueri, vt præsens, idem bonum. Rursus. Non minus proficit ad gaudium circa bonum amabile ipsum intueri, vt præsens; quàm eidem officiat gaudio ipsum bonum repræsentare, vt absens. At gaudio circa obiectum *cui* officiet proculdubio scire ipsum esse absens, & similitèr officit desiderio circa ipsum obiectum *cui* ipsum intueri, vt præsens, ideoque rectè ait P. Ripalda: *Cum expeto amico ægrotanti salutem, talis affectus est desiderium salutis; non verò comparatione amici secundùm se: neque enim amicum tunc secundùm se desidero, quem præsentem intueor; sed eius salutem, quam absentem doleo*: ergo desiderio, & gaudio circa obiectum *cui*, quà tale, quod, qua tale, pertè, est amabile stricto amore, proficiet repræsentari, vt absens; viderique, vt præsens, & cōsequentèr obiectum *cui*, quà tale, non solùm poterit esse obiectū vere, ac propriè stricti amoris; sed etiā desiderij, & gaudij.

40 *Tertiò*, ne cogitationibus affinibus illi, quam reijcimus, decipiantur incauti, notare sit id, quod certissimum est, nimirum affectum voluntatis non terminari ad obiectum *cui*, quà tale, diuisim, & abstractè ex parte modi tendendi ab obiecto *quod*; sed indiuisim, & concretè cum obiecto *quod*. Nam obiectū *cui* catenus exercet rationem obiecti *cui*, quatenus attingitur per modum subiecti, aut quasi subiecti, cui voluntas amat aliquod bonum, quod dicitur obiectum *quod*, & hic ipse modus amandi est affectiue adiungere, & concernere obiectum *quod* cum obiecto *cui*, & non attingere hoc diuisim, & abstractè ab illo. Quapropter obiectum attingi diuisim, & abstractè ab alio est extra rationem obiecti *cui*. Nunc sic argumentor. Actus siue intellectus, siue volūtatis indiuiso modo tendentis ad duplex obiectū nō est necesse tribuat cuilibet, vt condistincto ab altero, vel à cōplexo vtriusque, adæquatam denominationem specificam; sed ad summùm necesse est tribuere genericam, vel specificam inadæquatā. At affectus volūtatis,

non tendit diuisim, & abstractè ab obiecto *quod* circa obiectum *cui*; sed indiuiso modo circa vtrumque: ergo necesse non est, quòd obiecto *cui*, vt condistincto ab obiecto *quod*, vel à complexo vtriusque, tribuat denominationem specificam, vel strictè amati, vel desiderati, vel lætantis; sed ad summùm necesse erit tribuere denominationem genericam amati, vel specificam inadæquatam amati taliter. Minor, & consequentia patent.

41 Maior illustrari posset pluribus exemplis: sufficiat vnum, vel alterum reliquis clariora. Si enim sumamus iudicium, quod indiuisim tendens ad Petrum, & Paulum simul sumptos, affirmet de ipsis esse binarium hominū, sanè hic actus non tribuit Petro, vt condistincto & à Paulo, & à complexo vtriusque, denominationem cogniti purè apprehensiuè. Non enim respicit Petrum merè, vt obiectum; sed vt partem subiecti, de quo asseritur prædicatum: neque Petro, vt sic sumpto, tribuit denominationem adæquatè subiecti iudicio asserenti binarium hominum: nam, quod per tale iudicium adæquate subijcitur ei prædicato, non est Petrus secundùm se; sed complexum ex Petro, & Paulo. Quocirca tale iudicium tribuit Petro secundùm se sumpto, vel præcisè denominationē genericam cogniti, vel quod forsan malueris, denominationē inadæquatè subiecti tali iudicio. Idem inuenies in actib⁹, quibus voluntati placent quædā obiecta non diuisiuè; sed cōplexiuè sumpta, vt in pulchritudine non hoc, vel illud lineamentum; sed simmetrica cōplexio plurium constituētium venustatē. In cibo nō hęc, vel illa qualitas; sed gratissima congeries plurium componentium suauitatē saporis. In musicâ non hæc, vel illa vox; sed plurium concentus, ex quibus gratissima coalescit armonia. Constat ergo, necesse non esse actus indiuiso modo tēdentes ad duplex obiectum, tribuere cuilibet secundū se sumpto denominationem adæquatā specificam; sed sufficiet tribuere vel genericam, vel inadæquatè specificam.

42 Hinc fit. Quando amicus, quem præsentem intueor, terminat per modum obiecti *cui* desiderij illud, quo ipsi volo sanū esse, non est necesse, quòd eo actu reddatur amicus, vel specificè strictè amatus, vel specificè gaudens, vel adæquatè specificè desideratus, vt constat satis ex dictis. Nam obiectum *cui* terminat actū indiuisim tendentē ad ipsum cōplexiuè cum obiecto *quod*: & actus sic tēdens nō oportet, vt tribuat obiecto *cui* secundū se sumpto aliquā amati denominationē specificā adęquatā. Porro eiusmodi desiderium quo exop-

exoptamus complexum istud: *Amicum esse sanum*, potest ipsam personam amici (non obstante intuitione, quâ præsentem ipsam videmus) reddere desideratã inadæquatè. Ratio est. Quia sicut illud est adæquatè desideratum, quod est totum obiectum, quod desideratur; ita illud est inadæquatè desideratum, quod intrat in obiectũ desideratũ. At in cõcretũ istud desideratũ: *Existat amicus affectus sanitate* intrat persona amici: ergo desideratur inadæquatè. Neque obstat intuitio, quâ videmus illam præsentem. Quanuis enim obstet ea intuitio desiderio sic tendẽti: *Vtinam hæc persona existat*; non tamẽ sic tendenti: *Vtinam hæc persona existat affecta sanitate*. Nam intuitio illa: *Existit amicus*, quæ cum priori desiderio pugnat, cõponitur cum hâc notitiâ: *Non existit amicus affectus sanitate*, quæ notitia posteriori desiderio sufficit.

43 Ex quibus promptum est respondere quæstioni propositæ num. 37. quæ præbuit ansam, vt fortasse non sine fructu prædicta exponeremus. Dicendum enim est, si per eam quæstionem inquiratur, quam speciem affectus terminet obiectum *cui*, vt condistinctum ab obiecto *quod*? Certè, si per ly *vt condistinctum* denotetur amari obiectũ *cui* seorsim, & abstractè ab obiecto *quod*, quæstio inuoluit suppositionem falsam, quippè obiectum *cui*, quâ tale, vel amatur duntaxat indiuisim, & concretè cum obiecto *quod*; vel nullatenus amatur (quod addiderim propter dicta num. 38.) Si autem solùm inquiratur, quam speciem amoris terminet obiectum *cui*, quando reuera ipsius entitas amatur, licet indiuisim, & concretè cum obiecto *quod*? Respondeo. Tunc eandẽ speciem, quam terminat obiectum *quod*, terminat etiam obiectum *cui*; scilicet speciem amoris stricti, desiderij, aut gaudij, prout terminet has species obiectum *quod*; ita tamen, vt non denominetur adæquatè amatum strictè, desideratum, aut lætans; sed inadæquatè. Negari tamen non potest, frequens esse amorẽ indiuiso modo tendentem ad vtrumque obiectum, *quod*, & *cui* alitèr, & alitèr alterum, & alterum denominare. Sic, quãdo amico sanitatem amas, denominatur sanitas ex communi modo loquendi Philosophorum, & Theologorum amata per concupiscentiam; amici verò persona per beneuolentiam. Deinde, quando Deus amat homini gratiam sanctificãtem, persona hominis; non autem qualitas gratiæ, denominatur amicabilitèr amata. Nam, vt omnes ex D. Th. obseruant, solùm amatur amicabilitèr, qui redamare potest.

CAP. IV.

De proprio modo tendendi amoris stricti.

44 VLtima, difficiliorque quæstio circa prædictos affectus in genere sumptos, est: In quonam consistat propria tendentia amoris stricti, prout supra amorem in genere quidpiam addit, quod sit constitutiuũ peculiaris speciei amãdi; & non sit purè constitutiuum desiderij, gaudij, vel alterius affectus à simplici complacentia distincti? Ab hoc principio, quod accuratè discutiemus, pendet vnicè, vel potissimum definitio quæstionis de amore stricto Dei circa se ipsum. Dici solet primò, illum esse amorem strictum ex specie sua, quo voluntas amat bonum, quia bonum, præscindendo ex rarione sua, tum ab eo, quòd tale bonum sit habitum, à quo non præscindit gaudium; tum etiam ab eo, quòd sit non habitum, à quo non præscindit desiderium. Addunt. Tametsi prædicatum bonitatis, & prædicatum possessionis sæpè, non realitèr; sed sola ratione nostra distinguantur, hoc sufficit, vt affectus habens vnum ex his prædicatis pro motiuo formali, & affectus habens aliud, sint specificè, vel quasi specificè distincti. Tum, quia sic distinguuntur intellectio, & volitio, quarum prior habet pro motiuo formali veritatem intrinsecam obiecti; posterior autem bonitatem; & in obiecto veritas, & bonitas intrinseca sola ratione nostra distinguuntur. Tum, quia specificè, vel quasi specificè distinguũtur affectus, quo Deum amamus ex motiuo misericordię, & affectus, quo ipsum amamus ex omnipotentiæ motiuo; & tamen omnipotentia, misericordiaque diuina sola ratione nostra distinguuntur.

45 Omitto nunc illud, de quo supra satis diximus, multumque potest habere de nomine, nimirum, vtrùm hæc distinctio affectuum ex obiectis sola ratione distinctis, potius sit ex diuerso modo tendẽdi ad idem obiectum; quam ex distinctis obiectis. Porrò, vt iudicium nostrum clarè percipiatur, præmittendum est primò, præcisionem vnius ab alio stare bifariam. Alia est præcisio non identitatis realis; alia præcisio non significationis, & nõ expressionis in suo conceptu formali. Entitas hominis præscindit ab albedine, & carentia albedinis præcisione non identitatis realis, quippè hominis entitas, neque identificatur realitèr cum albedine; neque cum carentia albedinis. Deinde homo, quatenus animal, præscindit à rationalita-

te

te præcisione non significationis, & non expressionis in conceptu formali, quia licet animalitas hominis identificetur realiter cum rationalitate; tamen cõceptus formalis: *Animal*, pro quo vox: *Animal* substituitur, non dicit, non significat, non exprimit rem hoc modo: *Rationale*. *Secundo* præmittendum est, authores, qui communiter tradunt modum dicendi positum num. 44. non velle, amorem strictum ita semper præscindere præcisione non identitatis realis à gaudio petente bonum esse habitum, vt nunquã possit identificari realiter cum eo gaudio: quippè volunt, amorem, quo Deus se ipsum amat habere secum identificata realiter, & prædicatum amoris stricti, & prædicatum gaudij. Idem dictum sit de omnibus dicendi modis adducendis vsque ad expositionẽ nostræ sententiæ.

46 His præmissis, existimo, modum dicendi positum num. 44. non explicare iuxta principia authorum, à quibus defenditur, id, quod addit species amoris stricti supra rationem genericam amoris. Probatur. Ratio generica amoris est ratio affectus tendentis in bonum, quia bonum. Deinde hæc ratio præscindit ab habitione, & non habitione boni eodem modo, ac præscindit, per te, ratio amoris stricti: ergo, stando in tuis principijs, nihil addit species amoris stricti supra rationem genericam amoris. Consequentia patet, nec non antecedens, quoad priorem partem. Probatur quoad posteriorem. Amor strictus potest per te identificari realitèr, siue cum desiderio, siue cum gaudio: ergo non præscindit ab habitione, & non habitione boni excludendo ex essentiâ suâ identitatem realem cum desiderio terminato ad bonum non habitũ, & cum gaudio terminato ad bonũ habitum. Non igitur aliter præscindit amor strictus ab habitione, & non habitione boni, nisi quatenus conceptus formalis amoris stricti non significat, illum esse siue desiderium terminatum ad bonum non habitum; siue gaudium terminatum ad bonũ habitum. At conceptus formalis rationis genericæ amoris nõ significat eam esse, siue desiderium terminatum ad bonum non habitum, siue gaudium terminatũ ad bonum habitum: nam alioqui non generica; sed specifica ratio esset: ergo ratio generica amoris eodem modo præscindit ab habitione, & non habitione boni, ac præscindit, iuxta te, ratio amoris stricti. Propterea, si platam diffinires, esse viuens vegetatiuum præscindens ab eo, quòd sit siue sensitiuum irrationale; siue sensitiuum rationale: certè, si per ly *præscindens* non intelligas idem, ac *distinctum*

ctum realitèr ab vtroque sensitiuo; sed idem, ac neutrum sensitiuum significans in suo cõceptu formali, iam non trades speciale viuens, quod planta dicitur; sed rationem viuentis vegetatiui vtrique sensitiuo communem; ita contingit in præsenti, proportione seruatâ.

47 Iam verò, quod addebatur de distinctione rationis inter obiectum, vt bonum; & obiectum, vt habitum, nullius momenti est. Tum, quia ratio generica amoris respicit bonum, quia bonum; gaudiumque specificè sumptum respicit bonum, quia habitum: & tamen sumptis gaudio, & ratione genericâ amoris, non habentur distinctæ species affectuum: ergo præcisè ex respectu ad obiectum, quia bonum; & ad obiectum, quia possessum, quanuis hæc extrema ratione nostra distinguantur, non habentur distinctæ species affectuum. Tum quia, vt explicuimus in metaphysica, motiua formalia dissimilia, & siue realitèr, siue ratione nostra distincta, arguunt in actibus distinctionem specificam, vel quasi specificam, quando aliunde tales actus supponuntur realitèr, saltem numericè, distincti: non enim implicat, eodem actu amari obiectum ex duplici motiuo formali, v. g. potionem, quia dulcem, & quia vtilem ad sanitatem. At, secundùm authores, cum quibus disputamus, non supponitur amor strictus distinctus realitèr ex essentia sua à desiderio, & gaudio; sed potius identificabilis cum vtroque: igitur ea rationis distinctio motiuorum formalium non arguit specificam distinctionem affectuum.

48 Secundus modus dicendi est, amorem strictum supra rationem genericam amoris addere rationem radicis ad desiderium, & gaudium præsuppositæ, ex qua desiderium, & gaudiũ oriuntur. Sicut enim amatur bonum, quia tanquam bonum præsupponitur cognitum, & ex hac notitia oritur amor; sic desideratur bonum, quod apparet absens, quia præsupponitur placens, vt bonũ; & similitèr de bono, quod apparet præsens, gaudemus, quia, vt bonum, præsupponitur placens. Addit Ioannes à S. Thom. citandus disput. seq. gaudium moueri ex bono, vt coniuncto, neque solùm in effectu; neque solùm in affectu; sed in effectu, & affectu simul: quia, si bonum sit coniunctum in effectu; & non in affectu, parit potius molestiam; quàm gaudium. Si sit coniunctum in affectu, & non in effectu, non verum gaudium; sed desiderium excitat, vel spem. Vnde ex parte motiui gaudij requiritur, præsupponi affectum eius boni, de quo capitur gaudium.

49 Hic

49 Hic modus dicendi displicet. Omnis enim radix alicuius effectus habet aliquod prædicatum, quod ad producendū, vel inferendum effectum sit fœcundum, super quod fundetur formalitas radicis. At strictus amor, ex mente Autorum, cum quibus disputamus, nequit habere tale prædicatum: ergo neque potest esse prædicta radix; neque in eo prædicato radicis poni potest differentia eius affectus ab alijs. Maior notissima est, paterque primò ab inductione vniuersali. Et omissis innumeris alijs exemplis, id constat ex illis, quæ aduersarij proferunt. Nam ideo cognitio boni est radix amoris, quia ex prædicato ostendendi bonum inclinat voluntatem ad amorem boni; non tamen contrà talis amor trahit intellectum ad cognitionem boni: & ideo immutabilitas est radix illatiua æternitatis potius, quàm contra, quia ex eo, quòd Deus nullam possit mutationē, nouitatemque suscipere, potiori ratione colligitur, nō posse illam suscipere in ordine durandi; quàm in nullo ordine posse illam suscipere ex eo, quòd in duratione non possit, idemque perpetuò inuenietur in alijs. Patet secundò eadem maior. Nam, si nō assignetur tale prædicatum, super quod fundetur formalitas radicis, vnusquisque pro suo cerebro poterit cuilibet rei adfingere prædicatum radicis comparatione alterius.

50 Minor, in quâ est difficultas, probatur. Nam, vel tale prædicatum præcisè est afficere voluntatem erga bonum, quia bonum apparet; vel aliud? Si aliud, superest illud assignare, quod cū non præstet adhibita solutio, ipsius insufficientia patet. Si primum, contra est. Nam desiderium, & gaudium ex prædicato generico amoris afficiunt voluntatem erga bonum, quia bonum apparet: ergo huiusmodi prædicatum sistit in terminis prædicati generici amoris, & consequenter non est differentia constitutiua affectus specialis radicantis desiderium, & gaudiū. ¶ Explicantur, & confirmantur efficacitèr superiora. Sumamus hoc prædicatum * Amor boni, quia bonum apparet, coniungibilis cum notitiâ idoneâ ad gaudendum de tali bono * Nunc peto. Vtrum hoc prædicatum sufficiat ad cōstitutionem amoris stricti; nec ne? Si negetur: arguo sic. Huiusmodi prædicatum non sufficit ad constituendum specialem, & strictum amorem radicatiuum gaudij: ergo aliud prædicatum requiritur ad eam constitutionem. At in prædicto modo dicendi non assignatur illud: ergo talis modus insufficiēs est. Si affirmetur; statim infero, ergo omne gaudium est amor strictus, quod est absurdum. Nā

alio-

alioqui semper vna species affectus confundetur cum aliâ. Probatur illatio. Omne gaudium, & est amor boni, quia bonum apparet; & est amor coniunctus, ideoque coniungibilis cum notitiâ ad gaudendum de tali bono. At ista, per te, sufficiunt ad constituendum amorem strictum: ergo omne gaudium est amor strictus. Ex quibus patet, prædicatum amoris ratione nostrâ distinctum à gaudio coniungibile cum notitiâ apta ad gaudium, non sufficere ad constitutionem amoris stricti. Nam prædicatū illud * Amor boni, quia bonum apparet coniungibilis cū notitiâ idoneâ ad gaudium * est prædicatum amoris coniungibilis cum eâ notitia. Deinde est prædicatum ratione nostra distinctū à gaudio, quippè quod est prædicatum commune ei etiam amori stricto, qui gaudium non est; & tamen id prædicatum non sufficit ad constitutionem amoris stricti, vt patuit.

51 Dices, prædicatum constitutiuum amoris stricti in sua specie, super quod fundatur formalitas radicis desiderij, & gaudij, esse hoc * Amor boni, quia bonum apparet, coniungibilis cum notitia apta ad desiderium, & gaudium eius boni. * Sed cōtra est. *Primò*. Quia, vt constat ex dictis cap. 3. quæst. 9. ipsum gaudium, quando percipitur de bono, quod probabiliter duntaxat apparet, vt possessum, est amor coniungibilis cum notitiâ apta ad ipsum gaudium, necnon cum notitiâ apta ad desiderium. Esset autem paradoxon dicere, in eis omnibus casibus gaudium esse amorem strictum: ergo cōstitutiuum huius non est id, quod assignas. *Secundò* ad hominem. Nam authores, cum quibus agimus, concedunt, Deum amare stricto amore sua prædicata necessaria. Is tamen amor diuinus non est coniungibilis cum notitia apta, vt Deus ea prædicata desideret: ergo coniungibilitas assignata non est de ratione amoris stricti. *Tertiò* absolutè. Nam Deus potest amare stricto amore creaturas, antequam ipsis tribuat existentiam. At, vt patet ex cap. 1. quæst. 1. talis actus non est coniungibilis cum notitia apta, vt Deus desideret eas creaturas, quas citra omnem difficultatem pro mero suo libito potest existentiâ donare: ergo idem, quod prius. An verò causales illæ, vel quasi causales. *Deus gaudet de se ipso, quia se ipsum amat; sicut se amat, quia se cognoscit; & sicut est æternus, quia immutabilis est*, quicquam conferant ad tribuendum Deo amorem strictum circa se ipsum, videbimus disp. seq.

52 Nūc solùm obseruo momenti non esse, quod addebatur num. 48. ex M. Ioanne à S. Th. *Primò*. Quia sicut bonum, quod non

non coniungitur effectiuè, & affectiuè cum amante non terminat gaudium; sed vel molestiam, vel alium affectū à gaudio, v.g. spem, aut desiderium; sic bonū, quod non coniungitur *iucundè* cum amante, non terminat gaudium, & delectationem; sed vel molestiam, vel alium affectum à gaudio. At, hoc non obstante, coniunctio iucunda boni cum amante non se habet præuiè ad gaudium, neque ex parte motiui præsuppositi ad ipsum; potiusque gaudium, quatenùs gaudiū præstat formalitèr in actu secundo eam coniunctionem iucundam: cur ergo dici non poterit simili modo, coniunctionem affectiuam boni, de quo gaudium percipitur, non se habere præuiè, neque ex parte motiui præsuppositi ad gaudium; sed potiùs gaudium, quatenùs amor est, eam coniunctionem præstare formalitèr in actu secundo? E tlanè, donec aperiantur talia prædicata amoris, quæ supra amorem in genere specialem differentiam addant, vbi talis præsuppositio fundetur, & ab scopo præsentis controuersiæ deuiabis, & pura verba dabuntur.

¶ Secundò, vt plurima exempla non admodum necessaria, quibus hoc illustrari posset, missa faciamus, arguo sic. Nam, vt Deus non concipit gaudium, nisi de bono affectiuè coniuncto; ita non præstat assensum, nisi obiecto apparenti vero. At hoc posterius præcisè sumptum nō arguit duplicem speciem cognitionum, quarum alia sit simplex apprehensio veritatis, & alia iudicium: quippè iuxta communem, & veram Theoll. sententiam, simplex apprehensio relegatur à Deo: ergo prius illud præcisè sumptum non arguit duplicem speciem affectuum, quorum alius sit amor strictus boni, vt boni; & alius boni, vt possessi, sed sicut ibi eadem specie cognitionis obiectum apparet, & iudicatur verum; ita hîc eâdem specie affectus obiectum amabitur, & delectabit. Si dicas, simplicem apprehensionem dicere imperfectionem; secus amorem strictum; ideoq; illam; & nō hunc, reijci à Deo. Vrgeo: ergo non est primariò insistendum præsupositioni; sed sicut prius enucleatis prædicatis simplicis apprehēsionis imperfectis; hæc obinde negatur Deo, & neque admittitur præuia, neque comitans, neque posterior ad assensum diuinum; ita quod in re nostra prius agendum erat, illud est, quod ab hoc autore omittitur, nempè vltra prædicatum genericum quærere differentiam specificam amoris stricti: qui, si vndequaque constet ab imperfectione purus, ponetur in Deo, posteaque poterit discuti præsuppositio ipsius ad gaudium.

53 Tertius modus dicendi sit ille, cui inhærent alij citādi disp. seq. pro tertiâ sent. desumptiusque videtur ex D. Thom. cit. n. 3. Dicunt ergo, desiderium esse affectum tendentem in bonum, vt non existens, siue vt non habitum: gaudium autem in bonum, vt habitum, vel prout existens; ac demum amorem strictum in bonum secundùm se, id est, secundùm sua prædicata essentialia. Quæ doctrina redditur explicatior corollarijs, quæ subnectunt. Nam primò inferunt, Deum amare se ipsum amore stricto. Nam de ratione amoris stricti præcisè est, tendere ad prædicata essentialia obiecti, quia bona. Manifestum autem est, Deum affici circa sua prædicata essentialia, quia optima. Secundò inferunt in amore stricto creati obiecti nō esse formalitèr inclusam rationem gaudij; secus autem in amore stricto, quo Deus se ipsum amat. Ratio est. Nam obiectū creatū non est ex suis prædicatis essentialibus existens; sed ad existētiā, & nō existētiā indifferēs, ac proinde voluntatē affici erga ipsum acceptum secundùm essentialia, non includit formalitèr affici erga ipsum, vt existens. Ipse autem Deus ex suis essentialibus est existens, & consequenter voluntatem diuinam affici erga ipsum Deum acceptum secundū essentialia, claudit formalitèr affici erga ipsum, vt existentem. Cùm igitur affici circa obiectū, vt existēs, sit ratio formalis gaudij, constat planè in amore stricto creati obiecti non esse formaliter inclusam rationem gaudij; secus autem in amore stricto, quo Deus se ipsum amat.

54 Infertur tertiò. Sicut in Deo circa se ipsum est amor strictus includens formalitèr rationem gaudij; ita in Deo, iuxta hāc sententiam, datur circa ipsum Deum scientia simplicis intelligentiæ includens formalitèr sciētiam visionis. Ratio est. Quia sicut amor strictus est affectus boni secundùm sua essentialia spectati, gaudiumque est affectus boni, vt existentis; ita simplex intelligentia est notitia veri secundùm sua essentialia spectati; visioque est notitia ipsius, vt existentis. At, quia Deus afficitur erga sua essentialia, datur in ipso circa se ipsum amor strictus: & quia Deum affici circa sua essentialia, claudit formaliter affici erga se ipsum, vt existentem, talis amor strictus claudit formaliter rationem gaudij: ergo quia Deus cognoscit sua essentialia, dabitur in ipso circa se ipsum scientia simplicis intelligentiæ: & quia Deum cognoscere sua essentialia, includit formalitèr cognoscere se ipsum, vt existentem, talis intelligentia simplex includet formaliter rationem scientiæ visionis. ¶ Vnde infer-

tur

tur quartò. Tametsi simplex intelligentia Dei circa obiectum creatum, aliquo iure dicatur abstractiua, quia per illam scientiã attingit Deus essentialia obiecti creati, abstrahendo ab eo, quòd tale obiectum existat, vel non existat; tamen simplex intelligentia Dei circa se ipsum, nullo iure dicetur abstractiua: quippè sic per illam Deus attingit sua essentialia, vt per ipsissimam se ipsum attingat, vt existentem.

55 Infertur denique. Si essentia, & existentia rei interdum distinguantur, vt in creaturis contingit secundùm Thomistas; & interdum identificẽtur, vt secũdùm omnes contingit in Deo: quemadmodum essentia rei bonæ, ipsiusque possessio respectiuè ad amantem, quandoque distinguuntur, vt frequens est in bonis, quæ nos possidemus; & quandoque identificantur, vt contingit in bonis intrinsecis, quæ possidet Deus: Si hoc, inquam, ita sit, interdum amor strictus, & gaudium obiecto different, vt quando amor strictus est circa essentiam rei, & gaudiũ circa eiusdem existentiam, & possessionem distinctas ab essentia; interdum autem obiecto nõ different, vt contingit in amore stricto Dei circa seipsum, vbi Dei essentia, existẽtia, & possessio à Deo sunt idem. Vnde, amore stricto, & gaudio in genere sumptis, dicendum non est, ex suis præcisè rationibus habere, quòd obiecto differant, aut non differant; sed ab hoc præscindere, siquidem quandoque differunt obiecto; quandoque non. Neque ob id naturæ istorum affectuum confunduntur, vt optimè notarunt doctissimi Magg. sed explicatissimè traditur, quid vnusquisq; affectus habeat, præscindendo à materia; quid in vna materia, & quid in alia. Ex quibus facilè diluerentur, si opus esset, quæ ex non bene inspecta sententia illâ, nonnulli contra ipsam opposuerunt.

56 Cæterùm, quanuis hæc venusta sint, nobis tamen non sunt firma. Nam hæc sententia sumit amorem strictum in acceptione diuersâ, ac sumitur à Theologis & Philosophis: ergo hæc sententia extra rem præsentem est: quippè controuersia præsens est: in quo consistat illud, quod his vocibus: *Amor strictus*, cõmunitèr significatur. Antecedẽs probatur. Quia sicut sumuntur desiderium, & gaudium in vi specierum affectuum ita conditũctorum, vt possit esse desideriũ, quod nullatenùs sit gaudium; & gaudium, quod nullatenus sit desiderium; ita sumuntur amor strictus, desiderium, & gaudium in vi trium specierum, quarum quælibet possit esse omnino inconfusa cum alterâ. At non sic iuxta propositam sententiam: ergo illa est extranea à commu-

ni

ni sensu. Maior videtur certa. Si enim Aureolo & Gabrieli negãtibus speciem amoris stricti, & ab alijs omnibus impugnatis, concederetur, non esse alium amorem strictum præter prædicatum quoddam amoris inclusum perpetuò in speciebus desiderij, & gaudij, certè cum alijs omnibus iungerent dextras. Minor, in quâ est difficultas, probatur. Nam omne desideriũ, quo expetimus rem existere; & omne gaudium, quo de illâ, vt iam existẽte, gaudemus, erunt, iuxta hanc sententiam, amor strictus rei, *vt existentis*; licèt non secundùm se sumptę. Est enim, per te, amor strictus, qui fertur ad obiectum secũdùm essentiam spectatum. At rem existere est essentia rei, vt existentis; licet non secundùm se sumptæ: ergo omne desiderium, & gaudium, quæ versantur circa *rem existere* erũt amor strictus rei, vt existẽtis; etsi non rei secundùm se sumptæ. Quemadmodum ille, cui per amorem strictum placet hoc obiectum: *Petrum coexistere cũ sanitate*, quod neque videtur, vt non exercitum; neque vt iam exercitum, versabitur per amorẽ strictum circa coexistentiam essentialem illi concreto *coexistere*; quanuis Petro accidentalem.

57 Confirmatur. Quia si expendantur sincerè verba D. Th. citati num. 2. iuxta quæ reliquì Theoll. & Philosophi notionem accipiunt amoris stricti, desiderij, & gaudij, sic respicit amor strictus obiectum *secundùm se*, quemadmodum desiderium, & gaudium respiciunt obiecta, vt absentia, & præsentia. Vel, vt clarius loquar, ab eis conditionibus obiectiuis præscindit ex modo suo tendendi amor strictus, à quibus nõ præscindit desiderium, & gaudium ex suis proprijs tendendi modis. At desideriũ, & gaudium ex suis proprijs tendendi modis non præscindunt ab absentia, & præsentia: ergo ab illis præscindit amor strictus, & consequentèr non erit locus amori stricto, vbi non sit locus huic præcisioni. Sufficiant hæc: si nãque res, de quibus controuertitur, a communi extrahantur acceptione, nihil poterit esse firmum. Propterea nostra quæstio deinceps erit de ratione amoris stricti impermixtâ cum desiderio, & gaudio: nimirùm, quæ non sit omni desiderio, & gaudio communis.

CAP. V.

Duo alij dicendi modi.

58 QVartus modus dicendi sit P. Ripalda. Nam amor strictus, quo Deus amat sũ omnipotẽtiam v.g. sic ad ipsam fertur, vt neque realitèr formalitèr; neque realitèr virtualitèr ipsius existentiam supponat; gaudium

dium verò supponit existentiam ipsius omnipotētiæ, de quâ iam possessa lætatur. Vnde istorum affectuum distinctio ex modo tendendi sic potest in genere declarari. Amor strictus tendit in obiectum, vt bonum, nō supponendo ipsum cognitum, siuè vt absens; siue vt præsens; sed vt bonum. Desiderium, supponendo obiectum bonum cognitū, vt absens. Tandem gaudiū supponēdo obiectum bonum cognitum, vt præsens. Omitto nūc, quod in sequentibus decernemus, nimirum, an hic modus dicēdi sit vtilis, vel inutilis pro defendendo amore stricto Dei circa se ipsum. Solùm ostendo breuitèr, hunc modum dicēdi, quâ ratione debet accipi à P. Ripald. insufficientem esse. Num verò in alio sensu sit sufficiens, constabit ex dicendis. Nam dupliciter intelligi potest amorem strictū esse affectum *non supponentē* suū obiectum cognitum, vt existens. Primò *positiuè excludendo*, quòd cognitio, ex quâ dirigitur, sit sui obiecti, vt existentis. Secundò, non excludendo id positiuè; sed petendo, quòd ea cognitio sit sui obiecti, vt boni, & præscindendo ab eo, quod etiam sit, vel non sit eiusdem obiecti, vt existentis. At P. Ripalda nequit dicere primum; secundum autem non sufficit ad rationem stricti amoris: ergo prædictus modus insufficiens est, vt accipi debet à Patre Ripalda.

59 Prima pars minoris probatur. Nam ille amor necessarius, quo Deus amat suam essentiam, non solum est gaudium circa illam, sed etiam amor strictus, iuxta hunc Autorem. Cum igitur sit diuinus, & perfectissimus, supponet absque dubio cognitionem diuinam perfectissimam essentiæ diuinæ. At cognitio diuina perfectissima diuinæ essentiæ est cognitio ipsius, vt existentis, præsertim cum essentialissimè sit existens, & in nullo signo cognoscibilitatem habeat, quin simul habeat existentiam: ergo, iuxta citatum authorem, amor strictus non ita supponit cognitionem obiecti, quatenus boni, vt positiuè excludat supponere cognitionem ipsius, quatenus existentis. Posterior pars minoris probatur. Nam prædicatum genericum amoris inclusum in desiderio, gaudio, & amore stricto non est amor strictus, vt sic genericè sumptum; sed quid commune omni prosecutionis affectui. At eiusmodi prædicatum genericum, ita est amor boni, vt petat cognosci obiectum, vt bonum; præscindit autem ab eo, quòd ea cognitio sit obiecti, vt existentis. Nam cognitio obiecti, vt existentis, non exigitur ex prædicato generico amoris; sed ex prædicato specifico gaudij: ergo id, quod assignatur, est insufficiens

ficiens ad rationem stricti amoris.

60 Dices, amorem strictum esse affectum specialem per se formaliter exigentem notitiam obiecti, quatenus boni, & præscindentem ab eo, quòd ea notitia sit eius obiecti, vt existentis; prædicatum autem genericum amoris non est affectus specialis; sed quid cõmune logicè cuiuis affectui prosecutiuo. Sed cõtra. Quia tota præsens controuersia est, in quo stet ea specialitas, quare nihil agitur, quandiu illa inexplicata relinquitur. Vrgetur hoc efficacitèr contra Autores, quibus cum agimus. Vel enim ad amorem strictũ sufficit, esse affectum specialem præscindentem ex aliquo prædicato ab eo, quòd notitia, per quã dirigitur, sit boni, vel vt existentis; vel vt non existentis; vel requiritur, quòd ex omnibus suis prædicatis ab hoc præscindat? Si dicatur primum: omne gaudium erit realitèr idem cum amore stricto, quod negant autores, cum quibus agimus. Probatur sequela, quia gaudium est affectus specialis, quanuis non præscindens ex omni suo prædicato à notitiâ boni, vt existentis; bene tamen ex aliquo sui prædicato, nimirũ, ex prædicato generico amoris. Si dicatur secundum: sequitur contra præcit. autores, gaudium diuinum circa essentiam Dei nõ esse realitèr amorem strictum circa ipsam: quippè tale gaudiũ non præscindit ex omnibus suis prædicatis à notitiâ diuinæ essentiæ, vt existentis.

61 Quintus modus dicendi est eiusdem Ripaldæ sic explicãtis discrimen amoris stricti, & gaudij, quibus Deus fertur in suã omnipotentiam, v.g. Etenim amor strictus, ita fertur in omnipotentiam Dei, vt, si per impossibile alia omnipotentia similis in creaturâ existeret, eâdem ratione Deus ipsam diligeret, & in eâ complaceret: quia ratio diligendi, nempè, quia in se bona est, vtrique est communis. At gaudium ex vi modi tendendi in omnipotentiam propriã Dei non ferretur in omnipotentiam alienam, neque induceret volũtatem ad gaudium illius, quia ratio gaudendi, nempè, quia ab ipso Deo possessa est, non esset alienæ omnipotentiæ communis. Ex quibus ita poterit aliquis vniuersalitèr explicare rationes amoris vt sic, desiderij, gaudij, & amoris stricti. Amor strictus est affectus, quo voluntas tali modo tendit ad obiectum bonum, vt si per possibile, vel impossibile ipsum, vel simile appareret duntaxat, vt bonum; non vero, siue vt non existens, & non habitum; siue vt existens, & habitum, eodem modo tenderet voluntas erga ipsum. Gaudium est affectus, quo voluntas tali modo tẽdit ad obiectum bonum, vt si

per

per possibile, vel impossibile, ipsum, vel simile appareret præcisè, vt bonum, non ferretur voluntas ad ipsum; sed exigitur, quòd appareat, vt bonum existens, & possessum. Desiderium est affectus, quo voluntas tali modo tendit ad obiectum, vt si per possibile, vel impossibile, ipsum, vel simile appareret solùm, vt bonum, non tenderet voluntas eodem modo ad ipsum; sed ad talem modum tendendi petitur, quòd appareat, vt bonum absens. Tandem ratio amoris, vt sic in genere, stat in ratione affectus ad bonum, præscindendo ab eo, quòd ad ipsum, vel simile tenderet, vel non tenderet eodem modo voluntas, si appareret tantùm, vt bonum; non vt habitum, aut non habitum. Nam ea ratio præscindit à differentijs affectuum peculiaribus, ex quibus venit, quòd in eis circumstantijs voluntas tenderet, vel non tenderet eodem modo ad obiectum.

62 At, omissis illis, quæ alijs placebit expendere, conditiones istas impossibiles euoluendo; quibus, me iudice, sine fructu aperiendi veriorem doctrinam cuncta plerunque irretiuntur. *Primò* arguo contra hunc autorem. Nam, vt ipse defendit to. 2. de ente supern. disput. 131. sect. 3. & 4. & tract. de fide, disput. 9. sect. 4. obiecta amabilia ex ratione formali ipsis communi sic possunt terminare voluntatis affectus, vt alterum ex eâ ratione formali velis, & alterum positiuè detestêris. Sic ex motiuo misericordiæ vis pauperi porrigere panem; detestaris tamen conferre pecuniam: ergo ex eo, quòd Deus omnipotentiam, quã possidet, amet, quia bonã, nõ colligitur, quòd amaret, quia bonã, omnipotẽtiã alienã, si hæc daretur. Vnde in amore stricto tẽdẽte in omnipotentiã propriã *præcisé*, quia bonam, modus ille tẽdendi præscindens à possessione, non bene constituitur in futuritione amoris omnipotentiæ alienæ, quia bonæ, sub conditione, quòd ipsa daretur. ¶ Si dicas, licèt amare propriam omnipotentiam, quia bonam, non reddat penitus infallibile, similitèr amandam omnipotentiam alienam, si daretur; valde tamen probabile reddere huiusmodi conditionatum. Contra infero: Ergo ipsum gaudium circa omnipotentiam propriam ex his præcisè, quæ dicit, vt gaudium condistinctè ab amore stricto, est amor strictus. Nam gaudere de omnipotentiâ propriâ, quia est bonum possessum, probabile reddit, quòd omnipotentia aliena similitèr quidem bona; etsi non similitèr possessa, terminaret, quia bona, affectum amoris; & si non terminaret gaudium, quippè quæ non est possessa. Præterea, supponi falsò præter exil.

tentiam obiecti requiri ad gaudium, quòd tale obiectū à gaudente possideatur. De quo vide cap. 3. num. 35.

63 *Secundò* vrgentius. Quando Deus amore stricto diligit suã propriam omnipotentiam, *quia bonam*, petimus: an motiuum huius amoris sit bonitas realis, & specialis huius omnipotentiæ veræ, ac realis; an bonitas communis huic omnipotentiæ, & alteri alienæ chymericæ? Neutrũ potest placere P. Ripaldæ: ergo debet ipsi displicere modus dicendi, quem excogitauit. Minor quoad priorem partem probatur. Tùm, quia specialis bonitas huius realis omnipotentiæ claudit essentialitèr existere actualitèr, & possideri à Deo: ergo, si Deus amat suam omnipotentiã, quia bonam eâ bonitate speciali, amat ipsam, quia bonam actualitèr existentem, & possessam à Deo: hoc autem est, eum affectum esse formalissimè gaudium; non verò strictum amorem ratione distinctum à gaudio. Tum, quia omnipotentiam hanc amari propter suam bonitatem specialem haudquaquam infert amandam esse, si daretur, omnipotentiam alienam, quæ tali bonitate non esset affecta; sed aliã longe absimili, chymæricâque. Sic velle cõtrahere matrimonium cũ Mariâ, quia pulcherrima est, nequaquam infert, quòd velles cõtrahere cum Antoniâ fœdissima, tametsi dotibus alijs affectâ. At omnipotentia, per te, amatur stricto amore propter suam specialem bonitatem; & omnipotentia aliena, si daretur, nõ esset hac speciali bonitate affecta; sed alia longe dissimili, necnon chymærica: ergo amor ille strictus omnipotentiæ realis nequit constitui per modum tendendi fundantem, quòd similitèr amaretur aliena omnipotentia, si daretur.

64 Eadem minor quoad posteriorem partem probatur, nimirum, motiuũ amoris stricti, quo Deus amat suam omnipotentiam, non posse esse bonitatem in genere communem omnipotentiæ existẽti, & alteri omnipotentiæ impossibili. Probationibus alijs omissis, quæ, licèt alijs magis placerent; mihi tamẽ videntur effugijs obnoxiæ, placet nunc vnica istâ probatione vti. Nullo amore potest Deus omnipotentiã amare tam propter bonitatem, quæ neque in re, neque in cognitione diuina reddit omnipotentiam amabilem; quàm propter bonitatem, quæ in re, cognitioneque diuina reddit omnipotentiam amabilem: ergo nullo amore potest Deus omnipotentiam amare propter bonitatem cõmunem ipsi omnipotentiæ existenti, & alteri omnipotentiæ impossibili. Antecedens videtur clarissimum, quia nequit Deus obiectũ amare, nisi

nisi propter bonitatē, quæ reddat, saltem apparentèr, bonum ipsum obiectum. Consequentia probatur. Nam illa generica bonitas omnipotentiæ existenti, & omnipotentiæ impotsibili communis nihil aliud est, quàm aggregatū bonitatis specialis, quæ conuenit omnipotentiæ existētì, & bonitatis specialis, quæ cōueniret omnipotentiæ impossibili, si daretur, hoc, inquam, aggregatum confusè cognitū hoc mentali conceptu: *Bonitas*. Id patet ex logica. Vel igitur Deus amat pariter suam omnipotentiam propter bonitatem specialem omnipotentiæ impotsibilis, ac propter bonitatem specialē omnipotētiæ existētis; vel solùm propter bonitatem specialem suæ omnipotentiæ reipsa existentis? Si hoc vltimum: iam amor strictus non tendit ad omnipotentiā existentem propter bonitatem ipsi, & omnipotentiæ impossibili communem; sed propter specialem ipsius. Si primum: certè, cum illud aggregatum sit indiscriminatim, & bonitas specialis huius omnipotentiæ reddens ipsam amabilem; & bonitas specialis omnipotentiæ impossibilis nō reddens amabilem omnipotētiam existētem; aliundeque Deus exactissimè penetrans has bonitates cognoscat, specialē bonitatem omnipotentiæ impossibilis non reddere amabilem omnipotentiam existentem, patet, si Deus amet suam omnipotentiā propter totam illam bonitatem communem, tenente se ex parte motiui aliquo alio prēter specialem bonitatem huius realis omnipotentiæ, non obscurè deduci, Deum amare suam omnipotentiam tam propter bonitatem, quæ neque in re, neque in cognitione diuina reddit ipsam amabilem, quàm propter bonitatem, quæ oppositum habet.

65 Confirmatur discursus iste, detecta radice, exquâ pullulare potest oppositа deceptio. Pro cuius explicatione, quia frequentèr vtilis erit, noto primò. Quando amatur obiectum ex motiuo communi alijs obiectis, non minùs exercet munus motiui ratio illa, quâ parte conuenit alijs obiectis, quam ea parte, quâ cōuenit huic obiecto. Nam alioqui iam hoc obiectum non ex motiuo communi; sed speciali amaretur, vt patet. Noto secundò. Quando amatur obiectum indiuisim ex aliqua ratione complectente in se ipsa plures, necesse est, ex parte amātis dari aliquam saltem notitiā, per quam appareat, totam eam rationem reddere amabile tale obiectum, vel, si mauis, necesse est, non omnem notitiam amantis clarissimè discernere, quòd ratio illa obiectiua non reddit ex omni parte obiectum amabile; sed solùm ex par-

ce A. v.g. & non ex parte B. Ratio est conspicua. Quia solùm amari queit obiectum ex ratione obiectiua, quæ aliquomodo appareat reddens ipsum amabile. At tota quædam ratio obiectiua nullatenus apparet reddens amabile tale obiectum determinatum, si omnis notitia, per quã amans attingit eam rationẽ obiectiuã, discernit, quod illa eâ duntaxat parte, quâ claudit rationem A. reddit tale obiectum amabile; non vero quâ parte claudit rationem B. ergo in hâc hypothesi nequit obiectum amari ex totâ illâ ratione obiectiua.

66 Noto tertiò. Deus non cognoscit rationes communes indistinctè, & in confuso; sed distinctissimè, singillatim, & expressissimè discernens cũcta, quæ tales rationes communes complectuntur in se. V.g. rationem communem hominis non attingit, cognoscendo per modum vnius omnes homines, eosque inter se confundendo; sed vnico clarissimo cõceptu distinguens, ac discernens Petrum à Paulo, & sic in reliquis. Hic enim cognoscendi modus perfectissimus est; ille vero imperfectionem importat. Tandem quartò. Per cognitionem omnem, quã Deus attingit rationes communes, penetrat exactissimè inferiora, quæ continent. Nam, quoties rationes cõmunes obijciũtur diuinæ menti, nihil ex parte obiecti prohibet, quominus pro tunc exactissimè penetrẽtur, ac discernãtur à Deo inferiora contenta in illis, & vt sæpè diximus tract. de Scientia Dei, quoties infinita perspicacia diuinæ mentis obiectũ aliquod attingit, penetrat ipsum quantùm penetrabile est.

67 Ex quibus principijs, quæ satis vera videntur, sic disputo. Ille, qui non aliter cognoscit rationem bonitatis communem omnipotentiæ veræ, & omnipotentiæ confictæ, quàm clarissimè discernendo, eam rationem communem non ex toto; sed ex tali parte determinatâ reddere amabilem omnipotentiam veram, nequit amare omnipotentiam veram indiuisim ex totâ illâ ratione communi; sed solũ propter partẽ eius rationis communis specialem omnipotentiæ veræ. At Deus non aliter cognoscit rationem bonitatis communem omnipotentiæ veræ, & confictæ (si forte talis ratio intelligibilis est, de quo non curo) quàm per prædictam clarissimã discretionem: ergo nequit Deus amare veram omnipotentiam propter totam illam rationem communem indiuisim; sed solùm propter specialem bonitatem omnipotentiæ veræ. Consequentia legitima est, præmissarumque veritas constat ex prænotatis. ¶ Quamobrem quando amamus, vel de-

detestamur aliquod obiectum propter prædicatum commune alijs (quo pacto solemus amare eleemosynam, quia Deo gratam; detestarique furtum, quia Deo inuisum, quæ prædicata communia sunt alijs bonis, ac prauis operibus) ideò est, quia non solum in speciali cognoscimus hæc obiecta *taliter* grata, vel ingrata Deo esse; sed etiam in genere cognoscimus, ea obiecta esse grata Deo; illa ingrata. Video, posse nonnulla contra doctrinam traditā opponi; sed, quæ partim soluta sunt ex hoc, quod nuperrimè diximus, si bene inspiciatur; & partim ex dictis capit. 2. vbi de impræscissione obiectiua diuini affectus ex parte prædicatorum, quæ penitus identificantur in obiecto.

CAP. VI.

Alij tres dicendi modi expenduntur.

62 SExtus modus dicendi est perdocti P. Antonij de Quiros, cuius opera præclara quotidie expectamus, qui breuiter, & acutè de suo more dixit, aliud esse moueri ad amandum obiectum, quia est bonum possessum; aliud moueri, quia obiectum esse sic possessum est bonum. Et quidem hæc duo valde differre, constat satis, ex eo, quòd voluntas moueatur ad desiderandam salutem, quia est bonum absens; non tamen, quia bonum sit, esse sic absentem. Vnde infert hic Autor in Deo esse amorem strictum circa sua prædicata diuina, tametsi sint essentialissimè existentia, possessaque à Deo, quia Deus non solùm amat illa, quia sunt bona ab ipso Deo possessa; sed quia esse sic possessa bonum est. Vnde, iuxta hanc doctrinam, non videtur in alio consistere rationem amoris stricti, vt sic, quàm in eo, quod non solùm habeat esse amorem obiecti, quia obiectum est bonū possessum; sed habeat amare obiectū, quia bonum est.

69 Sed hic modus dicendi nihil, aut parùm differre videtur à primo modo impugnato nu. 45. & 46. Vnde colligo insufficientiam illius pro re nostra. Vel enim, vt affectus voluntatis sortiatur rationem amoris stricti sufficit, vltra speciales differentias desiderij, & gaudij claudere præcise rationem genericam amoris; vel non sufficit? Si hoc vltimum, certè, cùm ratio generica amandi sit inclinatio in bonum, quia bonum apparet, requiretur aliquid aliud præter hoc prædicatum ad rationem amoris stricti: & sanè quandiu tale aliud non aperiatur, neq; præsens controuersia dirimitur, neque apparet via, vt solidè concedamus, vel negemus Deo a-

morem strictum circa se ipsum. Nec dubitabile est, affectum Dei circa se ipsum habere rationem amoris, vt sic. Si dicatur primũ, nempè sufficere &c: ergo amor strictus præter differentias desiderij, & gaudij nihil aliud importat, quam rationem amoris in genere. Quæstio autem præsens non est de amore generaliter sumpto; sed specialiter, nempè pro specie amoris non inclusi essentialiter in omni desiderio, & gaudio: in omni prosecutionis affectu. Vide dicta loc. cit. Nihil igitur hactenus habemus ad rem præsentem sufficiens. Quod dicitur de amore stricto Dei circa se ipsum, discutietur seq. disp.

70 Septimus modus dicendi, vel potius vberior præcedentium explicatio est. P. M. Bernardi de Aldrete disp. 2. de Voluntate Dei, sect. 2. vbi ait. Gaudium ex propria ratione specificâ, vel quasi specificâ gaudij, & ex proprio suo modo tendendi non præscindit à possessione sui obiecti, sed illam positiuè requirit. At amor strictus vniuersim sumptus præscindit ex propriâ sua ratione specificâ, vel quasi specificâ à possessione sui obiecti, non exposcens illam positiuè. Verum, quia tota res posita est in explicatione huius præcisionis, quam in propriâ suâ ratione, proprioque tendẽdi modo strictus amor importat, illam explicat, non quidem quatenus nullus sit possibilis amor strictus, qui nõ præscindat à possessione obiecti; sed quia amor strictus, vel præscindit abeâ possessione; vel si nõ præscindit, id prouenit ex naturâ speciali obiecti, ad quod terminatur, non potentis attingi præcisiuè à possessione. Hinc, licet amor strictus, quo Deus amat suam essentiam, non præscindat à possessione diuinæ essentiæ, quippe in ipsâ formalissime imbibitur possideri à Deo, id tamen non prouenit ex eo, quòd amor strictus ex suâ specie petat vniuersim possessionem sui obiecti, sed quia hoc determinatum obiectum nequit attingi præcisim à possessione. Sic desiderium ex specie sua nõ petit vniuersim, ferri in bonum arduum; potest tamen accidere desiderium aliquod ferri in obiectũ, quod nõ solũ bonũ, & absens proponitur; sed etiam arduum. Tunc autem, quòd bonũ desideratum sit arduum non erit ex exigentia desiderij, quatenus præcisè existentis in specie desiderij, sed ex obiecto speciali, ad quod fertur.

71 In hac tamen explicatione supponitur vnum, & aliud inexplicatum relinquitur, quod vnicè, vel præcipuè exponendum erat: supponitur, vltra rationem amoris in genere dari prædicatum constitutiuum amoris specialis distincti ratione à desiderio,

rio, & gaudio. Quod licet verum esse, constet ex cap. 2. quæst. 6. at, in quo stet huiusmodi prædicatum, hoc opus, hic labor est. In explicatum autem relinqui, patet sic ex inculcatis sæpè. Prædicatum genericum amoris habet quicquid hîc assignatur pro amore stricto: ergo non assignatur hîc specialis amor; sed genericus omnem affectum prosecutionis transcendens. Antecedens probatur. Nam prædicatū genericum amoris ex sua præcisa ratione non aliud habet, quàm esse prosecutionem boni, quia bonum est: quòd si tale prædicatum contractum ad talem determinatam materiā, & actum, v.g. ad tendentiam in essentiam Dei non præscindit à possessione, hoc non est præcisè ex prædicato amoris; sed ex alijs capitibus. At nihil præter hoc assignas in amore, quem specificum, & specialem vocas, ratione distinctum à desiderio, & gaudio: ergo confundis amorē specialem cum generali.

72 Explicatur primò. Nam, vt minimè negabit P. Aldrete, sicut Deus eodem actu tendit ad suam essentiā, amans ipsam amore stricto, ac de ipsa gaudens; ita potest hominem, quē iustum videt, sic amare, vt eodem actu amet stricto amore id, quod est esse iustum, & gaudeat, quia talis creatura possidet iustitiam. In hoc actu, per te, tria concurrunt. *Primum*, ratio generica amoris tendēdis in hominem iustum. Secundum, amor specificus, vel quasi specificus, qui vocatur strictus, ratione distinctus à gaudio. Tertium, amor gaudij. Probo, ab hoc autore confundi secundum cum primo. Nam illud secundum, quod vocas amorem strictū, nihil aliud habet, quàm ex sua præcisa ratione non petere positiuè possideri iustitiam ab homine. Deinde: licet talis amor strictus hîc, & nunc nō præscindat à possessione, id prouenit ex identitate eius amoris cum gaudio; tametsi non ex incapacitate obiecti impotentis attingi præcisiuè ā possessione: bene enim potest hæc essentia: *hominem esse iustum* attingi, præscindēdo ab eo, quòd actualiter sit exercita, & possessa. At illud primum, nempe amor genericus, ex sua præcisa ratione non petit possessionem iustitiæ: quòd si contractus hîc, & nunc ad gaudium postulat eā possessionē, id prouenit ex identitate cum gaudio: ergo amor specialis confunditur cum communi.

73 Porro, vt semel hanc rem plenè comprehendas, sume prædicatum istud genericum, & cōmune cuilibet intellectioni, & volitioni: *Actus substantiæ intellectualis*. Nunc interrogo. Vt specialis quidam actus substantiæ intellectualis sit intellectio,

sufficiet esse actum substantiæ intellectualis? Minimè. Nam para volitio, quæ intellectio non sit, est actus substantiæ intellectualis. Quid igitur vlterius opus erit, vt sit intellectio? Sanè, quod præter prædicatum commune nō intellectioni habeat illud speciale, quo intellectio in esse intellectionis constituitur. Iam sic applicemus hoc ipsum instituto nostro. Sume prædicatum illud genericum, & commune amori speciali stricto, & puro gaudio, quod amor strictus non sit: *Affectus erga bonum, quia bonum apparet.* Peto. Vt specialis aliquis affectus sit amor specialis, & quasi specificus, sufficiet ne prædicatum hoc? Minimè. Nā purum gaudium, quod nō sit amor strictus, hoc prædicatū sortitur. Quid igitur vlterius opus erit, vt sit amor strictus specialis, & quasi specificus? Sanè, quod præter assignatum prædicatum commune habeat aliud, non solùm conuenientium ipsius in ratione puri desiderij, aut puri gaudij, sed alterius specialis affectus, qui nomine stricti amoris insignitur. Cum igitur hoc prædicatum satis assignatum non sit, patet, difficultatem præsentem non esse plenè exhaustam.

74 Demum ex Mag. Aluiz disput. 8. sect. 4. de Voluntate, nonnullas tenente vias, vt probabiliter defendi possit amor strictus Dei circa se ipsum, dici posset, amorem in genere, amorem strictum specialem, tandemque gaudium sic distingui ex propriis suis conceptibus, quatenus amor in genere non est aliud, quàm affectus in bonum, quia bonum apparet, præscindendo ab eo, quod sit motus affectiuus ad ipsum bonum; vel quies in ipso. Gaudium est affectus erga bonum, quia bonum apparet, quo affectu voluntas quiescit in ipso, quia non solùm apparet bonum; sed etiam existens, & possessum. Amor strictus est affectus erga bonum, quia bonum apparet, quo voluntas *affectiuè* mouetur ad hoc, vt tale bonum existat, eoque motu sic se habet voluntas: *Placet existere hoc obiectum.* Hæc autem affectiua motio, si sit erga obiectum, cuius existentia modo aliquo constituta sit in potestate amantis, inclinat, & allicit ipsum, vt conetur reddere existens tale obiectum, quod minimè conuenit gaudio de ipso, vt iam existente, & possesso. Si autem sit de obiecto, quod nullatenus potest ab amante produci, talis affectus est affectiua motio ad existentiam obiecti, quatenus in linea affectiua, vt loqui solent Thomistæ, adeo similis est affectui allicienti ad reddendum existens obiectum, vt ab eo affectu non disideat penes pertinētia ad lineam affectiuā; sed effectiuam, scilicèt, quoniā al-

aliter affectus est in eo, qui potest aliquomodo producere obiectum; aliter in eo, qui nullo modo potest, Quibus expeditius traduntur ea, quę habentur apud Aluiz, vel formaliter, vel in semine.

75 Hic modus dicendi displicet. *Primo*. Quia omne desiderium obiecti, necnon omne decretum efficax rei producendæ sunt motus affectiui circa existentiã suorum obiectorum. At nullus, quem ego viderim, confidit hactenus cum amore stricto desiderium omne, & omne decretum efficax rei: ergo amor strictus non stat præcisè in motu affectiuo circa existentiã sui obiecti. Si dicas, no consistere præcisè in eo motu affectiuo; sed in motu affectiuo non identificato cum desiderio, vel decreto efficaci: interrogo. Vel motus affectiuus, in quo ponis amorem strictum, excludit identitatem etiam cum gaudio, sicut iam fateris excludere identitatem cum desiderio, & decreto efficaci, vel non? Si hoc: ergo neque cum desiderio, & decreto. Nam quotum amor strictus non excludet identitatem cum gaudio; excludet tamẽ cum desiderio, & decreto? Maximè, cũ difficilius appareat, amorem strictum, qui est motus ad obiectũ, identificari cum quiete in obiecto, quam cum desiderio & decreto, qui motus sunt ad obiectum. Si dicatur, amorem strictum esse motum affectiuum ad obiectum excludentem identitatem cum desiderio, decreto, & gaudio, verum quidem dicitur in sensu tradendo cap. seq. sed non ad rem, quia nunc agimus, an amor strictus poni possit citra exclusionem identitatis cum gaudio; & ad sic ponendum amorem strictum inuentus est modus potitus num. præced.

76 *Secundò*. Nequit amor strictus esse prædicatum transcendens omne gaudium. Nam alioqui non erit possibile purum gaudium, quod amor strictus non sit, nihilque addet amor specialis strictus supra amorem in genere, vt expendenti patebit. At, iuxta prædictum modum, potest amor strictus esse prædicatum transcendens omne gaudium: ergo prædictus modus est insufficiens. Minor probatur. Amor, cui repugnat inclinare amantem ad productionem obiecti, quia talis amor est essentialiter obiecti improducibilis, hoc non obstante, est amor strictus, quia inclusum habet hunc modum tendendi * Placet hoc obiectum existere * & hic modus tendendi similis est illis, qui alliciunt amantem ad producendũ obiectum producibile ab ipso. At per quodlibet gaudium, quo voluntas lætatur de obiecto, vt existente, & possessio, placet voluntas.

luntati existere obiectum, & in hoc simile est gaudium affectibus allicientibus ad producendum obiectum, quod, & est ab amante producibile, & in quo nondum quiescit amans: ergo quodlibet gaudium erit amor strictus, vel, quod idem est, amor strictus transcendet omne gaudium.

CAP. VII.

Nostra sententia.

78 EXistimo, Recentiores Theologos nodum in scirpo quæsiuisse, naturam stricti amoris ita explicare volentes, vt inde descendant ad defendendū in Deo circa se ipsum amorem strictum ratione distinctum à gaudio, & cum eodem gaudio realiter identificatum. Et quidē ferè omnes modi dicendi, quos hactenus proposuimus, veritatē attigerunt, quatenus ad amorem strictum exposcunt respicere obiectum, præscindendo ab existentiâ, & non existentiâ; possessione, & nō possessione. Peccarunt tamen in explicatione talis præcisionis, confundentes amorem strictum specialem cum generico ex eo, quòd voluerint ita strictum amorem explicare, vt maneat locus ad hoc, vt amor strictus ex proprio suo conceptu permittat identitatem realem cum gaudio de eodem obiecto. Vt igitur clarè mens nostra percipiatur, & præcisio, quam amor strictus importat, exponatur, præmitto primò. Amor strictus attingit suum obiectum, quia bonum, præscindendo in aliquo vero sensu ab eo, quòd illud attingat, vt absens, vel præsens. Nam, vt supponimus ex communi Philosophorum, & Theologorum, ne tota controuersia de nomine sit, amor strictus non est ex suâ peculiari ratione formali desiderium, & gaudium; sed noua species affectus. Esset autem ex suâ peculiari ratione formali desiderium, aut gaudium, si in nullo vero sensu præscinderet ab attingentia sui obiecti, vt absentis, vel præsentis.

79 Præmitto secundò. Non sufficit ad rationem amoris stricti, esse affectum ex prædicato generico amoris præscindentem ratione nostrâ ab attingētiâ obiecti, vt absentis, vel præsentis. Non enim quilibet affectus prosecutionis rationem amoris stricti sortitur, ne alioquin specialis amor confundatur cum generico. Quilibet autem affectus prosecutionis præscindit ratione nostra ex prædicato generico amoris ab attingentia obiecti, vt absentis, vel præsentis. ¶ Præmitto tertiò: præter hanc præcisionem rationis ex prædicato generico nullatenus sufficientē ad rationem amoris stricti, po-

test

test spectari alia præcisio distinctionis realis, quam tetigi num. 45. vi cuius amor aliquis sit erga bonum, quia bonum, distinctus realitèr tum ab attingentia eiusdem boni, vt absentis; tùm etiam ab attingentia eiusdem, vt præsentis. Affectus autem simplex huius conditionis est citra dubium amor strictus, quidquid sit, an citra huiusmodi distinctionem realem dari possit affectus, qui sit etiam strictus amor, de quo postea.

80 Porro, simplicem affectũ eius conditionis esse amorem strictum, patet: quia simplex affectus in bonum, quia bonum apparet, qui neque desiderium est, neque gaudium, est citra dubium amor strictus. Simplex autem affectus in bonum, quia bonum apparet, distinctus realitèr à desiderio, & gaudio, est simplex affectus, qui neque desiderium est, neque gaudium. Dixi *simplex affectus*. Nam decretum absolutum, quo decernimus, v. g. mouere brachium in hoc momento, neque desiderium est, neque gaudium circa motũ; & tamen, quia non est simplex complacentia, quam velleitatẽ vocant, non solet ab Authoribus inter amores strictos recenseri. Neque nouum est, prædicatum genericum coniunctum cum distinctione reali ab alijs eiusdem generis constituere peculiarem speciẽ. Sic planta specificè sumpta diffiniri solet: *Viuens vegetatiuum tantùm*, id est, realiter distinctum ab illis vegetatiuis, quæ supra vitam vegetatiuã aliá potiuntur. Sic huiusmodi genus: *Cognitio omnipotentiæ* constituit speciem cognitionis abstrahentis omnipotentiã à iustitia, constituendo cognitionem omnipotentiæ nõ attingentem ipsam simul sub expressione iustitiæ, id est, realitèr distinctam à cognitione simul attingente omnipotentiam sub expressione omnipotentiæ, & iustitiæ. Mille alia consimilia facilè possent aggerari.

81 Præmitto quartò. Dupliciter potest amari bonum, quia est bonum præsens, & possessum; vel indiuisim ex modo tendendi propter totam hanc rationẽ, & tunc talis amor congruenter ad suam naturam, & modũ sic explicatur: *Placet mihi obiectum hoc, quia bonum possessum est.* Vel diuisim ex modo tendendi, & quia bonum est, & quia bonum possessum est. Et tunc eiusmodi amor sic explicabitur consentaneè ad proprium modum, & naturam: *Et hoc obiectum mihi placet, quia bonum est, & etiam placet, quia bonum possessum est.* Explico rem hanc exemplis petitis ex doctrina, quam subtiliter tradunt nonnulli ex nostris, tum in actibus intellectus, tum etiam in actibus voluntaris. In intellectionibus quidem, sumptis duobus

bus iudicijs, altero, quo intellectus indiuisim dicat: *Petrus, & Paulus coexistunt in hoc momento A*, & altero, quo diuisim dicat: *Petrus existit in hoc momento A. Paulus existit in hoc momento A.* Per primum attinguntur non solùm illæ entitates, in quibus consistit ea coexistentia; sed attingitur etiam ipsa coexistentia sub expressione coexistentiæ. Per secundum attingũtur quidem res illæ, in quibus ea coexistentia consistit; non autem ea coexistentia sub expressione coexistentiæ. Per primum iudicium aliter se gerit intellectus quoad modum formalem iudicandi, ac se gerit, iudicatâ per vnum actum existentiâ Petri in hoc instanti A, & per alium actum iudicatâ existentia Pauli in eodem instanti. Per secundum autem iudicium, non aliter se gerit intellectus, ac iudicatis vtraq; existentiâ per duplex iudicium; sed differentia præcisè est non tàm intentionalis facilè cadens sub interiorem experientiam mentis supra se reflectentis, quàm physica desumpta ex vnitate, ac distinctione reali earum tendentiarum ad vtramque existentiam.

82 Deinde in actibus voluntatis. Sumamus enim, alterum actum, quo voluntas afficiatur sic indiuisim: *Volo Madritum adire, vt simul coniungantur videre matrem, & agitationi taurorum adesse*; alterũ, quo sic tendat diuisim: *Volo Madritum adire ad videndam matrem, idemque, volo vt agitationi taurorum adsim.* Per primum actum finis intentus est ea bonorum coniunctio sub ratione talis coniunctionis. Per secundum autem non respicitur, vt finis, ea coniunctio sub ratione talis coniunctionis; sed quodlibet eorum bonorum secundũ se sumptũ, præscindendo à cognitione illorum exprimente cõiunctionem sub ratione coniunctionis. Per primum actum non respicit voluntas ea bona, vt fines adæquatos, ex modo amandi; sed quodlibet, vt in consortio alterius constituens vnicum finem adæquatum. Per secundũ autem actum, ita defendentibus RR. cum Ioanne de Lugo Card. respicit voluntas quodlibet eorum bonorum, vt finem ex modo amandi adæquatum: quippè non minùs eo vnico actu voluntas quemlibet eorum bonorum secundùm se vult, quã si duplici afficeretur actu, altero ad vnũ ex illis bonis, & altero ad aliud terminato: quare discrimẽ versans inter casum vnius, & casum duplicis actus, non tam sumitur ex modo affectiuo; quàm ex physica vnitate, vel dualitate. Quo fit, quemadmodum, quando volũtas vno actu vult adire Madritum ad videndam matrem, & alio ad fruendum agitatione taurorum, satis probabilitèr cõijcitur

ijcitur, quòd, stante quolibet eorum vnitū, & altero deficiente, voluntas se determinaret, vt Madritensem carperet viam; similiter dicendum erit, quando voluntas idem obiectum amat eodem actu propter vtrumque finem diuisim ex modo amādi.

83 His positis, censeo, amorem strictum vniuersim acceptum sic optimè describi. *Est simplex affectus voluntatis tendentis in obiectum bonum, quia bonū est, diuisim ex modo tendendi ab eo, quod tale bonū sit absens, vel præsens.* Dicitur: *Simplex affectus*, ad distinctionem decreti efficacis, quo decernimus rem existere: *Voluntatis tendentis in bonum, quia bonum est*: hoc enim est cōmune cuilibet prosecutionis affectui, cuiusmodi est amor strictus: *Diuisim ex modo tendendi, &c.* ad distinctionē amoris stricti à desiderio, & à puro gaudio: quanuis enim eis affectibus, vtpote prosecutiuis, tendat voluntas in bonum, quia bonum; gaudio tamen non tendit diuisim à præsentia, neque desiderio diuisim ab absentia. Ratio nostræ descriptionis est. Quia per illa, quæ diximus, talis affectus aliquid addit supra genericum amorem, qui non dicit ex sua ratione attingere bonum quia bonum, diuisim ab absentia, & præsentia; sed præcise attingere bonum, quia bonum, & abstrahit ab eo, quod attingatur diuisim, vel indiuisim ab absentiâ, & præsentia. Præterea per id, quod addit iste affectus ad amorem in genere, secernitur ab alijs, nempè, a decreto efficaci, à puro desiderio, puroque gaudio. Tandem nullo aptiùs hæc omnia præstantur, vt ex cap. præced. constat. Nihil ergo deficit huic nostræ descriptioni, quominus optima sit, quæ videtur eo magis commendanda, quo magis accedit ad cōmunem de amore stricto conceptionem.

84 Pro cuius vberiori explicatione fit ex dictis primo: tot modis dari amorem strictum, quot modis datur affectus, quē descripsimus, quia definitum, ac definitio conuertibiliter dicuntur, vnde quot modis datur definitio, tot datur definitum. Inde fit secundo, dari amorē strictum distinctum realiter à desiderio, & gaudio circa suum obiectum: in quo iam omnes conueniunt. Et ratio est clara. Nam quando alicui placet simplici affectu obiectū, quod ipsi proponitur bonum, quin vel absentiæ, vel præsentiæ meminerit, talis affectus est amor strictus circa tale bonum distinctus realiter ab eiusdem boni desiderio, & gaudio. Nam ex vna parte est amor simplex boni, quia bonum apparet; & aliunde attingit bonum, quia bonum, diuisim à præsentia, & absentia, quippè nullus modus est aptior ad hanc attin-

attingentiam diuisiuam boni, quàm sic in ipsum ferri, vt sit affectus realitèr distinctus ab illis, qui feruntur in bonum coniunctim cum circumstantia præsentiæ, vel absentiæ.

85 Fit tertiò, posse amorem strictum, qui circa idem obiectum sit simul gaudium. Talem arbitror actū, qui nullatenus repugnare videtur, sic tendentem. *Placet mihi hoc obiectum, quia bonum est, lætorque de ipso, quia est bonum à me possessum.* Quia talis actus est affectus simplex erga bonum, non attingens ipsum purè indiuisim à possessione, hoc modo: *Quia est bonum possessum*; sed etiam ex modo tendēdi attingens ipsum diuisim a possessione, hoc modo: *quia bonum est* (suppono etiā hunc affectum non tendere circa bonum, vt absens.) At affectus simplex erga bonum attingens ipsum, quia bonum diuisim à præsentia, & absentia, est amor strictus: ergo talis affectus, quāuis identificatus cum gaudio; amor tamen strictus est. ¶ Fit quarto, impossibilem tamen esse amorem strictum identificatum cum desiderio eiusdem obiecti. Pro intelligentia præsentis illationis, quæ difficilis, ac valdè notanda videtur, suppositā illatione tertiā. Sciendum est primo. Simplex desiderium, vt sic, non imbibere formaliter totam rationem specificā amoris stricti. Nam alioquī contra communem acceptionem istorum affectuū non esset possibile desiderium purum impermixtum cum specifica ratione stricti amoris.

86 Sciendum est secundò; consequentèr ad dicta cap. 2. quæst. 3. In vno sensu verum est, omne desiderium purum condistinctum ab amore stricto, & gaudio tendere indiuisim *in bonum vt absens*; & in alio tendere in bonum, quia bonum, diuisim ab absentia. Primum est verum significādo ita respicere bonum tanquam obiectum, quod prosequitur, vt simul respiciat absentiam, tanquam obiectum, à quo fugit. Secundum est verum significando, motiuum prosequēdi rem desideratam non esse indiuisè totum hoc: *Bonum cum absentia*; sed bonum secundùm se est motiuum prosequendi; & absentia motiuum fugiendi. Sic enim vno actu afficitur animus, quando v g. sanitatem absentem desiderat: *Vtinam salus, quia bona est, adesset; afflictorque quòd absit.* Hinc probatur illatio nostra. Nā modus tendendi proprius amoris stricti circa bonum, quia bonum, diuisim ab absentia, & præsentia, non est modus tendendi cōmunis omni desiderio puro, & impermixto cum amore stricto, & gaudio. At habere pro motiuo prosequendi obiectum amatum ipsam bonitatem obiecti

iecti seorsim à præsentia, & absentia, est modus tendendi communis omni desiderio impermixto cum amore stricto, & gaudio: ergo alio modo non communi prædictis desiderijs tendit amor strictus in bonitatē obiecti seorsim ab absentia. Hic autem modus alius non est, quā absentiam non respicere adhuc per modum obiecti, à quo fugit, atque hoc ipsum est *non esse* desiderium sui obiecti, id est, *non identificari re ipsa* cum desiderio sui obiecti: ergo de ratione amoris stricti est non identificari re ipsa cum desiderio sui obiecti, & consequentèr impossibilis est amor strictus identificatus re ipsa cum desiderio sui obiecti: & hæc erat illatio nostra.

87 Vnde patet discrimen, ob quod, iuxta tertiā illationē, possibilis sit amor strictus identificatus cum gaudio de suo obiecto; & tamen, iuxta quartam illationem, impossibilis sit amor strictus identificatus cum desiderio sui obiecti. Nimirū, quia identitas possibilis amoris stricti cum desiderio infert, impossibile esse purum desiderium impermixtum cum amore stricto, & gaudio, quod est absurdum contra communem istorum affectuum acceptionem accuratè obseruādā in explicandis rerum essentijs; at verò possibilis identitas amoris stricti cum gaudio de eodem obiecto non infert, impossibile esse gaudiū purum impermixtum cum amore stricto, & desiderio, quippè tale gaudium erit affectus, qui tendat in bonum purè indiuisim, *quia bonum possessum*. Rursus cōstat, quomodo accipienda sit illa diffinitio amoris stricti vniuersim accepti, quam tradidimus num. 83. scilicet: *Simplex affectus voluntatis tendentis in obiectum bonum, quia bonum est, diuisim ex modo tendendi ab absentia, & præsentia.* Nimirum, non tendens in absentiam, & præsentiam modis communibus his, qui includuntur in desiderio, & gaudio præcisè ex suis rationibus acceptis. Demū seruata debita proportione cum amore stricto, & comparatione ipsius cum gaudio, poterit quisque tradere naturam odij stricti, illudque cum tristitia conferre. Et hæc satis de hac disputatione minus ideo breuiore, quia minus agitatā.

DISPVT. XI.

An Deus amet suas perfectiones intrinsecas amore stricto, prout distincto à gaudio?

VT absoluamus explicationem amoris diuini necessarij circa perfectiones intrinsecas Dei,

Dei, oportet difficultatem præsentem dirimere.

CAP. I.

Præmissis quibusdam certioribus, controuersiæ status aperitur, Theologorumque placita recensentur.

1 PRæsentem quæstionem ab antiquis Theologis parum discussam; à nouioribus autem diligentius agitatam, non pauci putant leuis momenti, ferèque de nomine. Mihi tamen satis pulchra, subtilisque videtur, & sanè de re ipsa, si clarè aperiatur controuersiæ status neque parum vtilis ad diuinorum, & creatorum affectuum naturā indagandam. Præmitto primò. Voluntatis affectus tam prosecutionis, quàm fugæ, qui numerari solent, sunt nouem iuxta doctrinam D. Thom. 1. 2. quæst. 23. & 25. viderique potest P. Vázquez 1. p. disp. 84. cap. 1. Circa bonum quidem * Amor, Desiderium, Spes, Gaudium, vel Delectatio ✻ At verò circa malum * Odium, Fuga, Timor, Desperatio, Tristitia, vel Dolor. Porrò *amor* bifariam accipitur. *Primò* pro quadam certa specie affectus prosecutionis distincta ab alijs speciebus affectuum prosecutiuorum, nimirùm, à desiderio, spe, gaudio, vel delectatione. *Secundò* pro generico prædicato affectus prosequentis bonum, quod quidē prædicatum includitur in omni affectu prosecutiuo, siue ille sit desiderium, siue spes, siue gaudium.

2 Et quidem, sicut aliud est esse propriè animal; & aliud esse specialiter, vel specificè animal, nam esse propriè animal non est aliud, quam esse propriè viuens sensitiuum; esse autem specialitèr, & specificè animal, est esse animal contractum ad rationalitatem, vel ad aliam differentiā, ex quâ certa species animalis cōsurgat, ita similitèr, aliud est esse propriè amorem; & aliud esse specialitèr, & specificè amorem. Nam esse propriè amorē non est aliud, quàm esse propriè actum, per quem alicui volumus bonū: vt enim animal diffinitur: *Viuens sensitiuum*; sic amare diffinitur iuxta Arist. lib. 2, Rhetor. cap. 4. *Amare est velle alicui bonum.* Esse autem specialitèr, & specificè amorem est, esse amorem contractum ad certam differentiam, vel desiderij, vel gaudij, &c. ex quâ differētia simul cum ratione generica amoris certa quędam resultet amoris species. Quapropter ex eo, quòd Scriptura, PP. Theologi, ac Philosophi sine restrictione Deo tribuāt amorem, proindeque sint propriè accipiendi, nihil habetur pro amore stricto, sumpto ly *stricto* pro amore specifico habente in genere amoris differentiam aliā

à diffe-

à differentiâ desiderij, spei, & gaudij; benè tamen, sumpto ly *amore stricto* pro eodem, ac amore, non metaphoricè; sed propriè tali, cuiusmodi sunt etiam desiderium, spes, & gaudium. Vnde, qui negare Deo voluerint amorem strictum, id est, alterius differentiæ, quàm prædicti affectus, parùm vrgebuntur testimonijs præcisè significantibus sine vlla limitatione proprietatem amoris diminuente, in Deo esse amorem: quæ testimonia erudite sanè; sed absque magno fructu conglomerat in præsenti sapientissimus P. Didacus Ruiz infra citandus.

3 Præmitto secundò, nullũ esse in Deo fugæ affectum, quo fugiat à se ipso, vt ex ipsis terminis liquet: cum enim se amet, quàm vehementer excogitabile est, nullamque in se ipso plenissima bonitatis omnis scaturigine inuenire possit rationem; cur à se fugiat, manifestum est, non posse affectiuè fugere à se ipso. Præmitto tertiò, neque posse Deum habere affectus desiderij, aut spei circa bona sua intrinseca necessaria, & absoluta. Dixi: *Necessaria*, quia mihi modò non est sermo, num Deus possit concipere desiderium circa suos actus liberos. Dixi etiam *absoluta*, quia neque modo agimus, an Deus possit prædicata sua notionalia, & personalia desiderare. Iam prima pars, nempè, Deũ habere non posse desideriũ circa prædictas perfectiones sibi intrinsecas, probatur. Quia nulla notitia prædictarum perfectionum potest dirigere Deum ad desiderium ipsarũ. Etenim omnis notitia diuina talium perfectionum attingit ipsas, vt omnino necessariò, & citra omnem difficultatem determinatas ab existendum. At eiusmodi cognitio tã abest, quo possit dirigere ad desiderium talium perfectionum, vt potius illud impediat: nam desiderans existentiam rei optatæ est quodãmodo anxius, & solicitus propter ipsius existẽtiam; non autem ita solicitus est, qui rem videt omnimoda necessitate existentem, aut ad existendum determinatam: ergo nulla notitia diuina prædictarum perfectionum potest dirigere Deum ad desiderium ipsarum. Confirmatur. Notitia per quã tibi constet, adeò rem esse constitutam in tua libera potestate, vt eam proculdubio, & citra omnẽ difficultatem obtinebis, eo præcisè quòd velis, impedit eius rei desiderium: quare nullus desiderat mouere brachiũ, videns motum esse proculdubio extiturum, eo præcisè, quòd ipse velit: ergo à fortiori impediet desideriũ diuinũ circa prædictas perfectiones, notitia, per quam Deo constantissimum est, eas existere prorsus necessariò, cumque talis sit omnis notitia, per quam Deus ipsas

agnoſcit, nulla notitia diuina ipſarum locũ relinquit deſiderio. Hinc patet ſecunda pars de ſpe. Si enim Deo circa prædictas perfectiones cõpetere nequit deſiderium: ergo neque ſpes. Nam ſpes eſt quoddã rei ſperatæ deſideriũ, ſupra quod præcisè addit, eſſe affectum ſuapte natura coniunctum cum notitia, quæ ſuadeat aliquomodo futuritionem rei ſperatę, ideoque talis affectus erigit alacriter animum ad conſecutionem; ſicut è contrario, quia deſperatio ſuapte natura coniungitur cum nulla, vel quaſi nullâ ſuaſione deſperatæ rei, animũ delectè fractum proſternit.

4 Præmitto quartò. Non eſt dubiũ, habere Deũ gaudiũ, & delectationẽ circa ſuas intrinſecas perfectiones. Ratio eſt. Quia gaudium, & delectatio nõ eſt aliud, quã iucunda voluntatis quies in bono, quia cernitur exiſtens, & poſſeſsũ. At diuina volũtas iucũdiſsimè quieſcit in diuinis perfectionibus, quia Deus ipſas videt, vt exiſtentes, & ab ipſo Deo per idẽtitatẽ perfectiſsimè poſſeſſas, maximè, cũ hæc iucundiſsima quies in diuinis bonis neceſſaria ſit ad perfectiſsimã beatitudinẽ, & fœlicitatẽ Dei. Gaudet igitur Deus, ſummèque delectatur circa ſuas intrinſecas perfectiones. Vide D. Th. 1. cõtra gẽtes, c. 90. necnon cap. 91. verſ. *Quod autẽ*, vbi hanc veritatẽ ſacræ Scripturæ teſtimonijs confirmat. Dixi: *Gaudiũ, & delectationẽ.* Nã D. Th. citato c. 90. circa finẽ, diſtinguit ratione gaudiũ, & delectationẽ his verbis: *Delectatio prouenit ex bono realitèr coniuncto; gaudiũ autem hoc non requirit; ſed ſola quietatio voluntatis ſufficit ad gaudij rationẽ, &c.* Cũ igitur Deus, videns ſuas perfectiones exiſtẽres, in illis, vt ſic exiſtentibus, quieſcat; videnſque illas, vt ſibi realitèr per identitatẽ coniunctas, in illis, vt ſic coniunctis, delectetur, patet in Deo eſſe gaudium, & delectationem circa prædictas perfectiones.

5 Præmitto quintò, Deũ propriè, & non tolũm metaphoricè amare ſuas perfectiones intrinſecas. Non dico, amare ſuas perfectiones intrinſecas amore ſpeciali, ſiuè ſpecifico, qui ſolet ſtrictus nuncupari, habetq; in genere amoris vltra rationẽ amoris differentiã aliam à differẽtiâ deſiderij, ſpei, gaudij, & delectationis; ſed dico, Deũ amare cuncta ſua intrinſeca amore proprio, vt condiſtincto à metaphorico. Videatur D. Tho. ſupra, cap. 91. ex quo ſic probatur noſtrũ præmiſſum. Nam amare propriè, vt diſtinguitur ab amare metaphoricè, eſt velle alicui bonum: Deus autẽ ſibi ipſi, ſuiſque perfectionibus vult illã infinitã bonitatem, quã habent: ergo ſe ipſum, ſuaſq; perfectiones amat. Et quidem propriè inuenitur in Deo quicquid nõ dicit imperfectionẽ. At nul-

nullam imperfectionē importat; sed maximā perfectionē, Deum se affectiuè cōiungere cum suis bonis cognitis, vt talibus, in quo stat ea bona amare: ergo Deus propriè amat se ipsum, suasque perfectiones. ¶ Tandē præmitto, sicut in homine, equo, & leone includitur formaliter ratio animalis, quia omnia ista ex suo diffinitiuo conceptu sunt viuentia sensibilia, in quo stat ratio animalis; sic in desiderio, spe, & gaudio, formaliter includitur ratio amoris, quia omnes isti affectus ex suo diffinitiuo conceptu sunt volitiones boni, & in hoc stat ratio amoris.

6 His igitur præmissis, tota difficultas præsentis controuersiæ est: An sicut in homine, v. g. ratio animalis cōmunis omni animali, solùm cōtrahitur per differentiā sufficientē ad constituēdam speciem hominis, nimirū, per differentiā rationalitatis; sic de amore, quo Deus amat suam essentiam, suaque prædicata necessaria, dicendū sit, rationē cōmunem amoris in eo actu diuino solùm contrahi per differentiam gaudij; proindeque in Deo circa talia prædicata non esse aliā amoris speciē, quàm gaudij? Vel an è contrario, sicut in amore, quo indiuisim velis eleemosynā erogare, tùm ex fine subleuandi miseriā inopis; tùm etiā ex fine placendi Deo, ratio amoris neq; solùm contrahitur per differētiā charitatis erga Deū; neque solùm per differentiā misericordiæ circa proximū; sed per vtramque, ideoque talis amor, neque solùm pertinet ad speciē charitatis erga Deum, neque solùm ad speciem misericordiæ circa proximū; sed ad vtrāque speciem; sic in amore, quo Deus amat sua intrinseca prædicata necessaria, ratio amoris circa talia prædicata, neque solùm cōtrahatur per differentiā gaudij circa ipsa; neque solū per aliam differentiā constitutiuā alterius speciei, quā desiderij, spei, & gaudij; sed per vtramque, atque adeò talis amor non solùm pertineat ad speciem gaudij; sed etiam ad speciem amoris specialis, qui iam amor strictus, iam simplex complacentia cōsueuit appellari? In qua re.

7 Prima sententia solùm cōcedit Deo amorem gaudij circa prædicata diuina necessaria, negatque Deo circa talia prædicata speciem aliā amoris. Ita sentiunt Mag. Aluiz hîc, disp. 4. P. Herice tract. 2. disp. 13. Fauet P. Arrub. in cōmentario, quæst. 20. Fasol. 1. p. q. 20. art. 1. dubit. vnica. n. 4. P. Ribas disp. 12. cap. 1. n. 5. quatenus Deo negat amorem strictū circa sua prædicata intrinseca, vt immediatè in se ipsis cognita à Deo. Fuster de volūtate à n. 107. Franciscus Fœlix de volunt. cap. 2. difficul. 2. à n. 2 Docti Recentiores, necnon Aureol. in 1. dist. 4. q. 2. art. 2. Gregor. in 1. dist. 1.

q. 2. art. 2. post quartam probationē secundæ cōclusionis, quatenùs vniuersim negant aliā speciem amoris vltra desiderium, & gaudium. ¶ Secunda sententia è regione oppositā concedit Deo amorem specialem ratione ratiocinatâ distinctum à gaudio circa omnes perfectiones intrinsecas Dei. Pro quâ sententiâ in primis adducitur D. Tho. vbi tamen, & quo iure videbimus infra. Stant pro illâ Zumel q. 20. art. 1. disp. vnica. Albelda ibid. quanuis tatis formidolosè. Ioannes de S. Th. ibi. disp. 6. art. 1. à n. 4. Citatur Hēricus in summa, art. 46. q. 3. propè finē corporis.

8 Eiusdem sententiæ sunt ex nostris P. Suarez lib. 3. de attributis positiuis, cap. 6. n. 7. P. Vazquez 1. p. disp. 84. cap. 2. P. Ruiz de Volunt. disp. 52. sect. 1. P. Arriaga disp. 25. P. Gaspar Hurtado de Volunt. disp. 5. diffic. 2. P. Alarcon tract. 3. disp. 7. cap. 1. P. Granad. tract. 6. de Volunt. disp. 1. P. Tanner. 1. p. disput. 2. q. 10. dub. 2. n. 2. Martinon, disp. 16. de Deo, sect. 2. à n. 11. P. Ouied. 1. 2. tract. de actibus humanis, controuer. 4. punct. 3. P. Ripalda in manuscriptis de Voluntate Dei, disp. 5 per totam, & plerique ex nostris Recentioribus. ¶ Tertia sententia negat Deo amorē strictum circa suas perfectiones intrinsecas, qui formalitèr ratione ratiocinata distinguatur à gaudio, sitque extra huius rationem formalē; admittit tamen in Deo amorem strictū circa prædictas perfectiones formalitèr ratione nostrâ inclusum in ipsa ratione gaudij circa ipsas. Stat pro hāc sententia P. Petrus Hurtado de Mendoza, vt constabit ipsum legēti, tract. de Charit. disp. 155. sect. 8. §. 55. & seqq. Fauet Collegiū Carmelit. 1. p. tract. 4. disput. 4. dub. 2. § 3.

9 Quarta sententia negat Deo specialem amorem circa suam essentiam; concedit autem circa attributa distincta virtualitèr ab essentia. Sic opinati sunt ingeniosi Recentiores Magistri nostri, & alij post ipsos. Quinta sententia negat Deo amorem specialitèr dictum circa suas perfectiones intrinsecas siue essentiales, siue attributales regulatum ex notitiâ, per quam Deus se cognoscit immediatè in se ipso; cōcedit tamen illum regulatum ex notitiâ, per quam Deus se cognoscit in creaturis. Ita Ludouicus de Ribas loc. cit. Sexta sententia est, Deum non posse amare stricto, & speciali amore necessario suas perfectiones intrinsecas; benè tamen libero. Sic nouissimè defendere video quosdam ex nostris Magistris Salmantinis optimæ notæ. Sententiarum, quas retulimus, momenta perpendemus in decursu disputationis.

(*.*)

CAP.

CAP. II.

Præmittuntur quatuor assertiones.

10 EX dictis disput. præced. promptum erit nostrā sententiam colligere. Eam tamen claritatis gratiâ nonnullis assertionibus tradam. Assero primò contra relatos num. 8. pro tertia sententiâ. Deus non habet circa sua prædicata necessaria, & absoluta strictum amorem formaliter ratione nostrâ inclusum in gaudio ipsorum. Dixi: *necessaria, & absoluta*, quia nunc non agimus, acturi postea, de prædicatis notionalibus. Probatur. Nam si quâ ratione talis amor strictus admittendus esset, certè non aliâ, niū quia gaudium diuinum circa prædicata Dei, vt existentia, est formalitèr amor essentiæ talium prædicatorum, de quorum quidditate est existere; & aliunde amor strictus rei est ille amor, qui fertur in essentiam rei secundū se, præscindendo à prædicatis ipsi essentię contingentibus. Hoc est totum aduersariorū fundamētum. At hæc ratio ad rem præsentem nulla est, vt constat ex disp. 10. cap. 4. à n. 56. Nam agimus de amore speciali nō transcendente omne gaudium, & amor sumptus pro prosecutione essentiæ rei secūdùm se non potens ex sua ratione attingere essentiam præcisiuè ab existētia, & possessione includitur intrinsecè in quolibet gaudio, vt loco cit. vidimus: ergo talis amor strictus concedendus non est. Sed, hoc omisso, quod totam disputationem trahit ad voces, quin de re ipsa possit esse dissidium, veniamus ad alia.

11 Assero secundò. Deus in nullo genere se amat propter bonitatem genericam Deo, & creaturis communem, quæ ex parte reddit Deum in eo genere bonum, & non creaturas; & ex parte creaturas, & non Deum. Explicatur conclusio. Sapientia v.g. genericè sumpta, prout increatam, & creatam complectitur, Deum reddit bonum in genere sapientis; non verò creaturas, quâ parte ratio illa generica claudit sapientiam increatam, quia Deus in genere sapientis est bonus per sapientiam increatā; creaturæ verò non per hanc; sed per creatā. Cōtra etiam, sapientia genericè sumpta reddit creaturas bonas in genere sapientiū; non verò Deum, quâ parte includit sapientiam creatam: quia creaturæ in genere sapientū sunt bonæ per sapientiam creatam; Deus autē non per hanc; sed per increatam. Hoc posito, RR. Salmāticenses, quorū meminimus num. 9. fine, existimarunt, Deū, quatenus est in genere sapientis, v. g. posse amare se ipsum non solùm ex hoc motiuo: *Quia sapiens*

piens est sapientia increata sibi speciali; sed etiam ex hoc vniuersaliori prescindente ab eo, quòd sit sapiens, vel increatâ; vel creata sapientia, scilicet, *quia sapiens est*. Cuius rei probationes postea videbimus. Ex qua doctrina inferunt hæc duo.

12 Primum est, eum actum esse amorem strictum: quia licet Deus eo actu se ipsum existentē amet; non tamen, quia existens; & possessus est; sed quia sapiens, quod est prædicatum essentiale; non existentiale: ergo talis actus non est gaudium; sed amor strictus. Nam affectuum essentia desumenda potiùs est ex obiecto formali, quàm ex materiali; & secundario. Secundum est, prædictum amorem strictum non esse necessarium; sed liberum. Non enim est necessarius; præsertim in Deo, affectus, cuius motiuum non est aliquid infinitum; motiuum autem eius affectus nō est aliquid infinitum; sed sapientia, v.g, ab infinitâ, & finita præscindens.

13 Hæc speculatio nulla ex parte mihi probatur. Cōtra quā in primis statuo propositionem illam præfixam ✻ Deus in nullo genere se amat propter bonitatem genericam communem ipsi, & creaturis, quæ ex vna sui parte non Deum; sed creaturas reddit bonas in eo genere; & ex alia parte conuertim ✻ Patet probatio ex dictis disput. 19. capit. 5. à num. 64. Deus enim clarissimè sciens, non reddi bonum, & amabilem in aliquo genere per totam aliquam rationem; sed per partem ipsius duntaxat, nequit in eo genere se amare propter totam eam rationem indiscriminatim acceptā; sed per partem. Nam alioqui se Deus amabit propter id, quo amabilis non est siue in re, siue in mente diuina. At Deus clarissimè videt, non reddi bonum, & amabilem in genere sapientis per totum genus sapientiæ; sed per id genus ea solùm parte, qua sapientiam infinitam, & increatam claudit: ergo Deus in genere sapientis, v. g. (idemque est in alijs generibus, proportione seruata) non se amat propter bonitatem genericam ipsi, creaturisque communem, quæ ex vna sui parte, &c. ¶ Confirmatur. Deus se amans, quia sapiens est in genere, non se amat in confuso, quia sapiens est, nempè, affectu non distinguente affectiuè sapientiam increatam à creata. Nam talis affectus dirigi debet ex cognitione attingenti sapientiam in confuso, estque oppositū imperceptibile; Deusque non attingit in cōfuso genus sapientiæ; sed clarissimè discernens omnes sapientias inter se. Deinde, Deus nō se amat tunc modo isto collectiuo: *Amo me, quia sapiens sum sapientia increata, & etiam sapientia creata*. Nam his modus inferret

ferret in Deo notitiã falsam, & imperfectam ostendentem Deo se esse sapientem, non solùm increata; sed etiam creata sapientia. Superest ergo, Deum se tunc amare modo isto disiunctiuo: *Amo me, quia sapiens sum, vel sapientia creata, vel sapientia increata.* At nec modo isto potest Deus se amare: ergo nullo modo amare se potest, quia sapiens in genere; sed quia sapiens sapientiâ increata.

14 Minor probatur. Tũ, quia satis ęgrè percipitur, affectũ, quo Deus disiũctiuè se amat propter duplicẽ rationẽ, essentialitèr excludere, Deum apparere sibi bonum titulo alterius rationis ex illis. Ille autem affectus disiũctinus sic se haberet, quia essentialitèr esset coniunctus cum notitia diuina perfectissima increatæ, creatæque sapientiæ: estque de ratione talis notitiæ, Deum in genere sapiẽtis apparere sibi bonum titulo solius increatę sapiẽtiæ; non verò creatæ. Tum, quia Deus irrationalitèr se gereret in suis affectib⁹, si se amaret sic: *Amo me vel propter hũc rationẽ, qua sum amabilis, vel propter hanc rationem, qua non sum amabilis*: ergo irrationalitèr se gereret Deus sic se amans: *Amo me, quia sapiẽs sum, vel sapientia creata, vel increata.* Nam in Deo nõ alitèr potẽte cognoscere sapieetiam increatã, quã vt reddentẽ Deũ amabilẽ; & creatam, quàm vt non reddẽtem, perinde est dicere: *Amo me in genere sapientis, quia sapiens sum hac, vel illa sapientia*, ac si dicatur: *Amo me in hoc genere, quia vel habeo, quo sim in illo amabilis; vel habeo, quo in illo non sim amabilis.*

15 Inde cõstat primò, amorem, quo Deus se amat, quia sapiens est, non posse esse liberum, eo quòd non habeat motiuũ infinitum: quippè Deus non aliter se amat, quia sapiens est, nisi quatenus se amat, quia sapiens est sapientia increata, & hoc motiuũ infinitum est, vt patet. Omitto ex disp. sequenti, verius esse, eos affectus diuinos esse necessarios, qui sic purè affectiuè se habent erga obiecta creata, vt nequaquã connectantur cum aliquo extra Deum. Constat secundo, nõ benè defendi amorẽ illũ, quo Deus se amat, *quia sapiens est*, ideò esse amorem strictum, quia motiuũ eius non est sapientia increata essentialitèr existens, & possessa; sed sapientia præscindens ab increata, & creata, ac proinde præscindens ab essentialitèr existente, & possessa; & ab indifferenti, vt existat, & non existat. Iam enim vidimus, eum amorem, vel esse Deo repugnantem, vel ita explicandum, vt ipsius motiuũ sit sapiẽtia increata essentialitèr existens, & possessa.

16 Tertio alia ratione difficile mihi est, eũ amorẽ, quo Deus se amat, v.g. quia sapiens est, esse

amorem strictum, quia motiuũ eius amoris nõ est sapientia quasi abstractè à Deo; sed concretè, nempè sapientiam, vt Deo conuenientem, vt reddentem bonum ipsum Deum in genere sapientis: quod idem dictu est, ac motiuum esse *sapientiam Deo cõuenire*. Non enim aliter sapientia reddit Deum bonum in genere sapientis, nisi quatenus afficit Deum; & non aliter est motiuum eius amoris, nisi quatenus Deum reddit bonum in genere sapientis. Sic, Deo amãte hominem iustum, quia iustum, non est dubium, ex parte rationis amandi se habere iustitiã, vt vnitam homini. Tunc sic. Motiuum eius amoris est *Deo conuenire sapientiam*. At Deo conuenire sapientiam est prædicatum existentiale non præscindens ab existentiâ, & possessione: ergo motiuum eius amoris est prædicatum existentiale non præscindens ab existentia, & possessione; & consequenter, si Deus amans se, quia sapientem sapientiâ increatâ, non se amat amore stricto, quia tunc motiuum non præscindit ab existentiâ, & possessione; propter eandem rationem se amans, quia sapiens est; non se amabit stricto amore. Maior satis est probata, & explicata. Minor probatur, quia tam est essentialiter impossibile, non existere actualiter id, quod est conuenire Deo, quod sit sapiens; quàm est essentialiter impossibile, non existere sapiẽtiam increatã. At propterea sapiẽtia increata est prædicatum existẽtiale nõ præscindens ab existentiâ, & possessione: ergo pariter conuenire Deo, quòd sit sapiens, est prędicatum existentiale non præscindens ab existentiâ, & possessione.

17 Dicunt, amorem, quo Deus se amat, quia sapiens est, esse gaudium liberum, quia eo actu se Deus amat, quia existit in ipso sapientia; amorem autem, quo Deus amat suam sapientiam infinitam, quia sapientia est, esse amorem strictum liberum, quia eo actu Deus amat suam sapientiam propter motiuum præscindens ab existentia. Sed contra. Nam, si rectè perspiciantur dicta num. præced. initio, motiuum huius secundi actus, quem vocas amorem strictum liberum, est sapientiam infinitam identificari cum prædicato sapientiæ: hoc autem motiuum non præscindit ab existentia, quia est essentialiter impossibilis alia identitas sapientiæ infinitæ cum prædicato sapientiæ, quàm actualiter, in exercitio, & existenter, vt sic loquar, identificari cum eo prædicato: ergo tuus amor strictus liber non est amor strictus; sed gaudium, cùm præsertim constet ex dict. 10. cap. 3. q. 10. amorem rei, vt existẽtis, præcisso respectu possessionis in ordine

ad

ad amantem, esse gaudium. Ex quibus patet ad ea, quæ pro RR. afferebantur num. 12.

18 At pro statuendâ fundamentali basi suæ singularis opinionis argumentantur. Quamuis intellectus diuinus vnico intuitu proponat indiuisim sapientiam diuinam secundùm rationem sapientiæ, secundùm rationem infinitæ, increatæ, existentis à se, &c. adhùc potest voluntas diuina præscindere affectiuè, amando diuinam sapientiam, quia sapientia est, quin amet ipsam, quia est infinita, & existens à se: ergo potest Deus amare sua prædicata diuina in aliquo genere propter rationem genericam eis prædicatis, & creaturis communem, quæ ex parte reddit bona talia prædicata in eo genere, & non creaturas; & ex parte cõuersim. Antecedens probatur. *Primò*, quia nihil impedire potest, quominus Deus amet suam infinitam sapientiam propter omnem bonitatem, quam habet. At non solùm est amabilis, quia sapientia infinita est; sed etiam quia sapientia est: ergo Deus illam amat vtroque modo. *Secundò*. Licet intellectus diuinus semper necessario cognoscat omnes fines, in quos dirigi potest opus faciendum à Deo; tamen diuina voluntas potest non ferri necessario in omnes; sed tale opus ad vnum finem dirigere, quin dirigat ad alium; ergo pariter, quamuis intellectus diuinus vno intuitu cognoscat in suâ sapientia rationem sapientiæ, & rationem sapientiæ infinitæ, poterit pro sua libertate diuina voluntas aliquo actu versari circa diuinam sapientiam, quia sapientia est, quin versetur circa ipsam, quia est sapientia infinita.

19 Hæc tamen infirma sunt pro tam singulari opinione. Respond. Negatur antecedens. Ad primam probationem dicatur, Deum posse amare suam sapiẽtiam propter omnem bonitatem, quam habet; non tamen omni genere amoris; sed amore non dicente imperfectionem: quia verò, inspectis duobus modis amandi diuinam sapiẽtiam, altero habente pro motiuo totam bonitatem specialem infinitam diuinæ sapientiæ; altero habente pro motiuo rationem sapientiæ in genere, solus prior modus amandi excludit imperfectionem, eamque posterior includit, vt ex nostris probationibus patet, ideo Deo non est cõcedendus vterque modus amãdi diuinam sapientiam: sed præcisè prior. Sicut ex arguentibus, sumptis duobus modis cognoscendi diuinam sapientiam, altero præscindente rationem sapientiæ à sapientia increatâ, & altero impræscindente, ille negatur Deo, quia imperfectus; posterior autẽ impræscindens cõceditur, quia non dicit imperfectio-

ctionem. Ad secundam probationem, concesso antecedente, negatur consequentia: quia imperfectionem dicit amare sapientiam diuinam, non habita pro motiuo ratione sapientiæ infinitæ; sed ratione sapientiæ in genere; at nulla imperfectio in eo apparet, quòd opus dirigibile ad varios fines, Deus pro sua libertate dirigat ad vnum, non dirigens ad alium. Quomodo autem hoc fiat, quin diuinus affectus præscindat in obiecto rationes identificatas, explicuimus satis disp. 10. cap. 2. num. 25. Vbi, ne patiaris æquiuocationem, nota: dupliciter stat, Deum se amare, *quia sapientem*. Primò, denotãdo, motiuum amoris diuini esse rationem genericam sapientis: & hic modus amandi, quia imperfectus, relegatur à Deo. Secundò, denotando, in motiuo diuini amoris, quo Deus amat se ipsum, reperiri Deum esse sapientem: & hic modus amandi, quia non dicit imperfectionem, conceditur Deo.

20 Assero tertiò. Nullus amor, quo Deus amat sua prædicata necessaria propter bonitatem necessariam ipsis intrinsecam, distinctus est, siue realitèr simpliciter, siue virtualitèr intrinsecè à diuino gaudio circa talia prędicata. Probatur, loquẽdo, claritatis gratia, de omnipotentia, idemque dictum putetur de quâuis aliâ perfectione diuinâ necessariâ, & absolutâ. Omnis amor diuinus ex eâdem formalitate, quâ prosequitur omnipotentiam propterea quod sit bona suâ bonitate necessaria, & intrinseca prosequitur omnipotentiam propterea quòd sit omnipotentia essentialiter existens, & tanquam existens apparens. At in hoc stat, esse gaudium circa omnipotentiam, vt planum est ex disp. 10. ergo omnis amor diuinus circa omnipotẽtiam ex eâdem formalitate intrinsecâ, qua prosequitur omnipotentiã, eo quòd sit bona sua bonitate necessaria, & intrinseca, est gaudium circa omnipotentiam, & consequentèr in nullo diuino amore circa omnipotentiã propter prædictam bonitatẽ vlla datur intrinseca distinctio à formalitate gaudij circa eandem omnipotentiam. Maior, in qua est difficultas, probatur. Quoties affectus fertur in obiectum propter vnam rationem in se penitus identificatam cum alia, & essentialitèr dirigitur ex cognitione nullatenus distinguente vnam rationem ab alia, idem omninò est, affectum ferri in obiectum sub vna ratione, & quia sub illa apparet, ac ferri sub alia, & quoniam apparet sub alia. Sic si homo, & animal rationale non solum sint omnino idem in se ipsis; sed etiam affectus circa hominem, quia homo est, essentialiter dirigatur à notitia nullate-

nus

nus distinguente mentaliter hominem, & animal rationale, neque aliter repræsentante hominem, quàm sub expressione animalis rationalis, citra dubium est, idem prorsus fore in eo affectu ferri in obiectum sub ratione hominis, & quoniam homo apparet, ac ferri in ipsum sub ratione animalis rationalis, & quia animal rationale apparet. At in omnipotentia diuina identificatur penitus in se ipsis ratio bonitatis intrinsecæ, ac necessariæ ipsius omnipotētiæ, ratioque omnipotentiæ necessariò, & essentialitèr existentis, diuinusque affectus circa omnipotentiam essentialitèr dirigitur ex perfectissima notitia Dei minimè distinguentis mentaliter rationes eas nequaquam in se ipsis distinctas: ergo in diuino amore circa omnipotentiam idem prorsus est, eam prosequi propterea quòd sua bonitate intrinseca bona sit, talisque appareat, eamque prosequi propterea quod appareat omnipotentia necessariò existens.

21 Dices primò cum nonnullis doctis RR. oportere, vt in diuino intellectu detur circa obiectum omnis modus cognoscendi non inuoluens imperfectionem. Ex quo inferūt, Deū habere circa omnipotentiam duas notitias virtualitèr intrinsecè distinctas; alteram simplicis intelligentiæ, per quā Deus cognoscit, omnipotentiam de suo conceptu essentiali obiectiuo esse bonam, & necessariò existentem; alteram visionis, per quam Deus intuetur, eam omnipotentiam reipsa existere. Per hanc posteriorem notificatur Deo, reipsâ existere omnipotentiam, & à Deo possideri: & huiuscemodi notitiæ correspondet regulatū ab ipsâ gaudium circa omnipotentiam, vt existentem, & possessam. Per posteriorem autem cognitionem nō constat Deo, reiptâ existere talem omnipotentiam; tametsi constet ipsi esse de suo conceptu obiectiuo bonam, necessariò, & essentialitèr existentem. Quare huic notitiæ, nō quidem gaudium; sed amor strictus regulatus ab ipsâ correspondet. Et quidē, si fingas chymærā hanc: *Alius Deus necessariò, & essentialitèr existens*, Deo cōstat, eā chymærā esse de suo cōceptu obiectiuo necessariò, & essentialitèr existentē; non tamen ideo constat ipsi, eam chymærā reiptâ existere; sed potius non existere.

22 Sed hæc doctrina falsa est ex disp. 9. de Scientia c. 2. Ad rē præsentē argumentor cōtra illā ratione mihi semper efficacissimâ. Nā, vbi sunt prorsus idē rē esse necessariò existentē de suo conceptu obiectiuo, & ipsam rē actu existere realitèr, eâdē prorsus notitia, qua Deus cognoscit primū, intuetur clarissimè secūdū. At in essentia diuina, omni-

po-

potentia, & alijs attributis necessarijs idē prorsus sunt prædicta: ergo eâdem prorsus notitia, qua Deus cognoscit esse necessariò existētia de suo cōceptu obiectiuo, clarissimè intuetur actu realiter existere; & consequenter, si, vt existimas, inepta est huiusmodi intuitio, vt ipsi correspondeat amor strictus, inepta similitèr erit cognitio, per quā Deo constat, eas perfectiones esse de suo conceptu obiectiuo existentes necessariò. Maior probatur. Vbi enim neque stat per obiectum; neque per diuini acuminis præstātiam, quominus Deus clarissimè cernat obiectum existere realitèr, eo ipso quòd illud cognoscat, nequit deesse diuinæ notitiæ ea perfectio intuitiuæ, & velut experimentalis claritatis de existentiâ rei: quippè intellectus diuinus est potentia, vel quasi potentia intelligendi necessaria, quæ tollere non potest à diuinis intellectionibus perfectionem penetrandi obiectum, quantùm de se penetrabile est. At, vbi sunt omninò idem rem existere necessariò de suo conceptu obiectiuo, & ipsam rem actualitèr realitèr existere, non stat per diuinum acumen, quippè quod est infinitè perfectum, quominùs eo ipso, quòd Deus cognoscat primū, intueatur eâdem notitia rem actualiter realiter existere; neque idem stat per obiectum, quod, vbi habet esse necessariò existens de suo conceptu obiectiuo, habet etiā realitèr actualitèr existere, ac per consequens id, quod ex parte ipsius requiritur, vt clarissimè cernatur ipsum existere realitèr actualitèr: ergo, vbi semel prædicta sint idem, eâdem notitia, qua Deus cognoscat primum, intuebitur clarissimè secūdum.

23 Confirmatur, & explicatur eiusdem minoris probatio. Non pertinet ad perfectionem intellectualitatis diuinæ duplicem habere notitiam essentiæ Dei; alteram, qua cognoscat, essentiam Dei esse Deitatem, præscindendo ab eo, quòd sit Deitas omnipotens; alteram, qua cognoscat, essentiam Dei esse omnipotentissimam Deitatem; sed potiùs, quia idem sunt in essentia diuina esse Deitatem, & esse omnipotentissimam Deitatem, ac per consequens ex parte sua est simul cognoscibilis, vt Deitas, & vt omnipotens Deitas, ideo ad perfectionem diuinæ intellectualitatis spectat, non aliter essentiam diuinam cognoscere, quàm totum id vno simplicissimo intuitu penitissimè inspiciendo: ergo similitèr, vbi sint idem in essentia diuina v.g. esse necessariò existētem de suo conceptu obiectiuo, & actualitèr realitèr existere, non pertinebit ad perfectionem diuinæ intellectualitatis duplici gaudere notitia, quarum altera primū,

&

& altera secundum notificet; sed potius vnico indiuiso actu totū id per modum vnius, vti re ipsa est, clarissimè inspicere. ¶ Iam verò in essentia Dei, prædictisq; diuinis perfectionibus necessarijs idē omninò esse necessariò existere de suo conceptu obiectiuo, & actualitèr realitèr existere, probatur facilè. Nam existere necessariò de suo conceptu obiectiuo est necessitas, vt cuiuis conceptui formali talium obiectorum correspondeat directè ex parte obiecti concepti prædicatum existentis necessariò. Hęc autem necessitas vera, & realis; non chymærica, & fictitia est; non quidem creata; sed quæ datur independēter ab omni creato, eo ipso, quòd dentur prædictæ perfectiones diuinæ; non purè negatiua, quippè munus ipsius non est præcisè excludere aliquod ens; sed præstare cuiuis cōceptui formali, Deitatis v.g. necessitatum esse, vt, si existat, proponat directè ex parte Deitatis prædicatum necessariò existentis. Cum igitur omne positiuum increatum, & realitèr actualitèr existere prædictas perfectiones diuinas sint realitèr prorsus idē, patet, idem realitèr omninò esse, prædictas perfectiones necessariò existere de suo conceptu obiectiuo, & actualitèr existere non pure obiectiuè, sed realitèr. Oppositum contingit in illa chymæra: *Alius Deus necessariò, & essentialitèr existens.* Non enim idem; sed distinctissima sunt, & eam realitèr actualitèr existere, & de suo conceptu obiectiuo esse necessario essentialitèr existentem: primum enim est chymæricum; posterius autem est realissima, vt sic loquar, necessitas præstans necessarium esse, vt cuique directo conceptui formali, qui detur, eius chymæræ correspondeat directè ex parte obiecti concepti prædicatum necessariò existentis. Vnde nihil mirum, Deum cognitione, quâ cognoscit, eam chymæram esse necessariò existentē de suo conceptu obiectiuo, non videre ipsam realitèr existere; sed potiùs videre nō existere realitèr. Mitto alia, quæ facilè possem ex dictis colligere, si opus esset: mihi enim hæc sufficiunt.

24. Dices secundò cum meis Magistris citatis num. 9. Prædicata diuina necessaria, & absoluta sunt in duplici differentia. Alia sunt non solùm realitèr; sed etiam virtualitèr intrinsecè indistincta à natura diuina, quo pacto essentia Dei, & natura diuina indistincta sunt. Alia, licèt realitèr identificata sint cum natura diuina; distinguuntur tamen ab illa virtualitèr intrinsecè: quo pacto ab illa distingui putant intellectionem, & volitionem necessariam. Hoc posito, dicunt primò, naturam diuinam non habere amorem strictum; sed

sed præcisè gaudium circa prioris generis prædicata, v.g. circa essentiam Dei. Ratio est: quia essentia Dei, & identitas ipsius cū diuina natura sunt penitus idē, ac per consequens diuinam naturā amare essentiam Dei, quia bona est bonitate essentiæ, idem prorsus est, ac amare diuinam essentiam, quia est omninò identificata, ac proinde perfectissimè possessa ab ipsa natura Dei. In hoc autem formalissimè stat, diuinam naturam exercere gaudium circa essentiam Dei. Dicunt tamen secundò, naturam diuinam non solùm gaudium; sed etiam amorem strictum, exercere circa prædicata posterioris generis, v.g. intellectionē necessariam. Ratio est: quia diuina natura amat intellectionem necessariam propter ipsius bonitatem specialem, vt virtualitèr intrinsecè distinctam à natura Dei: hic autem amor, ideo circa talem intellectionem est potius amor strictus, quàm gaudium, quia non fertur in eam intellectionem, vt possessam à diuina natura, & identificatam cū ipsa: nam hæc identitas non est præcisè ipsa intellectio, vt à natura Dei virtualitèr distincta, in quam intellectionē, vt sic sumptam, ille fertur affectus; sed ea identitas posita est in complexo, vel quasi complexo extremorum, quæ identificantur, id est, ipsi⁹ intellectionis, & essētię Dei.

25 Hæc doctrina quoad priorem partem mihi semper placuit, cuius veritas magis constabit ex dicendis. At quoad posteriorem valde displicet. *Primò*. Quia reuera natura diuina à solis prædicatis personalibus necessarijs distinguitur virtualitèr intrinsecè, vt constat ex disp. 3. 4. & 5. Si ergo solùm exercet amorem strictum circa ea prædicata diuina necessaria, quæ sic distinguuntur ab illa, certè non circa intellectionem, volitionē, aliaque communia attributa; sed solùm circa personalitates. *Secundò*. Nam, admissa distinctione virtuali, negari nequit, intellectionem diuinam in sua speciali bonitate diuina imbibere determinationem omnimodam ad identitatem cum natura diuina. At eiusmodi determinatio est sufficiētissima possessio ad gaudium: ergo intellectio, etiam vt sic distincta, nō præscindit à sufficientissima possessione ad gaudium. Minor probatur, quia talis determinatio est intimior coniunctio intellectionis diuinæ cū natura diuina, quàm coniunctio nostrorum accidentium per vnionem superadditam: cum igitur coniunctio hæc per vnionem superadditam sufficiens sit ad gaudium, à fortiori sufficientissima erit illa alia. *Tertiò*. Nam, vt constat ex disp. 10. cap. 3. quæst. 10. amor, quo amans fertur in obiectum, quanuis non vt possessum

sessum ab amante; benè tamen, vt in se ipso exercitè existens, nō est amor strictus eius obiecti; sed gaudium. At amor diuinus terminatus ad intellectionem diuinam necessariam, vt virtualitèr distinctam à Deo, licet non feratur in illam, vt possessam à Deo; bene tamen, vt existentem in se ipsa, quippè non præscindit ab existentia in se ipsa, siue præscindat; siue non ab eo, quòd cōpletè possideatur à Deo: ergo talis affectus non est amor strictus circa intellectionem, vt bonam; sed gaudium circa ipsam, quatenus est bonum existens.

26 Confirmatur. Vel eo amore Deus afficitur erga intellectionem respectiuè ad se ipsum, nempè, illam sibi amando, vt sibi bonam, quia reddit ipsum Deum intelligētem; vel absolutè, nempè, illam amando, quia ipsa in se est bona sua speciali bonitate? Neutro autem modo eiusmodi affectus est amor strictus. Nō primo: quia in intellectione, vt bona Deo bonitate reddēdi Deū intelligētē, iam inuoluitur esse possessam à Deo. Non secundo. Nam in bonitate speciali diuinę intellectionis seorsim ab identitate completa cum Deo inuenitur ratio boni exercitè existentis: quæ ratio non minus obstat amori stricto, si sit impræscindibilis ab obiecto, quàm obstat possessio similiter ab obiecto impræscindibilis, per quam possideatur ab amante. Ergo talis intellectio nullo modo terminat amorem strictū diuinū; sed præcisè gaudiū.

27 Dices tertio ex Ludouico de Ribas citato num. 7. Deū habere duplicem cognitionem circa suam bonitatem. Altera est cognitio immediata diuinā attingens bonitatem in se ipsa: & huiusmodi cognitioni correspondere nequit amor strictus ab ipsa regulatus circa talem bonitatem. Nam ea cognitio non attingit diuinam bonitatem, præscindendo ab ipsius præsentia, & possessione, vt oportet ad amorem strictum; sed clarissimè perspicit illam, vt præsentem, & possessam. Altera est cognitio mediata diuinæ bonitatis, nimirùm, eam attingēs in aliquo medio creato: & huiusmodi cognitioni correspōdere potest amor strictus ab ipsa regulatus circa bonitatem Dei. Declarat. Nam viator cognoscens pulchritudinem bonitatis diuinæ, quin exprimat ipsam existere, potest ipsam amare stricto amore, quia in se pulchra est, præscindendo ab existentia, quam non exprimit. Iam Deus, cognoscens hunc amorem creatum, cognoscit in ipso bonitatem diuinam tanquā terminum, ad quem tendit talis amor, cumque diuina bonitas terminet eum amorē, præscindendo ab existentia, præsentia, & possessiōne, fit, eā cognitionem

nem diuinam mediatam attingere diuinam bonitatem, præscindendo ab his, proindeque nihil deesse, vt dirigat ad amorem strictum. Porrò ex tract. de Scientia probatum supponit, posse Deum se cognoscere in medio creato cognitione præcisiuâ.

28 Hæc existimatio, quanuis acumine non careat, ideò displicet, quia suppositum, in quo nititur tota vis illius, mihi est falsum ex tractat. de Scientia Dei, disput. 5. cap. 3. Nam medium, quod ad Deum est respectiuum, quando ponitur in conspectu Dei, determinat quidem Deum, vt cognoscat se ipsum, quippè qui est terminus eius respectus; at non determinat ad hoc, vt ea cognitio Dei careat eis perfectionibus, quæ non inferuntur per bonam consequentiam ex præcisa ratione cognoscendi medium, quatenus respectiuum ad Deum. Demus, Deum decernere non dare Angelo concursum ad cognoscendum Deum aliter, quàm notitia supernaturali. Si tunc Angelus cognosceret creaturas, vt respectiuas ad Deum, cognosceret Deum in illis notitiâ supernaturali; quia creaturæ cognitæ, vt respectiuæ ad Deum, petunt quidem, vt cognoscatur Deus; non tamen impediunt, quòd ea cognitio euadat supernaturalis, licèt ex præcisa ratione cognoscendi creaturas, vt respectiuas ad Deũ, non inferatur, cognitionem terminatam ad Deum in creaturis esse supernaturalem. Similiter ergo amor ille creatus, de quo loquimur, respectiuus ad bonitatem diuinam, petet quidem cognitus à Deo, quatenùs ita respectiuus, quòd ipse Deus in eo respectu cognoscat bonitatem diuinam ibi resplendentem; non tamen impediet, quominus ea diuina notitia sit clarissima intuitio, & comprehensio diuinæ bonitatis, vt existentis. Ex quibus sic arguitur.

29 Vel nũquam potest Deus attingere suam bonitatem præcisiuè (ex modo attingendi) ab existentiâ; vel saltem tunc duntaxat, quando impeditur ab obiectis, quominus illam attingat intuitiuè, & comprehensiuè, vt existentem. Sic omnes libentissimè fatẽtur. Atqui Deus, etiam cognoscens suam bonitatem in prædicto amore creato, nõ impeditur ab obiectis, quominùs bonitatem diuinam, ad quam terminatur is amor, attingat intuitiuè, & comprehensiuè, vt existentem, vt patet ex num. præced. & latius ex loco cit. ergo etiam tunc attingit illam sic. Deinde, per te, intuitio, & comprehensio diuinæ bonitatis, vt existentis, idonea solùm est, vt dirigat ad gaudium circa talem bonitatem, & inepta, vt dirigat ad amorem specialem strictum: ergo etiam cognitio diuina mediata

diata diuinæ bonitatis non inducit amorem strictum; sed purè gaudium.

30 Assero quartò. Non amat Deus suas perfectiones necessarias diuisim ex modo amandi: tum, quia suâ speciali bonitate sunt bonæ; tum, quia bonæ existentes, præsentes, & possessæ à Deo. Pro explicatione terminorum legatur disp. 10. num 81. & 82. Probatur. Nam, vbi repugnat in intellectu attingentia intellectualis obiecti, & obiecti per modum plurium, repugnat etiam in voluntate attingentia affectiua diuisim propter hanc, & hanc rationem obiectiuam. At repugnat in intellectu diuino attingere perfectionem essentiæ diuinæ v. g. & perfectionē Deitatis existentis, præsentis, & possessæ per modum plurium; solūque possibilis est intellectui diuino intellectualis attingentia istorum per modum vnius, vti sunt in se, ex obiecto, modoque attingendi indiuisissima (vt sic loquar) ergo repugnat in voluntate diuina attingentia affectiua Dei circa suam essentiam v. g. (idemque dicatur propter eandem rationem in reliquis perfectionibus necessarijs absolutis) diuisim, quia est essentia Dei habēs suā specialē bonitatē; & quia est Deitas existens, præsens, & possessa. Consequentia patet. Maior mihi est clarior omni probatione. Nam primò, quid clarius, quàm amorem affectiuè distinguentem hanc, & illam rationem non posse non regulari ex notitiâ cognoscitiuè distinguente hanc, & illam rationē? Secundò, quid manifestiùs, quā si nullo prorsùs modo valeres mentaliter distinguere hominē, & animal rationale; sed idem omnibus modis tibi sit re, & mente homo, & animal rationale, quòd similiter non poteris affici hoc diuisiuo modo: *Amo hunc, tum quia homo est; tum etiā, quia est animal rationale*? Minor etiam patet, nam omnis vmbra delusionis, falsitatis, ac deceptionis procul est à diuina notitia. At non ita, si Deus per modum pluriū sibi proponeret, quę sunt vnūquid simplicissimum, cuiusmodi sunt essentia diuina, & Deitas existens, præsens, & possessa à Deo.

CAP. III.

Infertur ex dictis potissimum intentum, & expeditur obiectio ex D. Thoma.

31 COlligitur manifestè ex dictis quinta, & potissima nostrę disputationis assertio. Ea est. Non amat Deus suas perfectiones necessarias absolutas seorsim ab omni creato sumptas amore speciali, & stricto. Ratio est. Nam amor specialis strictus in eo consistit, quòd sit simplex affectus voluntatis tendētis

in obiectum, quia bonum est, diuisim ex modo tendendi ab absentiâ, præsentia, & possessione. Id constat ex disp. 10. cap. 7. At in Deo non est talis affectus circa prædictas perfectiones seorsim ab omni creato sumptas: ergo neque amor strictus. Minor probatur. Nam affectus diuinus circa ipsas non attingit illas diuisim ex modo tendendi ab existentiâ, præsentiâ, & possessione. Tali enim affectui solum competere potest ea diuisiua, seu præcisiua attingentia, vel quia non est gaudium de illis, vt existētibus, præsentibus, & possessis: idque falsum esse, constat ex cap. præced. assert. 3. à num. 20. vel quia, licèt sit gaudium; diuisim tamen attingit eas perfectiones; tum, quia bonas bonitate speciali ipsarū; tum etiam, quia existentes, præsentes, & possessas: id autem esse impossibile, patet ex cap. præc. assert. 4. num. 30. Ergo non est in Deo talis affectus, &c. Explicatur. Amor specialis strictus aliquid addere debet rationi genericæ amoris imbibitæ in omni prosecutionis affectu. Deindè id, quod addit, non est aliud, quàm traditum à nobis disp. 10. cap. 7. Tandem ex dictis in assertionibus præcedentibus constat, hoc additamentum non habere locum in affectu diuino terminato ad perfectiones necessarias absolutas seorsim ab omni creato sumptas: ergo circa illas sic acceptas non est in Deo amor strictus. Constabit autem cap. 5. assert. vlt. cur addiderim: *Seorsim ab omni creato sumptas.* Effugia, quæ parari possunt, præclusa sunt in anterioribus.

32 At contra hanc præcipuā assertionem, *primò* nobis objicitur D. Th. 1. p. q. 20. art. 1. corp. illis verbis: *Amor naturaliter est primus actus voluntatis, & appetitus, & propter hoc omnes alij motus appetitiui præsupponunt amorem quasi primam radicem: nullus enim desiderat, nisi bonum amatum: neque aliquis gaudet, nisi de bono amato: odium etiam nō est, nisi de eo, quod contrariatur rei amatæ: & similiter tristitiam, & cætera huiusmodi manifestum est in amorem referri, sicut in primum principium, vnde, in quocunque est volūtas, vel appetitus, oportet esse amorem, remoto enim primo, remouentur alia.* Ex quibus ita. Amor, de quo hic agit D. Thom. est specialis, & strictus. At in Deo datur ex D. Thom. in ordine ad perfectiones necessarias Dei amor, de quo hic agit S. Doctor: ergo in ordine ad illas datur in Deo amor strictus. Maior probatur. Tum, quia agit de amore, qui est radix desiderij, & gaudij. Non est autem talis radix amor generic⁹ imbibitus in desiderio & gaudio; sed amor specialis, qui existens extra tales affectus inducit ad ipsos. Tū, quia in eodem art. ad 2. postquam ex-

excluſit à Deo deſiderium propter imperfectionem boni non habiti, ſubdit: *Quæ autem imperfectionem non important, de Deo propriè dicuntur, vt amor, & gaudium.* Vbi ſatis ſignificatur, ſermonem eſſe de amore cōdiſtincto à gaudio, ac proinde de amore ſpeciali; non de generico imbibito in gaudio.

33 Tum, quia lib. 1. contra Gent. cap. 90. decernit, eſſe in Deo gaudium ſui, & aliorum, & poſtea cap. 91. quærens, an ſimilitèr ſit amor? Affirmatiuè reſpondet. At, iam ſtatuto gaudio, fruſtrà, & importunè inſtituerētur quæſtio de amore generico incluſo in ipſo gaudio: ergo ſermo eſt de amore ſpeciali diſtincto à gaudio. ¶ Iam minor diſcurſus præformati n. 32. facillimè probatur. Tum, quia ex probationibus pro maiori factis cōſtat ſatis, D. Thom. non concedere Deo circa ſe ipſum gaudiū duntaxat; ſed amorem, quem condiſtinctè à gaudio ſignificat. Tū, quia clarè docet, nullibi eſſe deſiderium, & gaudium, vbi non ſit ille amor, de quo loquitur, quippè qui eſt cæterorū affectuum primaria radix, quâ remotâ, cæteri remouentur affectus. At in Deo eſt gaudium circa ſe ipſum: ergo & amor, de quo D. Thomas agit hîc, quem iam probauimus eſſe ſtrictum, & ſpecialem.

34 Reſpondeo. Nego maiorem diſcurſus efformati n. 32. Nam, vt poſtea probabo nō cōtemnendis coniecturis, neque ibi, neque in loc. citat. ex lib. 1. contra Gent. agit D. Tho. de amore ſtricto, & ſpeciali, prout rationi communi amoris addit aliquam differentiam non imbibitam in deſiderio, & gaudio formaliter, quà talibus; ſed ſolùm agit de amore, quatenùs nō ſolùm metaphoricè; ſed propriè, & formalitèr eſt amor; non verò quatenus vltrà eſt talis, vel talis amor. Ad primam probationem maioris negatæ dicatur, non agere D. Thom. de amore, qui radix eſt phyſica, phyſicèque primaria reſpectiuè ad alios affectus, nempè, ad deſiderium, & gaudium; ſed de amore, qui radix eſt logica, logicèq; prior, quā cæteri affectus ſpeciales, vt conſtabit ex num. 36. Porrò, quanuis amor, qui eſt radix phyſica deſiderij, & gaudij, ſit ſpecialis amor exiſtēs extra eos affectus; amor tamen, qui radix eſt logica illorum in genere logicè conſtituentis ipſos, poteſt, debetque eſſe amor imbibitus in deſiderio, & gaudio, vt explicabitur in ſolutione ſecundi argumenti. Ad ſecundam probationem dicātur, nihil aliud ibi velle D. Tho. quàm neque amorem propriè ſumptum ſecūdùm omnia, quæ dicuntur in ipſius formali conceptu, neq; gaudiū propriè ſumptū importare imperfectionē, &

consequentèr oportere dici proprie de Deo. Tametsi autem amor propriè sumptus (non dico amorem, qui strictus, & specialis vocatur) de quo hîc D. Thom. sit prædicatum imbibitum formaliter in gaudio, neque incongruè D. Thom. ita condistinctè loquitur loc. cit. *Vt amor, & gaudium*; neque frustraneè, & importunè in lib. 1. contra Gent. cap. 91. expresè, & seorsùm stabilit in Deo rationem formalem amoris, posquam iam posuerat cap. 90. rationem formalè gaudij. Ratio mihi est.

35 Nam, licèt prædicatum aliquod includatur formaliter in certâ quadam ratione, potest alicui constare, dari aliquid sub hac ratione; & tamen dubitare, non benè penetratis terminis, an detur illud prædicatum propriè sumptum. Et in eo casu post illam rationem stabiliram non erit vitium stabilire seorsùm tale prædicatum propriè sumptum. Explicatur hoc, & applicatur rei nostræ. Priscis Philosophis benè scientibus ad quas res significandas impositū fuerit nomen *Plantæ* cōstabat, arbores esse plantas; plures tamen negarunt, arbores esse viuentia, licet reuera secundùm veram opinionē prædicatum viuēris includatur in ratione plātæ. Certè in hoc casu postquā stabilitū est, conuenire propriè arboribus rationē significatā hoc nomine *Plāta*, abstrahēdo ab eo, quòd talis ratio propriè dicatur, vel non dicatur *viuens*, neq; vitiosum, neque frustraneū, neque importunū erit indagare, nū sit in arboribus propria ratio viuētis? Iam hoc applicemus rei præsenti. Probat D. Th. citato c. 90. in Deo esse gaudiū, proponēs ob oculos id, quod omnes intelligunt nomine gaudij, nempe, actum voluntatis in bono habito quiescentis, & præscindendo ab eo, quòd hîc inueniatur; vel secùs propria ratio amoris, ostendit, eam rationē gaudij nullā in se imperfectionē dicere, proindeque propriè dici de Deo. Posset tamen aliquis dubitare, etiā admisso gaudio, detur ne in Deo propria ratio amoris, nimirùm subdubitans, an sub nomine: *Amor*: soli cōprehendātur illi actꝰ voluntatis, quibus non adhuc in bono habito conquiescit voluntas, proindeq; gaudium nō sit actus voluntatis prosequentis, & amantis bonū; sed quiescentis, capientis, & possidentis; sicut odiū, quanuis sit voluntatis actus; non tamen prosequentis bonū; sed fugientis à malo. Ideò non frustra, non importunè, non vitiosè; sed rectissimè condistinctè, & seorsim a gaudio tractat D. Th. an propria, & non solùm metaphorica ratio amoris, quicquid sit de inclusione, vel non inclusione illius in gaudio, reperiatur in Deo? Et affirmatiuam partem decernit, abstergendo ab im-

imperfectionibus id, quod iuxta communem vsurpationem ab omnibus intelligitur nomine amoris præcisè sumpti. Ex quibus patet ad tertiam probationē positam n. 33. initio.

36 Ne tamen hæc interpretatio videatur extorta, multiplicitèr conijcio, D. Tho. loc. cit. agere de amore secundùm præcisum conceptum amoris seorsim ab specialibus differentijs amandi. *Primò.* Nam agit de illo amore, qui prior est alijs affectibus, quia communior est ipsis: ergo non de amore stricto speciali, qui tam est peculiaris, & limitatæ speciei, quàm desiderium, & gaudium; sed de amore secūdùm rationem amoris præcisam, quę omnibus prosecutionis affectibus communis est. Antecedens probatur. Nam D. Th. paulò ante verba nobis obiecta ex q. 20. 1. p. hæc habet: *Rursus, quod est cōmunius, naturaliter est prius. Vnde, & intellectus per prius habet ordinem ad verum commune, quàm ad particularia quædam vera:* & paucis interiectis: *Amor autem respicit bonum in commune, siue sit habitum, siue non habitum: Vnde amor naturaliter est primus actus voluntatis, & appetitus.* Vbi noto. Non agit D. Thom. de actu speciali, & singulari terminato ad bonum commune. Tum propter illa, quæ posteà expēdemus. Tum quia, vt obseruat Caietanus in commentario, complectitur etiam D. Thom. amorem, qui datur in appetitu sensitiuo; cum tamen sensus non terminetur ad bonum sensibile in communi; sed ad particularia sensibilia. Agit ergo D. Thom. tum de ratione amoris præcisè sumptâ, quæ, vt sic, non concipitur à nobis in ordine ad tale, vel tale bonum; sed abstractè in ordine ad bonum; tum de ratione amoris sensitiui præcisè acceptâ, quæ, vt sic, non concipitur à nobis in ordine ad tale, vel tale bonum sensibile; sed abstracte in ordine ad bonum sensibile. Porrò rationem amoris dixit esse priorem *naturaliter*, id est, priorem *natura* determinatis amoribꝰ, v. g. desiderio, quia ratio amoris potest dari sine desiderio v. g. non tamen cōtrà, desideriū sine ratione amoris; vnde ab illo ad hoc valet consequentia; non tamen contrà. Id, quod S. Doctor summè Aristotelicus dixit consequentèr ad doctrinam Aristotel. qui lib. 5. metaph. cap. 11. dixit. *Quædam verò (priora dicuntur) secundùm naturam, & substātiam, quæcunque contingunt absque alijs esse; ista verò sine illis minimè.*

37 Secundò. Quia, vt constat ex illis verbis: *Remoto enim primo, remouentur alia:* adiunctis verbis antecedentibus, agit D. Thom. de illo amore, qui propter necessariam prioritatem ad alios affectus determinatos tam

in appetitu sensitiuo, quàm in intellectuali sic se habet, vt, eo sublato, cæteri tollantur affectus. At, sublata ratione præcisâ amoris præcedente naturaliter ad alios affectus determinatos, quilibet amor determinatus siue rationalis, siue sensitiuus tollitur, vt patet, quia inferiora tolluntur, sublatis rationibus superioribus: sublato autem in appetitiuis amore stricto, & speciali, non ideò necessariò tolluntur reliqui affectus: quis enim dicat, bruta eo ipso, quòd in cibis, quæ comedunt, delectantur, habere simul aliũ simplicem affectum, quo ferantur in cibos præciſiuè ab absentiâ, & præsentiâ? Ergo D. Thom. non agit de amore speciali stricto; sed de amore secundùm præcisam rationem amoris. Confirmatur. Nam ex verbis D. Thom. citatis num. 32. agit D. Thom. de amore, qui per bonam consequentiam infertur ex desiderio, & gaudio. At ex his, licèt bene inferatur ratio amoris; non tamen amor specialis strictus: ergo agit præcisè de ratione amoris; non de amore stricto speciali. Minor quoad priorem partem euidens est. Quoad posteriorem probatur. Quia nulla implicationis vmbra in eo datur, quòd pulcherrimus Angelus primò se cernens, vt existentem, primò de se, vt existẽte, gaudeat neque prius præmisso, neque concomitante amore speciali stricto, quo præciſiuè ab ipsius existentiâ, & non existentiâ afficiatur erga se, quia bonum.

38 Tertiò. Quia si perpendantur sincerè citra contentionis studium probationes omnes, quibus tam 1. p. quæst. 20. art. 1. quàm lib. 1. contra Gent. probat amorem in Deo, nunquam inuenientur efficaces pro amore stricto speciali; bene tamen pro amore secundùm rationem præcisam amoris. Non autem crediderim de Angelico præceptore nulli Theologo secundo, vnũ probandũ suscipere, & non hoc; sed aliud probare. Quartò. Sumo verba D. Th. eo cap. 91. ratione 4. vbi sic habet: *Amor est alicuius rei non minus, quum habetur; sed magis, quia bonum aliquod fit nobis affinius, quum habetur.* Nunc sic. Amor strictus specialis non augetur secundùm rationem amoris stricti specialis ex eo, quòd bonum habeatur; ex hoc autem augetur amor secundùm rationem amoris. At agit D. Tho. vt patet ex verbis citatis, de amore, prout augetur ex eo, quòd bonum habeatur: ergo de amore secundùm rationem amoris; non vero secundùm rationem amoris stricti specialis. Cætera patent præter maiorem: cuius prima pars probatur. Nam amor strictus talis est, quatenùs ex modo amandi præscindit ab eo, quòd bonum habeatur: quatenùs

tenùs autem præscindit ab eo, quòd habeatur bonum, quomodo crescet ex eo, quòd habeatur? Secunda pars eiusdem maioris probatur ratione D. Th. Sicut enim amor est de bono, & conueniẽte; ita, cæteris paribus, & per se loquendo, maior amor est de meliori, & conuenientiori. Bonum autem, quod habetur, affini⁹, propinquius, melius, & conuenientius nobis est, cæteris paribus, quàm quod non habetur: ergo ex eo, quòd bonũ habeatur, crescit amor in ratione amoris.

39 At, præter obiecta, nobis denuo oppones, D. Th. agere de amore speciali stricto. *Primò*. Quia contendit probare in Deo esse amorẽ, non solùm secundũ rationem genericã amoris; sed secundùm rationem suę speciei. Quamobrem rat. 4. citatâ concludit sic: *Non ergo amor repugnat diuinæ perfectioni secundũ rationẽ suæ speciei: est igitur in Deo amor*, nempè, secundùm rationem suæ speciei, quippè sic non repugnat diuinæ perfectioni. Ergo non solùm agit D. Thom. seorsim à gaudio, & desiderio, de amore genericè sumpto; sed etiam specifice. At amor non solùm genericè; sed etiam specificè considerabilis seorsim à desiderio, & gaudio, est amor specialis stricto⁹. De hoc igitur agit. *Secundò*. Nã in eo art. 1. q. 20. 1. p. corp. ait: *Oportet naturaliter esse priores actus voluntatis, & appetitus, qui respiciunt bonum, his, qui respiciunt malum, vt gaudium, quàm tristitia; & amor, quam odium. Semper enim, quod est per se, prius est eo, quod est per aliud.* Tunc sic. Amor præcedit *naturâ* ad desiderium, & gaudium, quomodo amor præcedit naturâ ad odium; & gaudium ad tristitiam. At neque amor, neque gaudium præcedunt naturâ ad odium, & tristitiam, tanquam rationes superiores imbibitæ in odio, & tristitiâ, vt patet; sed alio modo, quisquis ille sit: ergo amor non solũ præcedit naturâ ad desiderium, & gaudium, tãquam ratio superior imbibita in ipsis: ergo alio modo: cum igitur ratio præcisa amoris non aliter præcedat naturâ ad desiderium, & gaudium, quàm vt ratio superior imbibita in ipsis, patet, D. Tho. non solùm agere de ratione præcisa amoris; sed de amore speciali.

40 *Tertiò* ex RR. nostris. Agit enim D. Tho. de amore præcedente ad odium. Atqui ad odium non solùm præcedit generalis ratio amoris; sed aliquis amor specialis: ergo non solùm agit D. Thom. de ratione generali amoris; sed de amore speciali. *Quartò* ex eisdem. Nam S. Doctor suo discursu complectitur etiam amorem, quo Deus fertur in creatura. Vnde P. Vaz. hîc agens de illo amore, de quo D. Thom. affert illud Hieremiæ

31. *In charitate perfecta dilexi te*: & illud Ioan. 4. *Sic Deus dilexit mundum, &c.* At in Deo non solùm datur respectu creaturarum generalis ratio amoris; sed specialis amor strictus, iuxta communem sententiam: ergo hunc amorem nō excludit S. Doctor; sed potius eum cōplectitur non minùs, quàm rationem generalē amoris.

41 Hæc tamen non multùm vrgent. Ad primum resp. D. Th. nihil aliud vult, quàm rationem amoris esse in Deo nō solùm secundùm rationes superiores amori, vt amori; sed etiam secundùm rationem propriam amoris, quatenùs amoris, quæ est ratio specifica relatè ad genera superiora, v.g. ad genus actus vitalis, & actus voluntatis; ratio verò generica relatè ad alias rationes inferiores amoris specialis, desiderij, & gaudij. Ad secundum. Obserua, D. Thom. agere hîc de affectibus fugæ ab illo malo, quod malum est ratione oppositionis cum bono. Ideo immediatè ante verba obiecta dixit: *Bonum autem principalius, & per se, est obiectum voluntatis, & appetitus; malum autem secundariò, & per aliud, in quantùm scilicet opponitur bono.* Hoc obseruato, respondeo. Distinguenda est maior, quæ vera est in sensu præcisè affirmante, amorem eo modo, *quantùm ad genus præcedendi naturæ*, præire desiderium, & gaudium, quo amor præit odium, & gaudium, *saltem conditionaliter sumptum*, præit tristitiam. Falsum autem est, eundem modum vtrobique seruari, *quantùm ad differentias præcedēdi naturaliter*. Vnde, concessa minore, neganda est consequentia.

42 Explicemus accuratè solutionem: semper enim, quantùm in me fuerit, admirar, Angelicum meum præceptorem non habere mihi contrarium. Præcedētia secundùm naturam conueniens amori respectiuè ad desiderium, & gaudium, stat in eo, vt dicebam n. 36. fine, quòd ex ratione desiderij, & gaudij inferatur ratio amoris; non conuersim: valet enim: *Est desiderium* (idem de gaudio) *ergo amor*. Nō autem valet: *Est amor, ergo desiderium*. Simile prioritatis genus seruant amor, & gaudium relatè ad odium, & tristitiam circa malum, *quia oppositum bono*. Nam ex odio circa priuationem salutis, v.g. quia oppositam bono salutis, potiùs infertur voluntatem amare salutem propter bonitatem ipsius; quàm ex hoc amore, quòd detur odium circa priuationem salutis, quia saluti oppositam: & similiter ex tristitia de priuatione salutis, quia saluti opposita, potius infertur, quod daretur gaudium circa salutem, si esset præsens, quā ex eo, quòd daretur tale gaudium, quòd detur tristitia, deficiente salute.

Hu-

Huius rationem tetigit acutissimè, ni fallor, D. Thomas illis verbis: *Quod est per se, prius est eo, quod est per aliud.* Nam inspectis his modis tendendi: *Exosa mihi est priuatio salutis, quia opposita bono salutis. Doleo, absentem esse salutem, quia talis absentia opponitur præsentiæ tanti boni*, inspectis, inquam, his tendēdi modis respicientibus malum priuationis in ordine ad bonū, quo priuant, & propter oppositionem cum illo, resplendet, & quasi exprimitur in illis, & voluntati sic affectę placere bonitatem salutis, & quòd de illâ gauderet, si proponeretur præsens, potius quam resplendeat, exprimatur, & explicetur in his tendendi modis non respicientib⁹ bonum in ordine ad sui priuationem, cui opponuntur: *Placet sanitas, quia bona, gaudeo de illa, quia bonum præsens*, voluntati sic affectæ displicere priuationē salutis, & quòd tristaretur de tali priuatione, si adesset. Etenim hinc sumpta reprobatione voluntariâ mali expressè, & formalitèr quatenùs oppositi boni; inde verò accepta approbatione voluntaria boni, quia bonum est; non verò expressè, & formalitèr, quatenùs oppositi malo, indubitatum apparet, ibi magis eluceſcere amorem, qui sit, vel esset circa bonū, quàm hic eluceat odium, quod sit, vel esset circa malum.

43 Hinc patet, si ex vna parte sumamus istas consequentias: *Voluntas odio habet priuationem salutis, quia oppositam bono salutis: ergo amat salutem. Voluntas habet tristitiam de priuatione salutis: ergo gauderet de salute, si proponeretur existens*; ac deinde cōsequentias alias inuerso formemus ordine, rectiores erūt priores, quàm posteriores propter rationem adductā. Non tamen disputare nunc placet, an priores illæ consequentiæ rectiores bonæ sint in vi connexionis metaphysicæ antecedētis cum consequente, vel solùm in vi physicæ, moralis, aut probabilissimæ cōnexionis; sed solùm dico, eam connexionem, qualiscumque sit ex assignatis, quæ versatur inter antecedens, & consequens priorū illationum, nō dari æqualitèr inter antecedens, & consequens illationum posteriorū, vt ostendit ratio facta. Vnde patet secundò, amorem boni præcedere naturalitèr ad odium mali, vt oppositi bono; & similitèr gaudium ad tristitiam: nempè, priorìtate naturali consistente in eo, quòd potiùs ex tali odio, & tristitiâ inferatur amor, & gaudiū, quā è cōtra. Simili genere prioritatis præcedit ratio amoris ad rationem desiderij, & gaudij: quanuis *forsan* hoc discrimine: quia ratio amoris ita in eo genere præcedit ad desiderium, & gaudium, vt sit ratio superior imbibita in his affectibus. At amor

mor, & gaudium *non videntur* ita præcedere ad odium, & tristitiam, vt sint rationes superiores imbibitæ in eis affectibus. Quod est, vtrobique dari idem genus præcedentiæ; discrimenque esse in differentijs contrahentibus id genus, vt in solutione dicebam.

44 Dixi *forsan*, & *non videntur*. Nam si penitius mirabilem Angelici Præceptoris mentem rimari velimus, improbabile mihi nō est, amorem, & gaudium, quâ ratione inferuntur ex odio, & tristitia, non inferēdo æquali tèr hos affectus, esse prædicata superiora imbibita in eis affectib⁹. In amore respectiuè ad odiū sic res declarari potest. Nam sicut in naturalibus eodem prorsus motu, quo recedimus ab vno termino, accedimus ad aliū; ita possumus in affectiuis eodem affectu, quo fugimus ab vno, nēpè, à peccato, quia Dei optimi offensa est, accedere ad Deum, quia optimus est. At si quis affectus potest secum identificare esse fugam à malo, & accessum ad bonum, vt bonum, sanè nullus potiori ratione, quàm ille, quo, non vtcunque materialitèr fugimus à malo; sed expressissimè, ac formalissimè, quatenus opponitur bono: ergo talis affectus identificat secū amorē boni, vt boni, & odiū circa malū, quatenus oppositum bono. Imbibit ergo talis affectus rationē amoris boni, vt boni. Quo posito, patet, sic imbibere illam, tanquam rationem superiorē. Nam ea ratio amoris ibi imbibita est vniuersalior odio; quia nihil prohibet non solùm amare bonum, vt bonum, simul fugiendo à malo, quatenꝰ opponitur bono; sed etiam amare bonum, quia bonū, nempè Deum, quia optimū, nulla mentione facta malorum, quæ Deo opponuntur, vt ea detestemur.

45 In gaudio respectiuè ad tristitiam videtur res difficilior. Hoc tamen sic explicari potest. Duplex est existētia gaudij, v.g. de conseruata sanitate. Alia est existētia absoluta, per quam absolutè existit gaudium de sanitate, quam conseruatā experimur. Tristitia de sanitate amissâ non infert eam existentiam gaudij. Nam certè, quando de salute amissâ tristamur, non de illa conseruata gaudemus. Alia est existentia conditionata gaudij secundùm præsentes circumstantias probabilissima: & hæc existentia consistit in aliquo nunc reddente valde probabile, quòd existeret gaudium de conseruata sanitate, si conseruatam illam videremus. Tristitia de amissione sanitatis, quia talis amissio conseruationi sanitatis opponitur, rectè infert eam existentiam conditionatam: rectè namque valet. *Hic tristatur de amissa sanitate, quia talis amissio sanitatis opponit*

ponitur conseruationi: ergo valde nunc probabile est, quòd, si nũc proposita fuisset sanitas, vt conseruata, caperetur gaudium de ipsa. Præterea. Cũ prædicta tristitia nunc existente identificatur, si rem benè perpendas, ea existentia conditionata gaudij. Nam existentia gaudij sub illa conditione cum hoc addito, *vt probabilissima secundùm præsentes circũstantias* identificatur cum eo, quòd nunc reddit probabilissimum, quòd esset gaudium sub ea hypothesi. Prædicta verò tristitia reddit id probabilissimum. Iam sic.

46 Quod infertur ex prædicta tristitia, est gaudium secundùm existentiam conditionatã, vt probabilissimã nũc. At ea existẽtia conditionata, vt probabilissima nunc, est prædicatũ identificatum cum ea tristitia, vt iam vidimus. Deinde latius patet, quàm ea tristitia, quia non solùm existente; sed etiam nõ existente tali tristitia, potest esse nunc probabilissimum, quòd esset gaudium, si nunc proponeretur salus, vt conseruata: hoc enim non solùm probabilissimũ redditur ex tristitia de salute amissa; sed etiam ex vehementi desiderio, & amore stricto circa conseruationem salutis: ergo gaudium cum hoc addito: *Qua ratione infertur ex prædicta tristitia*, est prædicatum in illa imbibitum, tanquam ratio superior. Ex dictis fit iuxta speculationem expensam à num. 44. consequẽtias factas ab odio ad amorem non inferentem reciprocè odiũ; & à tristitia ad gaudium non inferens vicissim tristitiam, inniti in connexione metaphysica antecedentis cum consequente, qua ratione hoc infertur ex illo, vt constabit perpendenti superiora. Præ oculis habe, semper fuisse sermonem de odio, & tristitia versantibus circa malum expresse, quatenus oppositũ bono, de quibus loquitur D. Tho. Non enim habent locũ discursus facti in odio, & tristitia versantibus circa malum molestũ secundùm se, v.g. circa dolorem sensibilem, secluso respectu oppositionis cum bono, quod excludant.

47 Ad tertium, quod ex nostris RR. adducebamus num. 40. respondeo. Agit D. Th. de amore, qui ad odium præcedit prioritate rationis superioris ad sua inferiora; non verò prioritate physicæ, aut quasi physicæ causalitatis, vt satis constat ex ponderationibus, quibus mentẽ S. Doctoris enucleauim⁹. Et quia strictus, & specialis amor non præcedit ad odium ea prioritate; tametsi soleat præcedere ad illud prioritate causalitatis physicæ, aut quasi physicæ, id circò D. Thomas non agit in præsenti de amore, quatenus stricto, & speciali. Ad quartũ ex eisdem allatum

tum eodem num. Resp. D. Thomas suo discursu complectitur etiam amorem Dei circa creaturas sub ratione amoris, quia præcipuè contendit, dari in Deo rationem amoris siue terminati ad Deum, siue ad creaturas, eo quòd ratio amoris nō dicit imperfectionem, licèt exinde postea descendat ad stabiliendum Dei amorem circa se, & alia. Non autem suo discursu complectitur expressè amorem sub omni ratione, sub quâ datur respectiuè ad Deum, & ad creaturas. Nam aliàs agens de amore, post quàm de gaudio iam egerat, suo etiam discursu complecteretur gaudium de Deo, & creaturis sub expressis rationibus talium gaudiorum. Vnde, concessa minore, distinguendum est consequens, concedendumque est, D. Tho. non excludere suo discursu, quòd re ipsa detur amor strictus in Deo respectu creaturarum; non tamen includit expressè in suo discursu amorem strictum specialem sub hac ratione; sicut rationem præcisam amoris sub hac ratione: quia de amore sub hac expressione agit, & non sub illâ. Et hæc satis de mente D. Th. qui satis immeritò censetur nostræ sententiæ aduersarius.

CAP. IIII.

Obiectiones à ratione.

48 OBijcies secundò à ratione. Nā causalis ista vera est * Ideo Deus de se gaudet, quia se amat * At nequit esse vera, nisi amor strictus Dei circa se præcedat ad gaudium de se: ergo Deus habet amorē strictum circa se ipsum. Maior est D. Th. cit. q. 20. art. 1. in corp. & præterea, non minus est verum, voluntatem gaudere de bono præsente, quia placet eius bonitas, quàm intellectum assentiri obiecto vero, quia apparet eius veritas: ergo, vt est verum hoc posterius, ita & prius. Minor probatur. *Primò*. Nam, vt docet Damascenus in Dialecticâ, cap. 13. causalis hæc non est vera * Petrus est homo, quia est animal * Ratioque falsitatis est, quia datur pro ratione, vt Petrus sit homo, prædicatū superius ad rationem hominis: ergo similitèr illa causalis non erit vera, si detur pro ratione, vt Deus habeat gaudium, prædicatum generale amoris superius ad gaudium: ergo nequit esse vera, nisi detur pro ratione gaudij amor strictus specialis præcedens ad gaudium. *Secundò*. Causales istæ * Deus est æternus, quia immutabilis. Deus amat se, quia se cognoscit * petunt ad sui veritatem

tatem immutabilitatem, & cognitionem, quæ dantur pro rationibus æternitatis, & amoris, cõnecti certò cum æternitate, & amore: idemque cernes, inductione facta per innumeras alias causales: ergo similiter causalis illa * Deus, quia se amat, gaudet de se * petet ad sui veritatem amorem, qui datur pro ratione gaudij, connecti certò cum gaudio. At ratio superior non connectitur certò cum aliquo inferiori determinatè sumpto, vt patet ex Dialectica: ergo nequit ea causalis verificari, si pro ratione gaudij detur ratio superior amoris; & consequenter, vt sit vera, necesse est detur pro ratione gaudij aliquis amor specialis præcedēs. *Tertiò.* Ratio superior amoris non aliter præcedit ad gaudium, quàm prioritate, quã vocant in subsistendi consequētia: nimirùm, quia benè valet: *Est gaudium: ergo amor*; non conuersim. Hæc autem prioritas nõ sufficit, vt sit à priori verũ, Deũ de se gaudere, quia se amat: ergo, vt hoc sit verum à priori, nõ est ponenda ex parte antecedentis ratio superior amoris; sed amor quidam strictus, & specialis. Minor probatur. Nam simili prioritate præcedit hic numero calor ad hanc numero productionem caloris: nam benè valet: *Est hæc numero productio caloris: ergo hic numero calor*; non tamen valet: *Existit hic numero calor: ergo hæc numero productio caloris*: quia posset hic numero calor produci per aliam actionem; & tamen non est à priori verum, existere hanc actionem, quia existit hic numero calor.

49 Resp. Concessa maiore, negatur minor. Ad primam probationem resp. Damascenus in vno sensu negat veritatem eius causalis; in alio minimè. Negat, esse veram in vi significãdi, quod esse animal sit ratio infallibiliter inferens esse hominem. Brutum enim est animal, & non est homo. Minimè verò negat in vi significandi, quod esse animal est ratio conducens ad esse hominē in genere causantis hominem intrinsecè metaphysicè. Nam ratio animalis est pars metaphysicè constituens hominem. Porrò autem ad veritatē causalis metaphysicæ non requiritur connexio infallibilis antecedentis cum consequente; sed sat est consequens metaphysicè causari ex consequente; quemadmodum ad veritatem causalis physicæ non requiritur connexio infallibilis antecedentis cum consequente; sed sufficit consequens physicè causari ex antecedente. Sic veræ sunt causales istæ physicæ * Quia bonitatem diuinam cognosco, ipsam amo. Quia librum ab amico Petro petiui, illum obtinui: & vt notaui tract. de Scientia, disp. 18 cap. 3. n. 13. iuxta Augustin. adduc pũa D. Th. 1. p.

1.p. q.19. art.4.ad 3. Quia Deus bonus est, sumus * Tamen neque in cognitione, quâ noscimus in viâ bonitatem diuinam, neque in petitione libri ab amico, neque in bonitate Dei datur infallibilis connexio cum nostro amore erga Deum, cum obtentione libri, cum existentia nostra.

50 Ad secundam probationem respondeo. Causales illæ, necnon innumeræ aliæ, quæ possent assignari, si petunt ad sui veritatem connexionem infallibilem antecedentis cum consequente, vel est ratione materiæ, quoniam antecedens in tali materia non aliter causat consequens, quàm de se inferens illud infallibiliter; vel est ratione significationis, eo quòd in illis vsurpare placeat ly *quia* tanquam notam infallibilis illationis; at in vi causaliū præscisse, & formaliter, abstrahendo à materia, & modo significandi non requisito ad rationem causalis, non important eam connexionem, vt patet ex num præced. Vnde vera erit illa causalis: quia Deus se amat, gaudet de se, eo præcisè, quòd ratio superior amoris conferat causaliter metaphysicè ad gaudium, tametsi ratio se amātis non connectatur omnino infallibiliter, & indispensabiliter cum ratione gaudentis de se. Ad tertiam probationem resp. *Primò*. Transeat maior. Et negatur minor. Ad probationem dicatur, eam causalem: *Quia existit hic numero calor, existit hæc numero productio caloris* esse verā à priori prioritate in subsistendi consequentia, ratione cuius, & existentia huius caloris confert ad existentiam huius productionis, quippè nequit hæc sine illo existere: & aliunde, inspectis per se naturis horum extremorum, notius est existere hunc numero calorem, quàm hanc numero productionē huius caloris. Nā, inspecta naturâ existentiæ huius numero caloris, potest ea existētia sciri, quin ibi imbibatur scire existentiam huius numero productionis; contra verò, inspectâ natura huius numero productionis huius caloris, nequit sciri, talem productionē existere, quin ibi imbibatur scire existentiam talis caloris. Cum eo autē, quòd ea causalis sit vera à priori prædicta prioritate, bene stat, non esse veram à priori prioritate causalitatis, quia hic numero calor nō causat hanc numero productionem sui. Respond. *secundò*, negata maiori, quia vltra prioritatem in subsistendi consequentiâ amoris respectiue ad gaudiū, præcedit amor ad gaudium præcedentia inclusionis metaphysicæ illius in hoc, ac proinde præcedentia causæ intrinsecæ metaphysicæ, quo pacto hic numero calor non præcedit ad hanc numero productio-

ctionem talis caloris. Vnde nihil mirum, potius esse veram causalem illam: quia Deus se amat, gaudet de se; quàm hanc: quia datur hic numero calor, datur hæc numero productio talis caloris.

51 Obijcies tertiò ex P. Didaco Ruiz, P. Ripalda, & communitèr ex alijs. Deus amat suas perfectiones, & quia in se bonas; & quia possessas ab ipso Deo: quippè tales perfectiones amabiles sunt, quia bonæ, & quia possessæ; & aliunde nihil impedit, quominus vtraq; ratio moueat affectum diuinũ. At amor, quo Deus amat suas perfectiones, quia in se bonas, est amor strictus distinctus à gaudio, quo amantur, quia possessæ: ergo amor strictus earum perfectionũ negandus non est. Minor probatur. Rationes obiectiuæ sola ratione distinctæ, & eâdem indiuisibili notitia propositæ possunt mouere Deum ad actus vitales in se virtualitèr distinctos. Sic diuina veritas sola ratione distincta à bonitate diuina potest mouere ad cognitionem diuinam virtualitèr distinctam ab amore diuino, ad quem mouet diuina bonitas. Sic, licet sola ratione distinguantur, & omnipotentiã esse bonam, & continere creaturas, eâdemque prorsus indiuisa notitia Dei cognoscatur vtrũque, mouet ea cognitio ad amorem necessarium omnipotentiæ, & ad amorem liberum creaturarũ. At in omnipotentia, v.g. distinguuntur ratione bonã esse in se; & possessã esse à Deo. Nam sub expressione bonæ in se absolutè, concipitur respectiuè ad creaturas, cuius est continentia, apprehenditurque cognitione discernente ipsam à non bonis in se, nempè peccato, imbecillitate, & errore; sub expressione autem possessæ à Deo concipitur in ordine ad Deum cognitione discernente ipsam ad omni nõ identificato cum Deo: ergo omipotentia, quà bona in se, potest terminare diuersum affectum diuinum ab illo, quem terminat, quà possessa: & consequentèr, quà bona in se, poterit terminare amorem strictum distinctum à gaudio, quod terminat, quia possessa, quin obstet bonitatem absolutam, & possessionem esse re ipsa idem, eâdemque notitia diuinâ penitus indiuisa proponi. Sic rationem cõmunem speciali pulchritudine, ac robore premit P. Ripalda.

52 Hoc argumentum facilè soluitur ex doctrina disp. præce. Distinguenda est maior claritatis gratiâ: concedendumque est, Deum amare suas perfectiones, quia in se bonas, & quia possessas; modo tamen amandi impræscisiuo penitùs bonitatis ipsarum ab ipsarum existentia & possessione; non verò modo amandi, siue ex parte obiecti; siue

ex

ex parte affectus præcisiuo bonitatis ipsarum ab ipsarum existentia, & possessione: quippè ad hanc præcisionē necesse est concipere per modum plurium bonitatem, existentiam, & possessionem talium perfectionum, talisque concipiendi modus ab infinito Dei intellectu procul est: quæ omnia satis explicuimus in superioribus. Deinde, negatur minor. Nam ad amorem strictū talium perfectionum requiritur prædictus modus amandi præcisiuus: eo enim modo præcisiuo secluso, inuenietur quidem in affectu diuino terminato ad tales perfectiones, & ratio generalis amoris, & ratio specialis gaudij; non verò differentia illa specialis, per quam ratio generalis amoris cōtrahitur ad amorem strictū; vel, quod idem est, ad simplicem complacentiam boni distinctam à desiderio, & gaudio. Minoris negatæ probatio non vrget. Nam, etsi rationes obiectiuæ sola ratione nostra; non verò ratione diuina distinctæ possint mouere ad actus diuinos virtualitèr distinctos (quod re ipsa, seclusis vocib⁹, nō est aliud, quàm vnum obiectum sub vna expressione nostra concipi à nobis, vt mouens ad vnū actum Dei, & idem obiectum sub alia expressione nostra concipi, vt mouens ad alium actum Dei) hoc tamen solùm potest esse verum, quando ad distinctionem talium actuum diuinorum non requiritur, quod in ipso intellectu diuino tales rationes obiectiuæ, quæ in se sunt omnino idem realitèr, appareant per modum plurium: & quia hoc requiritur, vt Deus terminetur ad suas perfectiones, quia bonas, per amorem strictum; & ad eas, vt existentes, & possessas, per gaudium, ideò nequeunt, quatenus existentes, & possessæ, terminare gaudium diuinum, & quatenus in se bonæ, strictum amorē distinctum à gaudio.

53 Obijcies quartò ex P. Quiros. Amor strictus versari potest circa bonum cognitum, vt possessum: ergo amor Dei erga se non est purum gaudium; seu etiā amor strictus. Consequentia patet. Nam eo solùm excludi potest à Deo amor strictus erga se, quia Deus non aliter queit se ipsum cognoscere, quàm vt existentem, & possessum. Antecedens probatur. *Primò*. Quia, cū Deo sit essentialissimum actualitèr existere, seque ipsum possidere, viatores cognoscentes Deum per fidem cognoscunt ipsum, vt existentem, & possessum. At ex tali cognitione fidei possunt dirigi, tum ad gaudium charitatis, quo lætentur, quòd tam bonus Deus existat, seque ipsum perfectissimè, fœlicissimèque possideat; tum ad amorem strictum, quo Deum diligāt, quia bonū: neque enim charitas

solùm

solùm per modum gaudij tendit in Deum: ergo amor strictus versari potest circa bonum cognitum, vt possessum; imò ex eadem notione regulari. Eâdem probatione vtebatur P. Ripalda tract. de Volunt. disput. 5. num. 8. 9. & 10. Deinde ex his, quę adducit hìc author acutissimus num. 15. *secundò* probatur idem antecedens. Quanuis enim demus, nullam aliam in homine existere notitiam peccati, quod commisit, præter intuitiuam, quâ videt clarè, se peccasse, potest ex hac notitia dirigi, non solùm ad tristitiam contrapositam gaudio; sed etiam ad odium strictum contrapositum amori stricto, vt videre est in beatis, qui ex notitia clara, & intuitiua, quòd in via peccarunt, mouentur ad odium strictum peccati, quod commiserunt; non verò ad tristitiam, & dolorem, quem status beatitudinis nō patitur: ergo similitèr ex notitia boni, vt possessi, queit oriri, non solùm gaudium de illo, quia possesso; sed etiam amor strictus circa illud, vt bonum. Sicut enim se habet voluntas per actus fugæ circa malum, ita per actus prosecutionis circa bonum. Si igitur ex notitia mali, vt mali, & vt tali tempore præsentis, non solùm potest oriri tristitia de illo, quia tali tempore præsens fuit; sed etiam odium strictum, & speciale, quia tale obiectum malum est, similitèr poterit ex notitia boni, vt boni, & vt præsentis, nō solùm oriri gaudium de illo, quia præsens est; sed etiam amor strictus, & specialis, quia bonum est.

54 *Tertiò* probatur. Circa bonum cognitum, vt possibile, potest versari amor strictus, & etiam gaudium: ergo similitèr circa bonum cognitum, vt existens, & possessum: neque enim maior est in consequente, quàm in antecedente, difficultas. Antecedens, quoad primam partem de amore stricto, dubium non est. Quoad secundam partem de gaudio, probatur. Nihil enim prohibet, me nūc gaudere de possibilitate vnionis hypostaticæ meæ humanitatis cum Verbo, maximè, cum semper detur possessio possibilitatis in esse talis, cùm non minùs respectu creaturæ possibilis sit necessaria, & essentialis possibilitas, quàm respectu Dei necessaria est, & essentialis existentia, & possessio. *Quartò*. Circa bonum cognitum, vt absens, potest versari amor strictus; ergo circa bonū cognitū, vt præsens. Patet cōsequētia: quia, si propositio absentiæ ita excitat desiderium, vt etiam patiatur amorem strictum; cur propositio præsentiæ non ita gaudium excitabit, vt etiam amorem strictū permittat? Antecedēs probatur. Nam aliquis prosecutionis affe-

ctus tendit circa bonum, vt absens, illeque affectus non mouetur ex absentia, vt prosequatur bonum, quippè boni absentiam fugit voluntas; non prosequitur: ergo ille affectus mouetur ex bono absenti, quia bonum est præcisè. At amor strictus stat in prosecutione boni, quia bonum est præcisè: ergo circa bonum cognitum, vt absens, versatur amor strictus, qui, vt mixtus cum fugâ abiētię, vocatur desideriū. *Vltimò*. Quandiu non latet motiuum amoris stricti; sed simul patet motiuum gaudij non impeditur voluntas, quominùs erga obiectum versetur per amorem strictum; sed simul versari poterit per gaudium. At, proposito bono, vt bono possesso, non latet motiuū amoris stricti, nēpè, obiectum esse bonum; sed simul patet motiuum gaudij, nēpè, obiectum esse possessum: ergo, proposito obiecto, vt bono possesso, non impedietur voluntas, quominus erga illud versetur per amorem strictum, quāuis possit simul versari per gaudium.

55 Pulchra quidem hæc sunt, occasionemque præbent ad maiorem nostræ doctrinæ comprehensionem, ideoque, quanuis non multùm vrgeant, prætercunda non duximus. Respōdeo ex num. 20. nunc denuo recognoscendo, distinguendo antecedens argumenti propositi num. 53. Concedimus, amorem strictum versari posse circa obiectū cognitum, vt possessum, & existens, quando saltem in mente amātis aliquomodo secernūtur, & obiecto competere bonitatem illam, propter quam amandum erat stricto amore; & competere ipsi suam exercitam existentiam, & possessionem. Negamus tamen, quando nullatenus hæc secernuntur mentalitèr ab amante: quia verò Deus, se ipsum amans, nullarenus infinita sua mente secernit sibi competere sua bona diuina, eaque exerceri, possiderique ab ipso Deo; sed hæc perspicit indiuisissimè ex parte actus, & per modum vnissimi obiecti (vt sic loquar) vt reuera in se sunt, ideo se ipsum seorsim à creaturis acceptum non se amat stricto, & speciali amore distincto à gaudio. Vnde consequens argumenti nō infertur ex antecedente, prout à nobis conceſſo. Videamus vlterius, antecedentis probationes nihil omnino nobis nocere.

56 Ad primam probationē antecedentis. Dato, quòd fides non valeat vllatenus secernere, Deum esse infinitè bonum, & in Deo existere talem bonitatem infinitam, neque alitèr possit ista cōcipere, quàm vt omnino idē, respondeo cum doctis Recentioribus, charitatem regulatam per fidem nō posse amare Deū quoad sua intrinseca bona præcisè

cisè sumptum per amorem strictum; sed solùm per gaudium: quia charitas regulata per fidem non poterit, eo dato, Deum attingere, quia bonum sua intrinseca bonitate, quin iste affectus sit formalissimè erga talem bonitatem, quia exercitam, & possessam, adeò vt talis affectus omninò impræscindat vnum ab alio, quod est non esse amorem strictum; sed purissimè gaudiũ. Iam verò charitatem, non amore stricto; sed puro gaudio terminari posse ad bona intrinseca Dei seorsim ab extrinsecis (quid coniunctim cum illis, dicemus infra) non est imperfectio charitatis infra virtutes alias, quæ terminari queunt ad obiecta sua non solùm per gaudium; sed etiam per amorem strictum; potius est supra alias virtutes perfectio petita ex eo, quòd charitas se continens intra bona intrinseca Dei terminatur ad tam excelsa, necessaria, Deoque intimissima bona, vt nullatenus ab eo, quòd existãt, & à Deo per charitatem amato possideantur, præscindi possint. Cui solutioni fauet ante RR. Magist. Aluiz de Volunt. disput. 4. sect. 3. num. 24. ¶ *Secundò* respon. Improbabile mihi non est, posse homines per fidem adeò iudicare obscure, Deum esse infinitè perfectum, vt ex vi huius iudicij non constet ipsis expresè, eam infinitam perfectionem iam existere in se, & in Deo; sed tantùm constet, eam nõ repugnare Deo, vt repugnat cuique creaturæ: quò casu poterit homo per charitatem amare stricto amore, ex complacentia erga Deum, id, quod est Deum esse infinitè perfectum, quod concipitu esse bonum; nondum tamen iudicatur existens, & possessum à Deo; sed non repugnans existere, ac posse deri:

57 Ad secundam probationem respondeo. Dupliciter potest voluntas affectibus fugæ se habere ad peccata commissa. *Primò*, per puram simplicem displicentiam, per quam displicent præcisè, quia mala, abstrahendo ab eo, quòd præcesserint, & infecerint animũ. *Secundò*, per displicentiam, per quam displicent, non præcisè quia mala; sed quia mala, quæ extiterunt, & infecerunt animum. Primus affectus est odium speciale strictum, quod in ordine fugæ correspondet amori speciali stricto in ordine prosecutionis. Secundus affectus non est odium strictum speciale; sed affectus, qui est interdum tristitiæ, & semper est tristitiæ similior, quàm odio stricto puro. Interdũ quidem est tristitiæ, nimirum; quando simul cum prædicato fugiendi à malo, quia tale malum extitit, ac nocuit, coniungit animum vexare, & exaceruare. Nõ tamen semper est tristitiæ. Nam

aliquando voluntas adeò suauiter, & iucundè ex toto, vel quasi ex toto capitur alio bono, vt nullo malo proposito cruciari valeat, sicut beatis contingit. At semper prædictus affectus est similior tristitiæ, quàm odio stricto puro. Nam huic præcisè est similis in ratione generica odij; tristitiæ verò nō solùm in ratione generica odij; sed etiam in specifica, quāuis nō adæquatè: illi enim assimilatur, quatenus fugæ à malo, quà præsente in aliqua differentia temporis; tametsi non assimiletur illi, quatenus animū cruciant. Quo fit, si nulla ratione distingueret mēs in peccato præterito malum esse, & esse malum præsens, ac nocens pro aliqua temporis differentia, non fugeret voluntas ab eo malo per odium strictum; sed vel per tristitiam, vel per alium affectum tristitiæ similiorem, quā odio stricto. Quamobrem Deus nullatenus distinguēs in suis prædicatis diuinis bonitatem ipsorum ab eorum existentia, & possessione, nō prosequitur ipsa per amorem strictum; sed per gaudium.

58 Insistes. Circa malum, vt præsens, dari potest non solùm affectus tristitiæ; sed alius affectus fugæ non tristantis: ergo circa bonum, vt præsens, dari poterit non solùm affectus gaudij; sed alius affectus prosecutionis non delectantis; ergo potest Deus circa suam diuinam bonitatem versari duplici affectu, altero gaudij delectantis; & altero valde simili gaudio; qui tamen gaudium non sit: huic enim secundo affectui non obest præsentia, & possessio impræscindibilis à bonitate diuina. Nego consequentiam: quia nomine tristitiæ non significatur quæuis fuga circa malum, vt in aliqua temporis differentia præsens, vt constat in fuga beatorū ab anteactis peccatis; nomine autem gaudij significatur quæuis prosecutio circa bonum, vt præsens: quod constat ex communi vsurpatione. Num autem, præscindendo ab eo, quod vocetur, vel non vocetur gaudium, possibilis sit prosecutionis affectus erga bonū, vt præsens, qui nō afferat delectationē; sicut circa malū, vt tempore suo præsens, possibilis est fugæ affectus non afferens dolorem? Mihi sanè incertum est. Præceptor Angelicus, cui libens adhæreo, citatus n. 4. videtur distinguere duplex gaudium: aliud de bono, vt in se præsente; aliud de bono, nō solùm vt in se præsente; sed vt realiter coniuncto ipsi amanti. De ratione prioris non videtur esse delectationē afferre; secus de ratione posterioris. Hinc fit, cum in bonis diuinis, & re ipsa, & in mente Dei, ipsissimum sit esse in se præsentia, & esse Deo coniunctissima, ne-

nequibit Deus talia bona, vt præsentia, prosequi, nisi peraffectum gaudij suauissimam afferentis delectationem.

59 Ad tertiam probationem ex num. 54. respondeo. Circa bonum cognitum, vt possibile, versari possunt affectus amoris stricti, & gaudij; qui tamen habeant pro motiuo diuersas rationes; non verò vnam, & eandem, etiam in mente amantis. Sic in præsenti motiuum amoris stricti sunt ipsa prædicata contingentia vnionis hypostaticæ, quæ propter se ipsa placent; motiuum autem gaudij est ipsa possibilitas necessaria illorum, de quâ, vt iam existente, gaudemus. Similiter circa bonum cognitum, vt existens, & possessum, versari possunt amoris stricti, gaudijque affectus, si ratio obiectiua stricte amandi, & ratio obiectiua gaudendi distinguantur saltem in mente amantis. Cum igitur neque re ipsa, neque in mente diuinâ distinguantur perfectiones diuinas esse in se bonas; & esse existentes, possessasque à Deo, quæ sunt rationes, ob quas terminare poterant amorem strictum, & gaudium, fit, non terminare duos istos affectus; sed solùm gaudium.

¶ Ad quartam probationem respondeo. Circa bonum cognitum, vt absens, potest versari amor strictus, quia propositio boni, vt absentis, non impedit proponi tanquam rationes distinctas, & obiectum esse bonũ, & esse præsens, ac possessum: quandiu verò rationes istæ tanquã distinctæ proponantur, manet locus amori stricto. Similiter circa bonum cognitum, vt præsens, & possessum, versari potest amor strictus eo modo, quem nupèr assignauimus in solutione ad tertiam probationem: cum quo stat, vt ibi diximus, Deum non prosequi suas perfectiones per amorem strictum; sed solùm per gaudium.

60 Vbi noto, desiderium ipsum boni absentis non esse amorem strictum, contra quàm contendit ea quarta probatio. Nam ad amorem strictum non sufficit prosequi bonum, ita vt motiuum prosequendi sit præcisè bonitas obiecti seorsim ab ipsius præsentiâ, & possessione; sed vlterius requiritur carentia identitatis cum desiderio, vt explicuimus disput. 10. capit. vltimo. ¶ Ad quintam probationem respondeo. Potest obiectum terminare non solùm gaudium; sed etiam amorem strictum, quando non latet motiuum amoris stricti; sed amanti patet per cognitionem, quâ proponatur tale motiuum aliquo modo, vt distinctum ab ipsius præsentia, & possessione, vt iam sæpè

constitit; & quia diuinæ perfectiones non patent Deo per cognitionem, quâ bonitas ipsarum proponatur ipsi Deo aliquo modo, vt distincta ab ipsarum præsentiâ, & possessione; sed hæc Deo patent tanquam quid vnissimum, ideò non proponuntur modo sufficienti, vt terminent amorem strictum diuinum; sed præcisè purum gaudium. ¶ Alia possunt argumenta contra nostram sententiam peti ex duobus principijs. Primum est, non esse necessariam distinctionem ex parte obiecti motiui ad amorem strictum, & gaudium; sed sufficere distinctionem ex modo tendendi. Secundum est, in Deo respectiuè ad suas perfectiones posse diuersimode declarari eiusmodi distinctionem ex modo tendendi. Hæc tamen argumenta diruta sunt a fundamentis disput. 10. vbi vidimus, nullum in Deo esse modum tendendi affectiuum circa suas perfectiones necessarias absolutas, in quo posset consistere amor strictus. Dicamus nonnihil de relatiuis.

CAP. V.

Concluditur explicatio nostræ sententiæ.

61 DVbitatur. An in Deo sit amor strictus respectiuè ad prædicata, quæ iam relatiua, iam personalia, iam notionalia dicuntur. Rationem dubitandi tetigit optime Mag. Albiz supra, sect. 3. num. 8. & 24. Nam, vt est communis opinio tract. de Trinitate, Pater, & Filius producunt Spiritum Sanctum per amorem totius Trinitatis, ac proinde ipsius Spiritus Sancti. At iste amor neque est desiderium Spiritus Sancti, neque gaudium de illo iam existente: ergo amor strictus. Prima pars minoris probatur. *Primò*, quia, vt constat ex disput. 10, nullus desiderat id, quod videt esse determinatum ad existendum, præcipuè determinatione, quâ necessitatū penitus est, vt semper existat. Pater autem, & Filius vident Spiritum Sanctū necessitatum penitus esse, vt semper existat. *Secundò* ex eadem disp. non est obiectū desiderij, quod citra vllam difficultatem pro solâ voluntate amantis existit. At Spiritus S. existit citra vllam difficultatem pro sola voluntate Patris, & Filij. *Tertiò* ex eadem disp. non est obiectum desiderij, quod nequit proponi, vt absens modò sufficien-

ficiente, vt absentia sua cruciet amantis animum. Nequit autem Spiritus Sanctus hoc modo proponi, vt absens Patri, & Filio.

62 Probatur secunda pars eiusdem minoris, nempè, amorem illum non esse gaudium de Spiritu Sancto iam existente. *Primò*. Quia pro illo signo nondum existit Spiritus Sanctus; tametsi pro illo signo dentur essentia diuina, Pater, & Filius cum essentiali connexione, vt Spiritus Sanctus existat pro signo posteriori: ergo quanuis pro illo signo possit esse gaudium de futuritione, vel quasi futuritione Spiritus Sancti, quæ pro tunc datur, id est, de connexione cum existentia pro signo posteriori; nequit tamen tunc dari gaudium de præsentia, & existentia, quæ nondum tunc datur. *Secundò*. Nam amor ille, quippè qui est principium Spiritus Sancti tendit ad hoc, *vt* Spiritus Sanctus existat; non autem concipitur, *quia* iam Spir. S. existit. At gaudium est quies in bono concepta, *quia* iam bonum existit; non verò motus tendens, *vt* existat: ergo amor ille non est gaudium de Spiritu Sancto iam existente. *Tertiò*. Gaudium non ponit; sed præsupponit obiectum, de quo est gaudium. At amor, qui est principium Spiritus Sancti, non præsupponit; sed ponit ipsum; ergo non est gaudium de illo. *Quartò*. Secundùm communem opinionem Societatis, scientia visionis creaturarum non est principium iplarum. Non enim creaturæ existunt, quia Deus videt ipsas, vt existentes; sed potius conuersim, quia ipsæ existunt, Deus videt ipsas, vt existentes. At similiter non existit Spiritus Sanctus, quoniam aliæ personæ diuinæ gaudent de ipsius existentia; potius illæ de huius existentia gaudent, quia hic existit: ergo amor ille, qui est principium Spiritus Sancti, non est gaudium de existentia ipsius. Manet ergo probatum, amorem prædictum terminatum ad Spiritum Sanctum non esse in ordine ad ipsum siue desiderium, siue gaudium, proindeque tantùm supereſt, quòd sit amor strictus.

63 Fortè tamen alicui dicere placebit, amorem illum non esse amorem strictum Spiritus Sancti, quanuis, vt superiora persuadent, neque sit desiderium, neque gaudium. Vt enim notauimus disput. 10. capit. 6. num. 75. decretum efficax rei citra omnem difficultatem constitutæ in tua potestate, neque est desiderium, neque gaudium, neque amor strictus, vel, quod in idē recidit, cōplacentia simplex eius rei. Ergo ex eo præcisè, quòd affectus respectiuè ad aliquod obiectum non

sit desiderium, vel gaudium, non infertur infallibiliter, esse amorem strictum. Propterea posset non improbabiliter dici, amorē illū, ex quo procedit Spiritus S. similem esse in modo tendendi decreto efficaci executiuo, quo Deus statuit existentiam creaturarum: qui tamen amor non est dicendus *decretum* de existentia Spiritus S. nam hoc nomen *decretum* ex communi vsurpatione applicatur duntaxat liberis cōsilijs Dei, quibus omnes tres diuinæ personæ aliquid ad extra faciendum vna decernunt. Dici ergo poterit prædictus amor, nō quidem velleitas, quā per modum simplicis affectus Patrī, & Filio placet, quòd Spiritus Sanctus existat; sed volitio absoluta productrix; necessaria tamen, existētiæ Spiritus S. Non dixi *efficax*; sed *productrix*, vt in rebus ad mysteriū Trinitatis pertinentib⁹ cautissimè loquamur, vt oportet: ibi enim, licet productioni sit locus; nō tamē efficientiæ.

64 At cōtra istū dicendi modum mihi, vt dicebā, nō improbabilem, opponi potest, quod in simili sibi opponūnt Magg. Salmanticenses ex nostris optimi nominis. Etenim omnis amor absolutus existēs in vna personā diuina existit in omnibus, vt cōmunitèr Patres, & Theologi statuunt. At amor, ex quo procedit Spiritus S. nō est solus amor notionalis, & relatiuus, nempè, spiratio actiua; sed simul amor essentialis, & absolut⁹, vt ex tract. de Trinit. ponimus: ergo ille amor essentialis, & absolutus, ex quo procedit Spirit⁹ S. existit in Sp. S. ergo non est absoluta volitio, vt existat Sp. S. Prima illatio patet: subsillatio probatur. Nō habet volitionē absolutā tēdētē productiuè ad hoc, vt Spiritus S. existat, nisi persona productiua Spiritus S. At Spiritus S. non est persona productiua sui: ergo nō habet prædictā volitionē: cum igitur Spiritus S. habeat omnem volitionē essentialē, & absolutam, patet, volitionem illam essentialem, & absolutam, ex qua procedit Spiritus S. non esse volitionem productiuè tendentem ad hoc, vt ipse existat.

65 Respōderi poterit, cōcesso toto syllogismo, & negata subsillatione. Ad cuius probationē distinguēda est maior, cōcedendū: que est, solā personā productiuā Spiritus S. habere prædictā volitionē, quatenus exhibētē denominationē productiuè volētis, vt Sp. S. existat; negandū autē, solā personā productiuā Spiritus S. habere secū identificatā realitèr eam volitionē. Nam ipse Spiritus S. qui sui productiuus no est, non est cur nō habeat secū identificatam realitèr prædictam volitionem, quanuis per illam non denominetur productiuè volēs, vt ipsemet existat: huius enim denominationis incapax est. Sic pro-

probabiliter respondent citati Magg. Qui tamen contra hanc solutionem insurgunt. Quia satis absonum est, ibi formam, aut quasi formam connaturalissimè reperiri, vbi nequit exhibere suũ effectum formalem. Connaturalissimè autem ea volitio absoluta, & essentialis reperitur in Spiritu S. Quî ergo non ibi præstat suum effectum formalem? Sed huic redargutioni acutè respondent, paternitatem, generationem actiuam, relationẽ realem ad Filium connaturalissimè reperiri per identitatem realem in naturâ diuinâ; quæ tamen neque denominatur Pater, neque generans Filium, neque realitèr ad Filium relata, his omnibus prouenientibus ex infinitate naturæ diuinæ. Quid ergo mirum, propriam perfectionem, & infinitatem Spiritus Sancti præstare, quòd ea volitio, quamuis idẽtificata cum Spiritu S. non præstet ipsi prædictam denominationem?

66 quibus adiunge, formam, aut quasi formam connaturalissimè rem afficere, cui præstare nequit suos omnes effectus formales, modo præstet aliquem. Sic habitualis gratia connaturalissima est humanitati Christi D. non solùm secundùm se sumptæ; sed etiam vt vnitæ Verbo diuino, quippè ex hac vnione, tanquam proprietas illi debita, gratia habitualis proficiscitur; ea tamen gratia, tametsi reddat humanitatem Christi gratam Deo; non tamen filiam adoptiuam Dei. Sic pluribus Philosophis probabile est, ipsam actionem eductiuam, quâ formæ materiales ab agente constituuntur in subiecto, identificari cum vnione intrinseca, quâ tales formæ vniuntur intrinsecè subiecto. Cũ igitur vnio intrinseca afficiat intrinsecè extrema, quæ per ipsam intimè coniunguntur, certè talis actio intrinsece afficiet formã, & subiectum; tamen subiecto denominationẽ recipientis præstat; nõ recepti: formæ verò denominationem receptæ; non recipientis. Modales etiam formæ sibi ipsis reddunt denominationẽ vnitarũ inseparabilitèr subiectis, quæ modificant; non tamen hanc denominationem exhibẽt subiectis, quæ afficiunt; sed denominationẽ separabilitèr ipsis vnitorũ. Dici ergo poterit, volitionem illam, ex quâ procedit Spiritus Sanctus, licèt prout existens in Spiritu Sancto, & prout intimè coniuncta cum ipso per realem identitatem, non tribuat ipsi denominationem *quasi* decernentis existentiam Spiritus S. tamen, vt sic intimè coniunctam cum illo, tribuere ipsi denominationem gaudentis de suâ existentiâ. Sic dixi in Philosophiâ, materiam primam, vt proximè dispositam ad suscipiendam formam ignis, denominare se innatè

tè appetentem, vt existat forma ignis. At ea materia, vt iam vnita formæ ignis, denominat se ipsam gaudentem innatè de possessione formæ ignis. Sic igitur dici poterit, prædictam volitionem, prout in Patre, & Filio, denominare ipsos, quasi decernentes existentiam Spiritus Sancti; prout autem existentem in Spiritu S. denominare ipsum gaudentem de sua existentiâ.

67 Insurgunt secundò. Nam, vt concors est Theologorum sententia, spiratio actiua nō existit per identitatem realem in Spiritu S. At non allâ de causa, nisi quia ipse nequit denominari per illam spirans, sicut prima, & secunda persona denominantur: ergo, si Spiritus Sanctus nequit prædicto quasi decreto denominari quasi decernens suam existentiam, non poterit tale quasi decretum existere per idē. titatem realem in Spiritu S.

¶ Respondent, concessâ maiore, & negata minore. Causa autem est: quia in diuinis oppositio relatiua pugnat cum identitate reali: spiratio autem actiua, & spiratio passiua opponuntur relatiuè, & consequentèr spiratio actiua nequit identificari realitèr cum ipso Spiritu Sancto, spirationeuè passiua. Hæc solutio sufficiens est iuxta satis probabilem opinionem, quæ omninò identificat spirationem actiuam cum virtute spiratiua, per quam Pater, & Filius spirant tanquam vnicum principium spirandi; aliàs verò non erit, cur spiratio actiua non sit idem cum ipso Spiritu sancto: quemadmodum in creatis possibile quandoque est, vt productiones, quibus principia productiua suos terminos producunt, cum ipsis terminis productis identificentur, & sicut actio per quam agens elicit ipsam actionem identificatur cum ipsa actione elicita.

68 Hæc sane probabilia videntur, ex quibus consectarium est, gaudium adæquatè constitutum, per quod personæ diuinæ gaudent de existentia Spiritus S. non identificari realitèr cum qualibet personâ diuinâ; sed solùm cum Spiritu Sancto. Nam, si rectè perspiciantur superiora, eiusmodi gaudium, prout adæquatè constitutum, intrinsecè claudit volitionem absolutam toti Trinitati communem, & spirationem passiuam propriam tertiæ personæ. Complexum autem ex absolutâ volitione, & spiratione passiuâ non identificatur realitèr cum quâlibet persona diuina; sed solùm cum tertia. Sed, cùm consectarium istud singularitatem redoleat, quam nunquam non fugiam, nisi ad illam euidentia veritatis compellat, securius, & verius mihi videtur asserere, volitionem illā, quâ Pater, & Filius producunt Spiritum Sāctum, etiam pro illo priori

priori originis, quo præcedit ad existentiam Spiritus Sancti, esse gaudium plenissimè constitutū de existentia Spiritus Sancti, vt exercitâ pro posteriori originis.

69 Quod sic explicatur à posteriori, & à priori. A posteriori quidem. *Primò*. Nam existentia obiecti terminantis gaudium non est necessè, vt magis coniuncta sit cum ipso gaudio, quàm coniuncta est cum visione clara existentia obiecti terminātis visionem claram. At non ita coniungi debent visio clara obiecti, & existentia eius obiecti terminantis visionem, vt dentur pro eodem signo; sed sat est, visionem dari pro priori originis, & existentiam obiecti pro posteriori: vt patet in Filio, qui iuxta communem fere omniū Theologorum sentētiam, si Scotistas demas, procedit ex visione, quâ Pater videt, ipsum existere pro posteriori originis ad ipsam visionem: ergo gaudium, & existentia obiecti, de quo gaudium percipitur, non oportet ita coniungi, vt dentur pro eodem signo; sed sat erit, gaudium dari pro priori originis; & existentiam obiecti pro posteriori. ¶ *Secundo*. Nam, vt magis constabit ex ratione à priori postea subnectēda, nō apparet, cur in signis processionis coniunctiora esse debeant gaudium, & obiecti existentia, de quâ percipitur gaudium, quàm in momentis durationis. At in momentis durationis ita possunt esse disita gaudium, & obiecti existentia, de qua percipitur, vt illud sit prius, & realis existentia obiecti sit posterior. Nam, vt dicebam tract. de Scientia, disp. 16. cap. 1. num. 8. nunc denuò recognoscendo, qui reuelationem haberet, quòd post centum annos salutem æternam consequeretur, gaudere nunc posset de salute, vt existente post illum temporis tractum: ergo in signis processionis, ita possunt abiungi gaudium, & obiecti existentia, de qua percipitur, vt illud sit origine prius, & realis existentia obiecti sit origine posterior.

70 Ratio à priori est. Nam gaudium de existentia obiecti, vt exercita pro tali, vel tali signo, vel instanti, potest pro illo *tunc* existere, pro quo dirigi potest ex notitia talis existentiæ, vt exercitæ pro tali, vel tali signo, vel instanti. At pro illo *tunc* originis, quo Pater, & Filius præcedunt Spiritum Sanctum, volitio diuina in ipsis existens dirigi potest ex notitia existentiæ Spiritus Sancti, vt exercitæ pro suo signo: ergo talis volitio habere potest pro eo tunc originis plenissimam rationem gaudij de existentia Spiritus Sancti, vt exercita pro suo signo. Consequentia est legitima, & maior patet: quia, dum obiectum non solùm cognoscitur, vt bonum; sed etiam

vt

vt existens, & præsens pro tali mẽsurâ, potest erga ipsum exerceri non solùm affectus, quo ametur, quia bonum est; sed etiã, quo ametur, quia bonum præsens, & existens est pro tali mensura: is autem affectus, ni terminis abutamur, vocandus est gaudium, vt patet ex disp. 10. Minor probatur: quia pro illo tunc volitio diuina dirigi potest ex cognitione perfectissima, & exactissima essentiæ diuinæ; hæc autem cognitio, cum penitissimè attingat diuinam essentiam, quatenùs ineuitabilitèr connexam cum existentiâ Spiritus Sancti, vt exercita pro suo signo, procul dubio notificat, Spiritum S. existere pro suo signo. Patet ergo, pro eo tunc dirigi posse diuinum amorem ex notitiâ existẽtiæ Spiritus Sancti, vt exercitæ pro suo signo. Veniamus ad argumenta, quæ num. 62. in contrarium opposuimus, ex quorũ solutione lucem vberiorem prędicta capient.

71 Ad primum resp. Pro eo signo non datur existentia realis Spiritus Sancti; neque cognitio talis existentiæ, vt pro eo signo exercitæ, ac proindè nequit dari gaudium de existentia Spiritus Sancti, vt exercita pro eo signo. Tamen pro eo signo datur notitia diuina de existentia Spiritus Sancti, vt exercita pro posteriori originis, & consequentèr pro eo signo dari potest gaudium de tali existentia, vt sic exercita. Constat hoc, & instantiæ sunt in promptu ex nn. proximè anterioribus. Ad secundum resp. Amor ille essentialis rendit *productiuè, & quasi effectiuè* ad hoc, vt Spiritus Sanctus existat; & in eo, quòd Spiritus sanctus pro suo signo existat, quiescit *affectiuè*. Primum, quia talis amor essentialis infinita sua fœcunditate præstat, vt amor notionalis ipsi respondeat. Secundum, quia dirigitur ex notitia de Spiritu S. vt existente pro suo signo, eaque notitia sufficit ad quietem affectiuam voluntatis in ea existentia. Potest autem idem in vno genere habere rationem motus, & in alio quietis. Sicut gaudiũ, quo quis honestè, & meritoriè gaudeat de existentia beatitudinis, quæ per diuinam reuelationem illi constat post centum annos obtinenda, motus est moralitèr effectiuus beatitudinis in genere meriti, & quies affectiua in illa, vt pro tali tempore existente. ¶ Ad tertium. Nihil obest, quominus gaudium non præsupponat realitèr; sed ponat obiectum, de quo est gaudiũ, modo dirigatur, vt in præsenti contingit, ex notitia talis obiecti, vt positi pro suo signo.

72 Ad quartum. Diuina scientia circa creaturas non alitèr istas causat, quàm proponendo voluntati diuinæ conuenientias, vt earum executionem decernat:

nat: munusque proponendi tales conuenientias non est scientiæ Dei formaliter, quà videntis tali tempore creaturas existere; sed formaliter quà intelligentis, bonum esse creaturas executioni mandare: cum igitur hoc munus sit scientiæ Dei, quatenus est simplex intelligentia creaturarum; non quatenùs est ipsarum, vt existentium, visio, ideo simplici intelligentiæ, quà tali; non visioni, quà tali, tribuendum est causare creaturas. Hinc verum est à priori, saltē prioritate causalitatis ratione nostra, Deum videre creaturas, vt existentes suo tempore, quia ipsæ sic existunt; & nullatenùs esse verum à priori prioritate causalitatis, creaturas existere, quia Deus videt ipsas existere. Etenim in ordine nostri modi intelligendi visio potius creaturarum, vt existentium, prouenit ex his, vt existentibus; quàm contra. In ordine autem causalitatis realis visio creaturarum, vt existentium, quà talis visio, non causat ipsas. Videantur dicta tract. de Prædestinat. disp. 16. cap. 5. num. 24. & tract. de Scientia, disp. 18. cap. 4. num. 24. Iam in re nostrâ, concessâ maiori argumenti, quod discutimus, distinguenda est minor, quæ falsa est quoad partem negatiuam: quia enim Pater, & Filius gaudio fœcundissimo gaudent de existentia Spiritus S. vt exercitâ pro suo signo, vt ipsi correspondeat gaudium notionale, ideo existit Spiritus S. pro suo signo. Eadem autem minor quoad partem affirmantem, tale gaudium essentiale dari, *quia* existit Spiritus Sanctus, denotante *quia* rationem à priori, vel quasi à priori, vera est loquendo de existentia Spiritus Sancti, *prout in cognitione diuina*; falsa de existentia Spiritus Sancti, *prout in se*: nam hæc existētia, prout in se, non præcedit; sed subsequitur ordine originis, saltem virtualis, ad tale gaudium: eademque existentia cognita à Deo, vt exercita pro tali tempore, vel antecedit; vel saltem non succedit ad tale gaudium.

73. Tandem rogabis. An Deus possit aliquo modo se ipsum amare stricto, & speciali amore? Respondeo primò. Potest suos actus liberos, quà liberè terminatos ad obiectum, stricto, & speciali amore diligere, quia nō solùm sunt cognoscibiles à Deo, vt existentes quoad eam terminationem; sed etiam cognoscibiles, vt boni, cognitione non dicente ipsos existere: quippè Deus cognoscit, decretum de Incarnatione Spiritus Sancti esse bonum ex suâ ratione; & tamē non existere: huiusmodi autem notitiæ nihil prohibet strictum, & specialem amorem eius decreti correspondere. Secundò respondeo, posse Deum sibi amare creaturas amore speciali stricto,

ſtricto. Nimirùm, Deus nõdum videns, ſic, vel ſic cognoſci, amari, laudari, & glorificari à creaturis, cognoſcentique bonũ eſſe, tametſi non adhuc actualitèr exiſtens, ita cognoſci, amari, &c. poteſt ex complacentia ſui ea cognitione dirigi, vt per amorem ſpecialem ſtrictum ſibi placeat, ita cognitum, amatum, laudatum, & glorificatum eſſe à creaturis. An vero talis amor neceſſarius ſit, an liber, conſtabit ex diſpp. venturis.

DISPVT. XII.

De amore Dei circa creaturas poſsibiles.

EXplicata diuina voluntate, prout ad obiectum increatum terminatur, ſupereſt de illa tractemus, prout verſatur circa creaturas.

CAP. I.

Præmittuntur quædam certa.

1 PRæmitto primò. Fide diuina ſanctum eſt, & ratione naturali conſpicuum, Deũ amare creaturas. Fide quidem diuina. Dicitur enim Geneſ. 27. *Voluntas Dei fuit, vt citò inuenirem.* Cap. 41. num. 8. *Num Dei poſſumus reſiſtere voluntati?* Pſal. 72. 24. *In voluntate tua deduxiſti me.* Idem conſtat ex Matth. 6. 10. & cap. 7. 21. Ad Roman. 1. num. 10. cap. 2. n. 18. Ad Theſalonic. 4. num. 3. & ſæpè alibi. Ratione naturali. Tùm, quia Deus prouidentiam habet erga creaturas. At prouidẽtia, vel formalitèr includit, vel præſupponit volitionem rerum, circa quas verſatur. Tùm, quia Deus plures erga creaturas virtutes exercet, miſericordiam, liberalitatem, virtutem remuneratiuam meritorum, demeritorumque punitiuam. Non autem conſtãt harum virtutum exercitia ſine voluntatis actibus circa creaturas. Tum quia, vt optimè D. Tho. diffundit, & communicat Deus creaturis ipſam Dei bonitatem. Id autem non aliter præſtat, quã volens ipſis impendere perfectionem, vbi diuina perfectio ſplendeat. Tùm, quia creaturæ bonitatem aliquam, tametſi finitam, important, nullamque dicit imperfectionem ipſas amare. Cur ergo non amentur à Deo? Tum, quia Deus titulo cauſę primæ, & vniuerſalis omnibus effectibus *eſſe* tribuit. Non autem alitèr, quàm ipſos perfectiſsimè cauſando, ſcilicèt ſciens, & volens. Hæc in re certiſsima tetigiſſe ſufficiat.

2 Oppones tamen id, quod cum alijs expendunt P. Molina in præſ. quæſt. 19. art. 3. à verſ. Con-

Contra id, quod D. Thom. Auersa sect 4. §. *Tertiò. Docet S. Thom.* Nihil est amabile à Deo, nisi quod sit amabile propter diuinā bonitatem, vt finem. At creaturæ nō sunt à Deo amabiles propter diuinam bonitatem, vt finem: ergo non sunt amabiles à Deo. Maior est certa. Sicut enim omnipotentia propter suam infinitam perfectionem in genere actiuitatis est primum principiū omnium rectè operabilium; ita diuina bonitas, propter suam infinitam perfectionem in genere attractiuo amoris, est vltimus finis omnium rectè amabilium (dixi *rectè*, propter peccata, quæ perperam duntaxat, & sinistrè amabilia sunt) Minor probatur. Quod non conducit ad existentiam finis, nequit amari propter ipsum, vt finem. Sed nullū creatum bonum conducit ad existētiam diuinæ bonitatis; sed ab hac, vt præexistente, procedit; quemadmodum riuulus procedit à primo fonte, vt præexistente: nequit ergo Deus bona creata diligere propter suam diuinā bonitatem, vt finem.

Resp. Concessa maiori, negatur minor. Ad cuius probationē dicatur. Quod non conducit ad existētiam alicuius, nequit propter hoc amari, tanquam propter finem, *qui* cōsequendus est medio illo: ideoque bona creata nequeunt amari propter bonitatem diuinam, tanquam propter finem, cuius existentia comparanda est medijs creatis bonis. Tamen, quod non conducit ad existētiam alicuius, potest rectè propter hoc amari, tanquā propter finem, *cui* amatur illud, quia fini ipsi bonum est. Sic diuitias possumus amico diligere tanquā fini, *cui* ipsas amamus, quia bonę ipsi sunt, quanquam diuitiæ nō sint media conducentia, vt ex ipsis proueniat existentia amici. Sic igitur Deus bona creata diligit propter diuinam bonitatem, tanquam propter finem *cui*, & in quo sistitur vltimò. Nimirū, quatenùs Deus bona creata vult, quia bonitati ipsi diuinæ bonum est, quòd ab ipsa tanquam à plenissimâ bonitatis scaturigine cuncta bona profluant.

4 Sed contra, secundò obijcies. Sicut, quod non est necessarium ad finem, non amatur necessariò propter finem; ideoq; teste D. Thom. 1. contra Gent. cap. 81. amata diuina bonitate à Deo, non amat necessariò Deus bona creata; ita bonum omninò inutile alicui non est amabile propter ipsum, tāquam propter finem *cui*: quapropter, si diuitiæ forent prorsus inutiles amico, non possent amari propter amicum, tanquam propter finem *cui*; nempè, non possent amari amico, quia ipsi bonæ. Atqui Deo, bonitatique diuinæ prorsus inutilia sūt bona creata, quātuncunque in suo genere crescant:

cant: quippè Deus ad sui plenissimum fœlicitatem sibi sufficientissimus est. Quare, cum fecerimus, quæ præcepta sunt nobis, alijque, bona opera nostra contemplando, glorificauerint Patrem, qui in cœlis est, dicere possumus: serui inutiles sumus: ergo nequit Deus propter se, propterque suam diuinam bonitatem, ne quidem vt finem *cui*, bona creata, quia sibi bona, amare.

5 Solutionem ediscens ex D. Thom. 1. p. q. 19. art. 2. in fine corp. illis verbis: *Sic igitur vult, & se esse, & alia. Sed se, vt finem; alia verò, vt ad finem, in quantum condecet diuinam bonitatem etiam alia ipsam participare*; respond. Bifariam potest aliquid extra Deum excogitari bonum Deo. *Primò* bonitate commoditatis: & hæc excogitatio falsa est propter summam sufficientiam, quam Deus habet in se ipso. Secundo bonitate decentiæ, quâ Deum, ipsiusque bonitatẽ infinitam decet se exhibere participandam alijs, in quibus splẽdeat: & hæc consideratio verissima est: quod enim creaturæ bonitatem à Deo participent, & sic in ipsis, tanquam in particulis, & guttulis diuinæ bonitatis ipsa scintillet, diuinam bonitatem, ipsiusque miram dignationem decet. Hinc, licèt Deo necessarium non sit; dignum tamẽ Deo est velle bona creata, vt ipsi Deo, eiusdemque bonitati bona, non commoditatis bonitate; sed decentiæ. Non quidem necessariũ propter suam intrinsecam, & plenissimam sufficientiam; dignum tamen, & decens propter suam infinitam bonitatem. Decet quippè bonum alios facere bonos. Hinc ad argumentum. Potest Deus sibi bona creata diligere, quia licet ipsi non sint bona bonitate vtilitatis; benè tamẽ decentiæ.

6 At contra solutionem vrgeri poterit ex P. Molina sup. vers. *Obijcies nihilominus*, malè nos dixisse, bona creata non esse Deo bona bonitate commoditatis. Nam, quæ alicui afferunt voluptatem, & gaudium, commoda illi sunt, cum ipsa iucunditatis suauitas sit quædam cõmoditas. At bona creata, nẽpè, iustitia Sanctorum, & conuersio impiorum afferunt Deo voluptatem, & gaudium, iuxta illud Prouerb 8. *Delicia mea esse cum filijs hominũ*, quod à SS. PP. accipitur de habitatione Dei in creaturis per gratiam, donaque supernaturalia ipsis infusa: ergo bona creata sunt Deo bona bonitate commoditatis. ¶ Respondeo tamen cum ipso doctissimo Molina, id quod clarius apparebit ex his, quæ dicemus infra de actibus liberis Dei. Bona creata, quanuis de ipsis Deus gaudeat; non seruiunt Deo, tanquam ipsi afferentia voluptatem, & gaudium; sed tanquam requisita, vt gau-

gaudium (quod independentèr ab ipsis Deus intra se ipsum habet completissimum in genere voluptatis, & gaudij) terminetur ad ea bona creata. Nam, vt loco cit. dicemus, posito diuino gaudio terminato ad bona creata, nihil additur in genere gaudij, voluptatis, & suauitatis supra gaudium necessarium Dei de se ipso: Deus enim non gaudet de creaturis per additionem realem noui gaudij ad gaudium necessarium Dei; sed per additionem, quæ solâ ratione nostrâ est additio cuiusdam terminationis ad creaturas intimè imbibentis prædictum gaudiũ necessarium in omni genere gaudij non dicentis imperfectionem completissimum, quæ terminatio eâ ipsa inclusione constituitur gaudium de bonis creatis. Sed de hoc ibi. Fixum ergo maneat, Deum amare creaturas.

7 Dubium præsens est, an solas existentes; an etiam possibiles. Pro cuius intelligentiâ. Præmitto secundò creaturas possibiles alias esse, quæ non solum possunt existere; sed etiam existunt; alias, quæ purè sunt possibiles; quia licèt non repugnet, quòd existant; non tamen existũt. Deum amare creaturas existentes, exceptis peccatis, si hæc fortè creaturarum nomen mereantur, constat ex primo præmisso, quare solùm controuertendum relinquitur, an Deus amet creaturas purè possibiles, vel etiam existentes præscindẽdo ab eo, quòd fortiantur existentiam. Præmitto tertiò ex dictis tract. de Scientiâ, disput. 6. multiplicẽ excogitari posse creaturæ possibilitatem. Alia est cõtingens; & alia penitus necessaria. Possibilitas contingens est ipsa intrinseca existentia exercita creaturæ se ipsa in exercitio excludẽs creaturam in suo *esse* implicare cõtradictoria. Tam, certum autem est, Deum amare prædictam possibilitatem, quæ de creaturis duntaxat existentibus verificatur, quàm est certũ amare existentiam exercitã ipsarũ. Possibilitas necessaria creaturæ diuersimode excogitatur.

8 Nam alia vocari solet actiua, & formalis; alia passiua, & radicalis. Prior est ipsa diuina virtus productiua creaturæ. In ordine autem ad peccatum ipsa diuina potestas ipsorum permissiua. Nam citra dubium videtur eodẽ constitui creaturas potentes fieri, vel permitti à Deo, quo Deus constituitur potens ipsas facere: vel permittere. Porrò Deum amare prædictam possibilitatem tam certũ est, ac suas intrinsecas perfectiones diligere. Posterior est nõ repugnantia necessaria creaturæ: licet enim Petrus v.g. contingẽtèr existat, necessariũ tamen est ipsius intrinseca prædicata, neque formalitèr, neq; illatiuè contradictionẽ im-

plicare, in quo stat non repugnare ex terminis intrinsecis, vt metaphysici loqui solēt. Vocāt nōnulli prædictā possibilitatē *passiuam*, quia putant, inclusam esse intrinsecè in prædicatis intimis creaturæ contra quàm possibilitas actiua, quæ prorsùs est extra ea creaturæ prædicata. Vocant *radicalē*, quia primaria radix est, in qua stat, creaturam esse possilem, & ex quâ prouenit, quòd circa ipsam detur, quæ solū circa possibile dari possunt, vt virtus actiua, virtus decretiua ipsius, &c. At loquendo de possibilitate necessaria, & in sensu reali, secluſis nostris modis concipiendi, commentitia hæc esse constitit disp. cit.

9 Sed, quicquid de hoc sit, negari non potest hæc nō repugnantia necessaria creaturæ possibilis, siue sit intrinseca prædicatis ipsis intrinsecis creaturæ, vt plures volunt, qui, cum ad disputationem venitur, in omne latus citra spem quietis se vertunt, siue talibus creaturæ prædicatis sit extrinseca, vt verisimum arbitramur. Qui putant intrinsecā esse prædicatis creaturæ, dicunt, antequam creatura ad statum existentiæ exercitæ perueniat, nihil eam possibilitatem esse realitèr, & absolutè: cum ex terminis ipsis liqueat, nihil identificatum cum creatura habere esse realitèr, & absolutè, donec ipsa creatura realitèr, & absolutè suum esse habeat. Quocircà ante hanc existentiā creaturæ talis possibilitas solū habet *esse* cum his additis diminuentibus: *obiectiuè, cōditionatè, vel quasi cōditionatè.* Non enim ea possibilitas est pro tunc in se, licèt pro tunc obijcia tur menti diuinæ. Neq; pro tunc ea possibilitas est: *quòd aliquid fit*; sed præcisè, *quòd esset creatura nō inuoluendo contradictionē in se ipsa, si ipsa existeret*. Hæc tamē omnia pugnare cum necessitate talis possibilitatis intrinsecæ creaturis, nulliq; prædicato creaturis intrinseco; sed præcisè ipsis extrinseco talem necessitatem verè adscribi, quanuis oppositâ sententiâ iam prius imbuti multiplicatione terminorum rem clarissimam contra sinceritatem veritatis obscurare contendant, satis patet ex disput. cit.

10 Cæterū, qui putant, eam non-repugnātiā necessariā creaturarū esse creaturis extrinsecā, bifariam eam meditantur. Nam alij putant, eam stare in quâdam carentiâ necessaria, & æterna, & à Deo, & ab omni ente positiuo condistincta, quibus adhæret satis clarè Mag. Aluiz tract. de Volunt. disp. 6. sect. 2. n. 15. § *Primū enim*. At contra eiusmodi carentias egimus satis præcit. disp. 6. de Scientia, cap. 2. Alij autē, cū quibus ego sensū in ea disp. putāt eā non-repugnantiā necessariam stare in ipsis prædicatis necessa-

rijs

rijs Dei. Id, quod ibi latè explicui cap. 4. quia talis nō-repugnantia necessaria hominis v.g. stat in eo, quòd sit impossibile, aliquē conceptū significare hominē verè, & legitimè; & tamē ex parte hominis significare cōtradictoria formalia, vel illatiua. Hæc autē impossibilitas cōmodissimè ponitur in prædicatis Dei, quàtenus Deus est necessaria, summeque perfecta repræsentatio hominis non inueniens ex parte hominis repræsentati contradictoria formalia, vel illatiua; potius ex modo repræsentandi indistinguens ipsum à prædicatis non dicentibus contradictionē. Nam eo ipso, quòd Deus sit necessariò talis repræsentatio, necesse est, omnē cōceptū hominis tali repræsentationi dissonū, nēpe, significātē cōtradictoria ex parte hominis, nō esse verū, & legitimū; sed falsum, & spuriū: & consequentèr, eo ipso, quòd Deus sit necessariò talis repræsentatio, impossibile est, aliquem conceptū significare hominem vere, ac legitimè; & tamen ex parte hominis significare cōtradictoria formalia, vel illatiua. Quàm sit affinis hæc nostra speculatio subtilissimo Doctori Scoto vidimus eo capit. 4.

11 His positis, præmitto tertiò, Deum amare posse non-repugnantiā necessariā creaturarū; imo etiā non repugnantiā necessariam peccati, si talis nō repugnantia necessaria stet in prædictis carentijs necessarijs, & æternis. Ratio est facilis Nā omne, quod nō est turpe moraliter, & est cōducens ad fines honestos, quin in ea conducentia includatur peccatū, potest amari à Deo. Prædictæ autem carentiæ necessariæ *primò* nō sunt moraliter turpes, quia sunt necessariæ; non autem liberè ponūtur pro arbitrio peccantis, qualitèr poni est de ratione cuiuslibet moralitèr turpis. *Secundò*, tales carentiæ sunt cōducētes ad fines honestos. Nam vnionem hypostaticam, Beatissimam Virginem, reliquasque bonas creaturas non repugnare, cum sit necessarium ad existentiam istarum creaturarum, conducens citra dubium est ad omnes fines honestos, ad quos existentia talium creaturarum requiritur. Deinde, non repugnare peccata conducit ad hoc, vt Deo habeat potestatem absolutā ipsa permittendi, condonandi, si cōmittantur, & ad alia innumera. *Tertiò*, in ea conducentia non inuoluitur ipsum peccatū, quia præscindendo ab eo, quòd peccata dentur, ea non-repugnantia deseruit ad prædictas potestates permittendi, & condonandi, si committantur. Nota. Minime volumus, Deū amare posse malitiam formalē possibilem peccati; potius infra defendemus oppositum ex professo. Solùm volumus, Deū amare posse non-re-

pugnantiam necessariam peccati, si ea sit adæquatè ab ipso distincta, eidē extrinseca, & in se, vtpotè necessaria, nullam turpitudinem moralem includens.

12 Præmitto quartò, Deum necessariò amare non-repugnātiam necessariam cuiusque possibilis iuxta veram sententiam, quæ talem non repugnantiam ponit in prædicatis necessarijs Dei, vt dicebamus n. 10. quippè Deus necessariò amat prædicata diuina necessaria. His præmissis, controuersia, quæ exagitāda supereſt, ea est. Num amor diuinus terminari possit ad creaturas, vt adæquatè condistinctas à Deo, præscindēdo ab eo, quod ab statu necessario possibilitatis ad statum contingentē existentiæ traducantur? Item, an is amor sic attingat creaturas præcisiuè ab ipsarum existentia contingente, vt pure putèque habeat pro obiecto prædicata essentialia creaturis, quin ex parte obiecti se teneat, vel existentia, vel aliqualis ordo ad illam? Demum præmitto. Amor diuinus terminatus ad creaturas præscindendo ab eo, quòd actualitèr existant, neque potest esse decretū efficax creaturarum, neque gaudium de ipsarum *esse* simplicitèr. Nam eiusmodi affectus tàm absunt ab eo, quod ex modo amandi præscindant ab existentia exercitâ creaturarum pro suâ temporis differentia, vt potius ex modo amandi connectantur essentialissimè cum eâ existentiâ, vt sic exercita. Est igitur controuersia de alijs affectibus. Et quidem negare nos haudquaquam possumus, Deum habere affectum inefficacitèr procuratiuū existentiæ creaturarum quarundam, quæ nunquam existentiam nanciscuntur. Diximus enim tract. de Prædestinatione disp. 6. Deum sinceriſsimè, & ardentiſsimè quantum ex se est procurare quòd salus æterna reproborum, & conuersio impiorum existant in se ipsis, vt adæquatè condistinctis ab auxilijs tribuentibus sufficientiam, vt existant; cum tamen eius salutis, & conuersionis existentia exercita nūquam accidat reipsa. Quæ doctrina illustrior euadet ex dicendis.

CAP. II.

Autorum placita, priorque pars nostræ sententiæ.

13 DVas opiniones extremè primâ facie oppositas inuenio, quæ forsan intimè perspectæ non adeò pugnant inter se. Prima opinio est, Deum non amare creaturas possibiles. Sic Albelda 1. p. disput. 52. sect. 2. Ioannes à S. Thom. 1. p. quæst. 19. disput. 4. art. 6. Discalceatus Carmel. 1. p. tract. 4. disputatione 5. §. 4. & seqq.

seqq. Villegas controu. 9. disput. posteriore, cap. 3. Ægidius Lusit. lib. 5. de Beatitud. q. 18. art. 2. fine. Albiz de Voluntate, disp. 6. sect. 2. Pascualigus de Deo, disp. 30. sect. 2. Ex nostris P. Suar. disp. 30. met. sect. 16. n. 41. lib. 3. de Attribut. cap. 6. num. 10. & lib. 11. de Trinit. cap. 2. n. 9. apud quos autores, & apud infra citãdos stant pro hac sententiâ Alexand. Albert. Bonau. Gabr. Ferr. Capreol. Caiet. Altisiodor. Henricus, Durand. Holcot. Aliacens. Bannes, Zumel, Nauarret. Nazar. ¶ Secunda opinio est, Deũ amare creaturas possibiles. Sic P. Valentia 1. p. quæst. 14. disp. 1. punct. 7. P. Vazquez disp. 79. cap. 2. P. Herice disp. 18. cap. 1. P. Granad. contr. 3. tract. 3. disput. 3. P. Fasol. quæst. 19. art. 3. dub. 2. P. Ruiz disput. 6. de Volunt. P. Hemelm. tom. 1. tit. 7. disput. 1. cap. 2. P. Alarcon de Volunt. disput. 4. cap. 3. P. Ripalda de Volunt. disput. 7. P. Arrub. disput. 53. cap. 2. P. Fonseca tom. 3. met. lib. 7. cap. 8. quæst. 4. sect. 5. P. Torres disp. 1. dub. 2. P. Tanner. quæst. 10. de Voluntate, dub. 1. assert. 6. P. Frãcisc us de Lugo lib. 1. de Deo, disput. 35. cap. 1. num. 9. P. Ribas tract. 5. disp. 4. c. 2. P. Arriaga de Volunt. disp. 24. sect. 5. P. Amicus de Voluntate, disp. 14. sect. 2. Franciscus Fœlix de Volunt. cap. 3. diffic. 3. num. 3. Auersa quæstione 19. sect. 5. § *Dico secundo.* Melchior Fuster de Voluntate, num. 144. P. Martinon disp. 13. de Deo, sect. 2. apud quos, & supra citatos Basol. Richard. Carthus. Scotus Theodorus, Rada, Herrera, & omnes Scotistæ.

14 Dixi, propositas sententias non adeo forsan dissidere, ac primâ facie videtur, vt apparebit ex dicendis pro nostro sensu aperiendo. Affero igitur primò. Exceptis peccatis, potest Deus habere complacentiam, (quæ solet alijs terminis vocari strictus amor) circa creaturas possibiles, præscindendo ab eo, quòd transferendæ sint ad statum existentiæ exercitæ. Probatur. *Primò* ex dictis ea disput. 6. de Prædestinatione, cap. 2. Salus reproborum, impiorumque cõuersio, quæ nunquam transferuntur ad statum existẽtiæ exercitæ, amantur à Deo in seipsis, vt condistinctæ ab omnibus alijs rebus: ergo non esse transferendum obiectum ad statum existentiæ exercitæ non pugnat cum amore Dei circa ipsum. At nihil aliud excogitabile est, quod pugnet cum complacentia diuina creaturarum non inuoluentium malitiam moralem, etsi nunquam traducendæ sint ad statum existentiæ: igitur, hoc non obstante, complacentia diuina poterit ad ipsas terminari. ¶ Dices cum nouioribus Thomistis, salutem

æternam reproborum, tametsi nō sit absolutè futura; nō tamē esse purè possibilem; sed etiam conditionatè futuram, quippè verum est, quòd esset, si per ipsos reprobos non staret. Iam, licet affectus diuinus ferri nequeat in obiectum merè possibile: hoc enim sub hoc præcisè statu potest duntaxat contemplationem speculatiuam terminare; non vero notitiam practicè tractiuam ad amorem; bene tamen affectus diuinus ferri potest in obiectum conditionatè futurum. Vnde aiunt, non obstare, quominus amor diuinus terminetur ad obiectum, quòd hoc non existat de præsenti, modo existat de futuro vel absolutè, vel conditionatè.

15 Sed contra. Deus non solùm vult salutem æternam reprobòrum sub conditione, quòd non stet per ipsos; sed etiam vult, quanuis non omninò efficacitèr, quòd purificetur conditio, id est, quòd per ipsos non stet, iuxta Ezech. 18 vbi dicitur Deus nolens mortem peccatoris; sed vt conuertatur, & viuat. Id est, non vult damnationem, & mortem æternam; sed salutem, & æternam vitam, & etiam vult, quòd peccator conuertatur, idque est, non stare per ipsum consecutionem vitæ æternæ. Iam sic arguo. Qui vult, obiectum existere sub aliquâ conditione, simulque vult, conditionem existere, vult proculdubio vel explicitè, vel implicitè, tale obiectum absolutè existere. Atqui Deus vult, salutem impiorum existere sub conditione, quòd conuertantur, simulque vult, conuersionem existere: ergo vel explicitè, vel implicitè vult, salutem ipsorum absolutè existere. Ex quo sic. Existentia absoluta salutis, quæ non est in statu existentiæ absolutæ; sed in statibus possibilitatis, & futuritionis conditionatæ, potest amari à Deo amore terminato ad existentiam absolutam, vt conditionctam à puro statu possibilitatis, & futuritionis conditionatæ, proindèque cognosci notitiâ inducente practicè ad talem amorem: ergo illud *esse* creaturarum possibiliū, quod haberent absolutè, & simplicitèr, si redderentur existentes, quanuis non sit in statu sui *esse* simplicitèr conditionati à purâ possibilitate; sed præcisè sub statu possibilitatis, poterit amari à Deo amore terminato ad prædictum *esse*, vt ab omni alio conditionctum, consequentèrque cognosci notitiâ inducente practicè ad talem amorem, si aliundè non sit in ipso imperfectio, vt certè non esse, constabit ex dicendis. Firmitas huius probationis patebit amplius ex sequentibus.

16 Imò ex prædictis. Secundò, prin-

principaliter probatur nostra conclusio. Potest esse alius status, sub quo est obiectum, quando terminat diuinum amorem; & alius obiecti status, ad quem terminatur talis amor: ergo potest creatura possibilis nō esse in statu sui *esse simpliciter* constituti à Deo; sed præcisè in statu possibilitatis necessariæ indistinctæ, vt ego arbitror, à Deo, & protunc terminare diuinam complacentiam, quæ feratur ad *esse simpliciter* creaturæ constitutum à Deo. Cōsequentiam statim probaturus firmo, & explico antecedens exemplis, quæ hîc, & alibi plures æquiuocationes resecabunt. Sufficiant tria, quæ mihi rem demonstrant. Nam: *Primò*. Quando Deus habet decretum cōditionatum, quo actualiter vult, vt homines consequantur vitam æternam, si in gratia decesserint, salus æterna est in statu conditionato; decretum autem etiam fertur, quanuis modo tendendi conditionato, & restricto, ad statum existentiæ absolutæ talis salutis: cum sit indubitatum, eo decreto Deum velle, quòd ea salus absolutè existat, quanuis id decernat cum hâc restrictione: posito decessu in gratiâ. *Secundò*. Pro illo signo, quo per decretum efficax absolutum causatiuum creaturæ decernit Deus, quòd creatura tali tempore existat in se ipsâ, status, quem habet creatura, est status existentiæ radicalis in decreto: at status, ad quem terminatur decretum, est status formalis existentiæ creaturæ in se ipsâ. *Tertiò*. Quando Deus ab æterno efficaciter decernit creaturas tali tēpore physicè existere, status, quem habent ab æterno creaturæ, est æternus, intentionalis, & obiectiuus in mente Dei: at status, ad quem terminatur decretum, est status temporalis, realis, & physicus illius physicæ existentiæ, quam creaturæ incipiunt habere tali tempore.

17 Patet ergo, posse alium statum esse illum, sub quo est obiectum, quando terminat diuinum amorem; aliumque illum, ad quem terminatur talis amor. Et hoc erat antecedens argumēti nostri. Consequentiam illi antecedenti subnexā probo. Quando non existit obiectum in esse absoluto; sed in statu conditionato, quando non existit in se in suo esse formali; sed in alio in esse radicali, quando non existit in statu temporali reali, & physico; sed in statu æterno intentionali, & obiectiuo, potest affectus diuinus terminari ad esse absolutū obiecti, ad esse formale ipsius obiecti in se ipso, ad esse temporale reale, & physicum: ergo, quando creatura possibilis non existit in suo *esse* simpliciter; sed præcisè in statu possibilitatis necessariæ, poterit diuina complacētia ter-

minari ad illud *esse* simplicitèr creaturæ, quod, licet non existat simplicitèr; existeret tamen, si causaretur à Deo. Cuius rationem à priori edocti ab Angelico præceptore dabimus infra.

18 Probatur tertiò nostra conclusio. Potest Deus habere displicentiam circa peccata nunquam committenda: ergo poterit habere complacentiam circa creaturas alias possibiles nunquam traducêdas ad existêtiam actualem. Consequentia patet, cum non minus requiratur obiecti malitia ad displicentiam, quàm bonitas ad complacentiam: quapropter, si malitia peccati pure possibilis habet statum sufficientem, vt inducat practicè displicentiam, necesse est, bonitatem, vtvt illa sit, creaturæ merè possibilis habere statum sufficientem, vt inducat practicticè complacentiam. Antecedens probatur. *Primò*. Nam, vt videtur concors PP. & Fidelium mens, si committeret creatura peccata, à quibus abstinet, se opponeret volûtati diuinæ, & cõtra ipsam ageret: ergo, quia Dei voluntas aliquo resistit affectu commissioni talium peccatorum, cui affectui posset humana voluntas contrauenire, & reipsa contrauenire, si peccaret. Talis autem affectus est displicentia, fugaque inefficax à peccatis, quippè nolitioni Dei efficaci creatum arbitrium nequit resistere.

19 *Secundò*. Pro priori ad existentiam actualem peccatorum, quæ reipsa committuntur, dari potest in Deo displicentia inefficax circa ea peccata: ergo etiam circa peccata, quæ nunquam committentur. Consequentia patet. Si enim, non intellectâ existentiâ actuali peccati, potest hoc terminare displicentiam Dei, non requiritur ad hoc munus talis existentia, proindeque, quanuis nunquam detur, poterit peccatum eam displicentiam terminare. Antecedens probatur. Nam alioqui nullatenùs peccatum esse poterit contra placitum Dei, cum tamen Scriptura dicat Ecclesiastici cap. 15. *Non dixeris: per Deum abest: quæ enim odit, ne feceris.* Hierem. 44. *Nolite facere verbum abominationis huiuscemodi, quam odiui.* Sapient. 12. *Quos exhorruisti, Domine, quoniam odibilia tibi opera faciebant.* Isaiæ 65. *Feciſtis malum in oculis meis, & quæ nolui, elegiſtis.* Rursus: Arausicanum Concil. authoritate Leonis Mag. definit: *Suam voluntatem homines faciunt; non Dei, quando id faciunt, quod Deo displicet:* &, vt plurima taceam ex Patribus, sufficiat vnus pro mille meus Præceptor Angelicus in 1. dist. 46. q. vni-

vnica, artic. 4. ad 3. *Mala culpæ non fieri vult Deus voluntate antecedente; non autem voluntate consequente, nisi de illis, quos scit mala non velle facere: quia voluntas consequens recipit conditionem creaturæ.* Patet ergo, verissimũ esse peccatum esse contra placitum Dei tendens ad hoc, vt non committatur. Porro autem oppositum sequi, nempè, nõ posse peccatum committi contra placitum Dei, nisi Deus pro priori ad commissionem habeat odiũ inefficax peccati, constat. Nam peccatum eatenus committitur contra placitum Dei, quatenus committitur contra aliquod diuinum odium tendens ad hoc, vt peccatum cuiretur. At non contra diuinum odium tendens efficacitèr ad hoc, quippè diuinæ voluntati efficaci nullus potest resistere: ergo contra diuinum odium inefficax: cumque nullus contrauenìat sua operatione, nisi conatui independẽtèr ab operatione iam existente nitenti ad oppositum, planè fit, nullum peccando contrauenire posse prędicto odio, vel displicẽtiæ inefficaci, niſi talis affectus detur independentèr à commissione peccati: quod intelligo verbis illis: *Pro priori ad commissionem.*

20 *Tertiò* probatur idem antecedens. Potest Deus voluntate prohibente respicere peccata, quæ nunquam peruenient ad statum existẽtiæ: ergo etiam voluntate displicente. Antecedens patet. Nam sæpè homines abstinent à peccatis patrãdis, nõ quia ex conscientia erronea; sed ex ipsa veritate proponuntur prohibita serio à Deo sub interminatione pœnæ æternæ. Consequentia probatur. Primo: quia, vt alibi ostendam, diuina voluntas prohibens inuoluit odium diuinum circa rem prohibitam, adeo, vt licet in legislatore humano propter ipsius imperfectionẽ componi possit aliquid prohibere, & tamen non odisse; sed potius optare, quod fiat; id tamen deroget infinitæ bonitati Dei. *Secundo*, quia prohibita actio, eo ipso, quod prohibita sit, habet rationabilem titulum, vt eius executio displiceat. At peccata, quæ nunquam peruenient ad actualẽ existẽtiam, possunt esse prohibita citra omnem præteritionem, præsentiam, aut futuritionem existentiæ: ergo citra hæc omnia rationabilem habẽt titulum, vt displiceant; & consequentèr non erit, cur citra hæc omnia nõ possint terminare displicentiam diuinam. *Tertiò.* Nam ex ipsis terminis apparet notissimum, non requiri statum malitiæ magis realem, vt actiones malæ displiceant Deo, quia malæ; quam vt prohibeantur à Deo, quia malæ. At actiones illæ, quæ dicun-

dicuntur intrinsecè malæ, vt odium Dei, mendacium, &c, tametsi nunquam existituræ sunt, prohibētur à Deo, qua malæ: & ad hoc nō requiritur, eam malitiam vnquam accedere ad statū existentiæ realis; sed sufficit, intrinseca prædicata talium actionum proponi per scientiam simplicis intelligentiæ diuinæ sapiētiæ: ergo eædem actiones poterunt Deo displicere, quia malæ, & ad hoc sufficit, per scientiam simplicis intelligentiæ proponi diuinæ sapiētię prædicata intrinseca talium actionum.

21 *Quartò*. Probatur à priori nostra conclusio. Complacentia diuina circa creaturas possibiles, præscindendo ab eo, quòd transferendæ sint ad statum existentię exercitæ, duplici duntaxat titulo potest excogitari impossibilis. *Primò*: quia modus tendēdi eius affectus dicat imperfectionem. *Secundò*: quia in ea præcisione non proponuntur creaturæ mēti diuinæ modo sufficiente ad exercitium eius affectus. At is affectus neutro ex his titulis impossibilis est: ergo nullo. Maior patet. Minor quoad primā partem probatur. Quæ namque potest esse imperfectio placere Deo obiectum sibi propositum modo sufficiente, vt ipsi placeat? An quòd imperfectio sit, quod illud *esse* Deo placeat, cuius *non esse* decernit efficacitèr, quomodo decernit non esse creaturas, quæ nunquam existent? Minime profecto. Nō enim imperfectio est, obiectū aliquod, ipsius pulchritudine propositā, placere; & tamen propter alias cōuenientias, ipsius existentiam impedire. Sic salus reproborum suâ pulchritudine diuinum amorem cōciliat; & tamen ipse Deus propter inscrutabiles rationes non remouet circumstantias, quibus infallibiliter impedietur. Et sanè nullum imperfectionis vestigium in eo apparet, quòd, Deo proposita vnione hypostaticâ naturæ Angelicæ cum Spiritu Sancto, tanta pulchritudo diuinam ad se complacentiam attrahat; & tamen Deus optimis rationibus sibi notis eam vnionem producere nolit. An in eo imperfectio stat, quòd ea complacentia inefficax est, vtpotè componitur cum nō esse creaturarū, quę placent? Nequaquam sanè. Quod enim non existat obiectum Deo placens, non quidem quia Deo potestas desit ad executionem; sed quia pro sua libertate suspendit amorem, qui talem potestatem ad executionem determinet, solo contentus amore inclinante ad obiectum pulchrum, & huius existentiam non determinante simplicitèr, imperfectio sanè nō est, vt explicui disp. 6. de Prædes. cap. 2. num. 9 agens de voluntate, quâ Deus reproborum salutem, impiorumque cōuersionem procurat. Et quidē voluntas

tas procuratiua obiecti magis de se postulat existentiam illius, quã pura complacentia; & tamen illa potest esse inefficax circa obiectum absque imperfectione Dei: ergo potiori ratione pura complacentia.

22 Prima illa minor quoad secundam partem probatur. Nã pro signo scientiæ naturalis præuenientis omne decretum liberũ Dei proponitur Deo *esse* creaturarum, quanuis non propositione, per quam videat, ipsas iam existere pro sua differentia temporis; propositione tamen, quæ per modum simplicis intelligentiæ versatur circa illas, & ostendit bonitatem possibilem, quã in exercitio habebunt pro suo tempore, si decernantur a Deo. Hæc autem propositio creaturarum sufficiens est, vt Deus exerceat complacentiam simplicem circa creaturas sic propositas: quippè sufficiens est, vt Deus exerceat decretum efficax circa ipsas, vt omnibus Theologis constans est: & non est dubium, propositionem alicuius *esse* sufficientem ad excitandum decretum efficax ipsius, sufficere ad excitandam simplicem complacentiam circa ipsum *esse*, si aliunde talis complacẽtia non sit impossibilis. ¶ Confirmatur hoc primò egregijs verbis D. Thom. 1. p. q. 20. art. 2. Cum enim in secundo argumento sibi obiecisset, non posse Deũ amare creaturas secundùm *esse* proprium ipsarum, quia secundùm tale *esse* non sunt ab æterno, & amor Dei ab æterno est, his aureis verbis respondet: *Ad secundum dicendum, quòd, licet creaturæ ab æterno non fuerint, nisi in Deo; tamẽ per hoc, quòd ab æterno in Deo fuerint, ab æterno Deus cognouit res in proprijs naturis. Et eadem ratione amauit.* Tunc sic. Creaturæ non habent ab æterno suum *esse* proprium; & tamẽ, quia ab æterno cognitio diuina terminatur ad creaturarum esse proprium, quod ab æterno non habẽt, proponuntur ab æterno menti diuinæ modo sufficiente, vt voluntas diuina ab æterno terminetur ad esse proprium ipsarum: ergo, quanuis creaturæ purè possibiles, neque habeant suum *esse* præteritum, neque præsens, neque futurum, quia tamen intellectui diuino proponitur illud ipsum *esse*, quod nunquam est exercendum, poterit diuina complacentia ad illud terminari.

23 Confirmatur secundò, cõparata veritate cum bonitate paulò alitèr, ac solet comparari. (Hoc non obstante, constabit ex dicendis, quomodo nobis non officiat; sed proficiat discrimen veritatis in ordine ad intellectũ, & bonitatis in ordine ad voluntatem, quod D. Thom. infra citan-

tãdus obtulit) Veritas entitatiua rerum potest secundùm suum esse proprium terminare diuinã cognitionem, quando talis veritas entitatiua non datur in suo *esse* proprio; si tamen datur medium connexum infallibilitèr cũ eo, quòd ea veritas detur suo tẽpore secundùm *esse* proprium: ergo bonitas entitatiua rerum potest secundùm suum esse proprium terminare diuinum amorem, quando talis bonitas entitatiua non datur in suo *esse* proprio; si tamen datur in mente propositio, per quam constet, quàm conuenientèr exercebitur, si decernatur à Deo. Non enim minus est apta bonitas in cognitione, vt detur voluntatis inclinatio ad ipsam secundùm suum *esse* proprium, quàm veritas in medio connexo cum ipsâ, vt detur intellectus perceptio, quæ percipiat ipsam secundùm suum *esse*; nec minus difficilè apparet percipere secundùm suum *esse*, quod secundùm suum *esse* non est, quàm inclinari ad illam rem secundùm suum *esse*, quæ secundùm suum esse non est; potius prius difficilius apparet, quã posterius, cum potiori ratione possideatur res intellectuali perceptione ipsius, quã intellectione voluntaria ad ipsam, ideoque iuxta Thomistas consistit potius nostra beatitudo in visione beatificâ, quàm in amore. Cum igitur notum Deo sit, quàm conuenientèr exerceretur bonitas entitatiua creaturarum (quæ nunquam existent, si decerneretur à Deo, poterit ea bonitas terminare complacentiam Dei. Antec. huius discursus est certũ, maxime apud Thomistas, cum enim res futuræ nõ existant nũc in *esse* illo proprio, quod postea comparabunt; quia tamen Deus nunc habet decretum infallibilitèr cum eo cõnexum, quòd acquirant postea prædictum *esse*, ideo huiusmodi *esse* terminat ex nunc, & ex æternitate cognitionem diuinam.

CAP. III.

Obiectiones contra stabilitam assertionem.

24 OBijcitur primò. In eo statu, in quo creaturæ sunt nihil, non sunt bonæ: cum enim creaturarum bonitas sit perfectio ipsarum in suo *esse*, sanè, vbi suo *esse* sunt expertes, sunt etiã expertes bonitate. At creaturæ in statu puro possibilitatis sunt nihil: quippè creaturæ purè possibiles non existunt, idemque sunt non existere, & esse nihil: ergo in eo statu non sunt bonæ. Vbi autem bonæ non sunt, non sunt amabiles à Deo: ergo, si sistamus in statu possibilitatis, neque transeamus ad statum existentiæ, creaturæ non sunt amabiles à Deo. Confirma-

tur

tur primò. Solus Deus est essentialitèr bonus; creaturæ autem non habent imbibitam bonitatem in essentia sua: de quo pulchrè D. Thom. pluribus in locis. Videri potest 1. p. q. 6. art. 3. ibi etiã ad 1. Et q. 21. de Verit. art. 1. & 2. At creatura, præcisâ existẽtia, sumitur duntaxat secundum essentiam: ergo, præcisa existentia, non dicit bonitatem, & consequentèr, neque amabilitatem, maximè respectu Dei. Cõfirmatur idem secũdò, vt communis huius argumenti solutio reddatur difficilis. Implicat cõtradictionem, creaturas magis, & propriùs esse aliquid bonum, quàm sint aliquid. At creaturæ pure possibiles non sunt aliquid, nisi cum hac restrictione *possibiliter*: ergo non sunt aliquid bonum, nisi cum hâc restrictione *possibiliter*: ergo sicut prior restrictio præstat, quod verificetur duntaxat, posse quidem esse entia, non autem esse; ita posterior restrictio præstabit, quod verificetur tantùm, posse esse bonas; non autem esse. Cum igitur bonitas rerum sit rerum amabilitas, planè fit, creaturas purè possibiles nõ esse amabiles; sed posse esse amabiles, quatenus possunt ad existentiam venire, & consequentèr, præscindendo ab eo, quod ad illam veniant, amari nõ possunt. Notetur antè solutionem pro dicendis capit. 4. fine, hoc argumentum, vel nihil probare, vel probare, nõ posse creaturas amari â Deo, nisi vltra statum necessarium possibilitatis habeant exercitè statum alium contingentem, vel præteritionis, vel præsentiæ, vel futuritionis.

25 In primis argumentum, quantum ad formam, quâ proponitur, quicquid sit de disparitatibus ex parte materiæ, probat primò contra Thomistas, creaturas purè possibiles non cognosci à Deo: quia, sicut nõ sunt; sed esse possunt *aliquid bonum*; ideòque nõ sunt; sed esse possunt amabiles; ita non sunt; sed esse possunt *aliquid verum*, ideoque non erunt; sed esse poterũt cognoscibiles a Deo. Probat secundò contra illos, omissis alijs instantijs breuitatis causa, creaturas nõ posse ab æterno, siue cognosci, siue amari à Deo secundũ illam veritatem, & bonitatem ipsis intrinsecas, & proprias, quas habere incipiunt in tempore. Nõ eam veritatem, & bonitatem, neque habent, imò neque habere possunt ab æterno. Cum igitur, iuxta tuum modum arguendi, obiectum nequeat in aliquo statu amari secundùm bonitatẽ, quam in eo statu non habet, nequibunt creaturæ secundùm bonitatem temporalem, quam ab æterno non habent, ab æterno amari, & eadem ratione nequibunt secũdùm veritatem temporalem, quam ab æterno non ha-

habent, ab æterno cognoſci. Videantur capit. 2. plura hùc ſpectantia.

26. Solutionem ergo ex Angelico meo præceptore, quem adduxi num. 22. addiſcens. Reſpondeo, id, quod in ſimili tradidit S. Doctor, ſic rei præſenti applicans. In ſtatu, in quo creaturæ ſunt nihil, non ſunt bonæ, ſi debita proportio ſeruetur: nimirū, vbi ſunt nihil phyſicè per carentiam phyſicæ entitatis, ibi ſunt non bonæ phyſicè per carentiam phyſicæ bonitatis; vbi ſunt non ens exercitè per carentiam entitatis exercitæ, ibi ſunt non bonæ exercitè per carentiam bonitatis exercitæ; ac demum, vbi ſunt non ens intentionaliter, ſignatè, & repreſentatiuè (quę omnia eòdem recidunt) ex defectu formæ, quâ teneantur intra mētem Dei, ſignificentur, & repræſententur, ibi ſunt non bonæ intentionaliter, ſignatè, aut repræſentatiuè ex defectu eiuſdē formæ. Hæc de maiore poſitâ in obiect. Porrò creaturæ in ſtatu poſsibilitatis puro ſunt nihil (& hæc erat minor) inquam, nihil, ſeu non ens phyſicè, entitatiuè, & exercitè: quia in eo ſtatu non habent in ſe ipſis phyſicā entitatē, & exiſtentiam. At in eo puro poſsibilitatis ſtatu ſunt aliquid intentionaliter, ſignatè, ac repræſentatiuè. Nam, vt colligitur ex attactis num. 10 talis ſtatus eſt ſtatus intelligentiæ, ſignificationis, & repræſentationis in mente Dei, per quam intelligentiâ ſimplici intelligitur, ſignificatur, & repræſentatur ipſiſsimum illud eſſe proprium creaturarum, quod haberent ad exiſtentiam traductæ, non quidem repræſentatione dicente, creaturas in ſe ipſis in aliquâ differētiâ temporis exiſtere: hæc enim repræſentatio iam nō eſſet ſimplex intelligentia creaturarum; ſed viſio; repræſentatione tamē terminata ad ipſum eſſe propriū, & exiſtentiam creaturarum dicente de tali eſſe proprio, & exiſtētia veritates neceſſarias, nempè, Deum poſſe ipſum producere, non repugnare, conuenientèr exercendum, ſi decerneretur à Deo, &c. Vnde in ſtatu puro poſsibilitatis habent ſimilitèr creaturæ ſuam propriam intrinſecam bonitatem, licet nō exercitam; obiectam tamen diuinæ menti, Deique repræſentatione ſignatam, & per hoc, quòd in ſtatu poſsibilitatis propriam ſuam bonitatem intrinſecam ita ſignatam, & repræſentatā habeāt, poteſt Deus, quauis ipſæ nunquam veniant ad ſtatum exiſtētiæ illas amare per amorem terminatum ad eam propriam, & intrinſecam bonitatem ipſarū. Plenius adhuc declarabitur hoc in reſponſ. ad 2 conf.

27. Ad primam confirmationem, conceſſa maiore in ſenſu, quem diligenter explico tract. de Eſſen-

Essentiâ, & Attributis, distinguēda, vel explicanda est minor. Nā creaturæ possibiles, præcisa existentia ab statu realitatis, & exercitij physici (de qua præcisione nunc agimus) certè repræsentatiuè in mente Dei non sumuntur duntaxat secundùm essentiam; sed etiam secundùm existentiā, quidquid sit an alibi sumantur duntaxat secundùm essentiam, quod ad rem præsentem non facit: etenim ipsam existentiam realem, quam exercite non habent creaturæ purè possibiles, repræsentat diuina mēs per simplicem intelligentiam, vt sæpè diximus. Vndè ad consequens, quod infertur, dicatur: etsi creaturæ possibiles, neque præcisâ existētia; imò neque ipsâ posita, imbibant essentialitèr bonitatē, quippè quæ nunquam sunt essentialitèr bonæ; tamen ipsæ creaturæ possibiles in statu puræ possibilitatis excludentis existentiā ab statu physicæ realitatis, & exercitij habent bonitatem repræsentatiue in mente Dei, quatenus ibi repræsentatur existentia, & bonitas, quam haberent physicè, si physicè producerentur.

28 Ad secundam confirmationem respondeo, maiorem mihi esse verissimam. Deinde concedo, creaturas purè possibiles non esse aliquid, nisi cum hâc restrictione: *Possibilitèr*, vel, quod in idem apud me recidit, vt dicebam num. 10. cum hac restrictione: *Intentionalitèr, repræsentatiuè, & signatè in mente Dei.* Ex quibus quidem vnum optimè deducitur; aliud verò perperam subinfertur. Optimè quidem deducitur, eas creaturas non esse aliquid bonum, nisi cū his restrictionibus: *Possibilitèr, intentionalitèr, repræsentatiuè, & signatè in mente Dei.* Perperam autem subinfertur, non posse amari, si in eo statu sistant, & ad physicam existentiam non transeant. Nam, licèt rerum amabilitas physica, & exercita realitèr, sit rerum bonitas physica, & exercita realitèr; at amabilitas extrinseca, nempè, proxima potestas diuinæ voluntatis, vt per amorem terminetur ad eam ipsam bonitatem intrinsecā, quam in actu exercito creaturæ haberent, si producerentur, non est bonitas physica creaturarum, vt physicè existens in se ipsa; sed vt existens in repræsentatione diuina, quo pacto existit, quanuis creaturæ non transeant ad statū existentiæ exercitæ. Id, quod optimè cōfirmatur ex eo, quod, adhuc quando creaturæ decernuntur efficacitèr, sunt extrinsecè amabiles pro priori ad suam existentiam exercitam; imò pro priori ad decretum efficax, quia pro eo priori, licet in se ipsis non sint; sunt tamē in cognitione diuina sufficiēte, vt dirigatur Deus ad exercendum decretū efficax.

29 At

29 At contra noſtram ſolutionem replicabis, & obijcies ſecundò. Nam impoſsibile eſt, amorem creaturarum, quæ in puro ſtatu poſsibilitatis ſiſtunt, terminari ad exiſtentiam ipſarum, vt noſtra ſolutio contendit. Probatur: quia, cum nihil ſit volitum, quin præcognitum, impoſsibile eſt, amorem diuinũ terminari ad obiectum, quod Deus non cognoſcit. At Deus non cognoſcit exiſtentiam purè poſsibilium, id eſt, non exiſtentium: eſſet enim falſa cognitio, quę in non exiſtentibus repræſentaret exiſtentiam: ergo neque poteſt amare exiſtentiam purè poſsibilium. Reſecaui tract. de Præd. diſp. 6. cap. 4. à n. 33. ſimilem æquiuocationem, quam obijciebant doctiſsimo Gabrieli Vazquez iuniores Thomiſtæ, contra quos, & contra omnes manifeſtè retorqueri argumentum, patet ex ibi dictis num. 35. & ſimilitèr ex tract. de Scientia, diſp. 10. num. 27. & n. 32. Ex quo loco reſp. negato antecedente. Ad probationem, conceſſa maiore, diſtinguenda, & explicanda eſt minor. Verum enim eſt, Deum non cognoſcere exiſtentiã purè poſsibiliũ *per viſionẽ* eius exiſtẽtiæ. Nãea viſio dicit *obiectũ exercitè exiſtere in talitẽporis differentia*, quod nequit, niſi falsò, dici de puris poſsibilibus. Cognoſcit tamen Deus *per ſimplicem intelligentiam* exiſtentiam purè poſsibilium: hoc enim non eſt aliud, quàm propoſitâ Deo exiſtentiâ ipsâ, quam creaturæ haberent, ſi producerentur, dicere de illa, quod non repugnat, quòd conuenienter exercebitur, ſi decernatur à Deo, &c. in quo nulla penitùs apparet vel falſitatis, vel imperfectionis vmbra. Non tamen concedas, Deum in non exiſtentibus cognoſcere exiſtentiam: quia ly *in* ſonat modum tendendi compoſitiuum exiſtentiæ cum non-exiſtentia, qui modus intelligendi falſus eſt; cõcede tamen, Deum cognoſcere per ſimplicem intelligentiam illam ipſam exiſtentiam, quam creaturæ non exiſtentes haberent, ſi ſtatum non exiſtendi amitterent, idque ſufficit, iuxta dicta, vt amor Dei ad eam exiſtentiam terminetur. Vnde neganda eſt argumenti conſequentia. Recognoſcantur dicta locis citatis, necnon diſp. 8, de Scientia, cap. 1. à n. 6.

30 Obijcies tertiò. Nam ex communi mente Philoſophorũ, & Theoll. Amare eſt velle bonũ alicui. At Deus nullum bonum vult creaturis purè poſsibilibus: ergo non amat illas. Minor probatur. In vnaquaque re primum, & aliorum bonorum fundamentum eſt exiſtentia: deindeque reliqua bona ſuperadduntur exiſtentiæ. At Deus, neque exiſtentiam, neque aliquid

quid existentiæ superadditum vult creaturis purè possibilibus: ergo nullum bonum ipsis vult. Confirmatur primò. Nam inter amorem diuinum, & amorem creatum hoc discrimen est, quod diuinus dat bonitatem, quam amat; creatus eam supponit. At amor diuinus nihil dat creaturis purè possibilibus; sed eas relinquit in statu sui nihili: ergo non amat illas. Confirmatur secundò. Deus efficacitèr decernit non existere creaturas purè possibiles: ergo, cum existentia vniuscuiusque rei sit primarium, & fundamentale bonum ipsius, cui cætera superueniunt, consequēs est, Deum efficaciter voluntate suâ impedientem existentiam talium creaturarum impedire ipsis omne bonum: quomodo igitur ipsas amat, quomodo ipsis bonum vult? Nota pro assertione statuenda capit. 4. hoc argumentum probare, non posse Deum amare creaturas, quin habeant aliquando existentiam in exercitio.

31 Ad argumentum respondeo, distinctione, & explicatione maioris. Amare est velle alicui bonum: velle, inquam, vel practicè procuratiuè sollicitando boni consecutionem; vel placendo simplicitèr, & quasi purè speculatiuè circa bonum: nō tamen amare est præcisè primo modo velle bonum: quando enim phantasia topacia pulcherrima intra animum depingit, ea tibi pulchritudo placet, quam proinde aliquo genere affectus amas. Non tamen adeò deliras, vt eam practicè procures ad existentiā trahere; ea verò pulchritudo, cuius existentia, neque in re exercetur, neque vt exercēda procuratur; sed intra puram tuā speculationem posita est, tibi quidem placet, quod voco eam ipsi velle affectu placendi; non procurandi. (Si autem nimis de vocibus contendens recuses hoc vocare velle *alicui* bonum, dicito hunc affectum, cuius, vtcunque vocetur, negari nequit possibilitas, esse affectum absolutum boni in eo sistendo, non respectiuum ad aliquem, *cui* ametur, & quando dicitur amare esse velle alicui bonum, sermonem esse de affectibus, quibus ex complacentia circa finem, *cui* amatur finis *qui*) Tametsi autem Deus nullum bonum velit creaturis purè possibilibus affectu, quo tale bonum ipsis efficacitèr procuret, ipsas tamen amat, quatenus placet Deo ipsa pulchritudo, quæ Deo proponitur, existentiæ, quam haberent, si producerentur. Vnde bonum, quod Deus vult, non quidem efficacitèr, sed complacentiâ simplici, quando creaturas purè possibiles amat, est ipsum bonū existētiæ, vt iam dixi, & vlterius probo cap. 4.

32 Ad primam confirmationem respondeo, discrimen illud intelligendum esse, quatenus increatus amor creati obiecti semper cõiungitur cum vi effectrice obiecti, & cum executione reali obiecti, si prædictus amor sit quoad affectum efficax; amor autem creatus obiecti, etiã creati, neque semper coniungitur cum vi effectrice ipsius, & sæpè, quanuis sit quoad affectum efficax, impeditur defectu potestatis ab executione reali obiecti. Cum quibus tamen constat, Deum habere circa creaturas purè possibiles affectum inefficacem, & simplicem, per quem Deo placeat ipsarum bonitas; nec tamen à Deo producatur. ¶ Ad secundam confirmationem respondeo. Non stat cum eo, quòd Deus efficacitèr velit non-existentiam creaturæ, velle efficacitèr ipsius existẽtiam; benè tamẽ complacere circa hanc ipsam existentiam, cuius reale exercitium efficacitèr reijcit, vt explicui num. 21.

33 At vrgebis, inde sequi non esse Deo penitùs voluntariam non-existẽtiam eorum, quæ decernit nõ existere. Nam qui decernit aliquod obiectum simul cum affectu ad oppositum, inuoluntariè, saltẽ secundũ quid, ponit illud obiectum. Sic mercator, qui fugiens naufragium proijcit merces, aliquatenus inuoluntarie proijcit propter affectũ retentionis, quem simul habet resistentem proiectioni. Si igitur Deus ita decernit non-existẽtiam creaturæ, vt simul habeat aliquem affectũ circa eiusdem creaturæ existentiam, planè fit, Deo decernenti non-existentiã esse aliquo modo inuoluntariã eam non-existentiam. ¶ In primis Deum nonnulla præstare inuoluntariè secundùm quid non est inconueniens. Nam de vindicta, quam ab impijs sumit, dicitur Isaiæ 1. 24. *Heu vindicabor de inimicis meis.* Et, vt ait Bernard. sermone 5. in natali Domini. *Nã, quod iudicat, & condemnat nos eũ quodãm modo cogimus.* Deinde respondeo. Vel illa complacentia simplex circa existẽtiam rei, cuius non existentiam Deus efficacitèr decernit; est libera, vel necessaria? (De hoc dicam disp. 13.) Si libera: Deus efficacitèr decernens eam non-existentiam poterit talem complacentiam suspendere: & sic talis non existentia erit Deo prorsùs voluntaria citra omnem mixtionem inuoluntarij. Quòd si tunc Deus exerceat eam complacentiam pro sua libertate, ita non-existẽtiam decernet, vt velit pro suo nutu eam non-existentiam esse ipsi Deo secundùm quid inuolũtariam: in quo nullam imperfectionem video. Si sit necessaria. Tunc dicendum erit, cum Deus sit adeò bonus, vt naturalis, ac necessaria ipsi sit aliqua complacentia

centia circa bonũ, ad perfectionem ipsius Dei spectare tam bonum esse, vt nullum bonum impedire possit, quin aliquomodo afficiatur erga ipsam bonitatem, quam impedit, & consequentèr cum aliqua mixtione inuoluntarij.

CAP. IIII.

Secunda nostræ sententiæ pars.

34 HActenus secutus sum ferè omnes authores nostræ Societatis. Vt tamen sequar D. Thomam, secunda nostra conclusio sit. Nequit Deus amare creaturas possibiles, præscindendo ex parte obiecti amati ab existentia ipsarũ. Explicatur cõclusio, ne sit labor in æquiuoco. Potest quidem Deus amare creaturas possibiles, nõ data, neque vnquam in re dandâ ipsarũ existentiâ: & hæc est prima nostra conclusio hactenus stabilita. Non tamen potest Deus amare creaturas possibiles, vt ab ipso Deo condistinctas, in quo sensu procedit disputatio, non terminante hunc amorẽ ipsâmet existentiâ, quam creaturæ in se ipsis haberent, si producerẽtur à Deo: & hæc est nostra secunda cõclusio deinceps firmanda. Hoc est, quod D. Th. vult pluribus in locis. Sufficiant verba illa ex 1. p. q. 19. art. 3. ad 6. *Voluntas comparatur ad res secundũ quod sunt in se ipsis.* Itẽ q. 19. art. 6. ad 2. *Actus virtutis appetitiuæ est ordinatus ad res secũdum quod in se ipsis sunt.* Ex hoc limpidissimo fonte hauriens eximius Doctor P. Suar. dixit in loco sup. cit. ex metaph. *Amor autem non est sine ordine ad actuale esse*: licet, vt verum fatear, præclarus hic Doctor videatur prioris nostræ assertionis aduersarius.

35 Probatur assertio nostra, supponendo ex metaph. entitatẽ creaturarum, quam ipsæ re ipsa exercerent in se, si producerentur à Deo, esse omnino idem re ipsa, & consequentèr ratione diuina, cum existentia, quam in eo casu haberent. Vnde sic. *Primò.* Nequit Deus amare creaturas possibiles, vt ab ipso Deo condistinctas, non terminante talem amorem entitate creaturarum, vt à Deo condistinctâ. At entitas creaturarum, vt à Deo condistincta, neque re ipsa, neque obiectiuè in mente Dei distincta est ab existentia, quam ipsæ creaturæ haberent, si producerentur à Deo: ergo nequit Deus amare creaturas possibiles, non terminante talem amorem prædicta existentia. Consequentia est euidens. Minorem supponimus, vt verissimam ex metaph. Maior ex ipsis terminis manifesta est.

¶ Confirmatur. Creatura possibilis, vt condistincta à Deo, vel amatur tanquam bonum, *quod* amatur alteri; vel tãquam subiectum, *cui* perverum amore mdi-

lecto bonum aliud amatur; vel tanquam obiectum, non respectiuè ad aliud; sed absolutè propter se placens. Primum est, ipsum *esse* intrinsecū creaturæ amatū, amari alteri ex huius alterius complacentia. Secundum est, vt amplius constabit ex dicendis n. 36. placente ipsomet *esse* intrinseco creaturæ, ipsi aliud bonum velle, quia bonum ipsi est. Tertiū est, ipsum *esse* intrinsecum creaturarū placere propter pulchritudinem in ipso splēdentē: quolibet autem ex his modis amorē terminat ipsum *esse* intrinsecum creaturarum, quod non est aliud ab existentia, quam haberent, si producerentur: ergo nullo modo potest Deus amare creaturas possibiles, vt ab ipso Deo condistinctas, non terminante talem amorem ipsomet *esse* intrinseco creaturarum, quod aliud ab existentia prædicta non est.

36 Probatur secundò. Ad hoc, vt obiectum ametur, non sufficit velle aliqua bona extrinseca ipsius, quanuis ea amentur propter illam formalitatem intrinsecam, per quam constituuntur in ratione bonorum illius. Quamobrem, si superiori, a quo ingētia mala accepisti, qui proinde nulla ratione tibi placet; sed omnino displicet, debitum cultū exhibeas propter honestatem ipsum obseruandi, certe nullatenus ipsum amas; sed purè obseruas, quia, etsi cultus in ratione cultus eius hominis sit ipsi bonus; non tamen eum exhibes ipsi tibi placenti, & ex complacentia in ipso; sed eo potius omni ratione tibi displicente; vt igitur obiectū ametur, vlteriùs requiritur, quod ipsius *esse* intrinsecum placeat: ergo implicat, creaturas possibiles amari, & non placere, terminareque amorem ipsarum *esse* intrinsecum. ¶ Confirmatur. Vel enim prædicta cōplacentia terminatur tanquam ad obiectum amatum ad possibilitatem extrinsecam ipsarum præcisè sumptam, vel identificatam cum omnipotentia, prædicatisque diuinis necessarijs, vel identificatam cum aliquo alio distincto prorsus ab entitate creaturarum? Et sic non amantur creaturæ, vt condistinctæ a Deo; sed præcisè aliquid aliud extrinsecum à creaturis distinctum. Vel prædicta complacentia terminatur ad possibilitatem intrinsecam creaturarum, quam nec ipsa rei veritas, neque diuina ratio distinguit ab *esse* intrinseco creaturarum? & sic obiectum amatum per talem complacentiam est, vt intendimus, ipsum *esse* intrinsecū creaturarum, quod aliud non est ab existētia, quam haberent, si producerentur.

37 Contra nostram conclusionem nihil momenti reperio, quod possit opponi. Nam ea, quibus probatur Deum amare posse

posse creaturarum posibilitate.n non amando ipsarum existentiam, vel loquuntur de possibilitate extrinsecâ, vel de intrinsecâ identificatâ cum ipsâ entitate creaturarum? Si hoc vltimum implicâtur termini dum dicitur amare Deum posibilitatem eam intrinsecam, & non existentiam. Neque enim diuina mens vllatenus distinguit vnum ab alio, prout opus erat ad hoc, vt diuina voluntas amaret vnum, & non aliud, Si primum. Benè quidem. At ea ratione amabitur præcisè aliquid adequatè condistinctum à creaturis; nõ autem istę, vt constinctæ ab omni alio. Sed opponunt docti Magistri. *Primò*. Sufficit ad hoc, vt aliquem amemus, quod vèlimus ipsi bonum aliquod quanuis omnino extrinsecum: sic censemur hominem amare, cui volumus bonam famam, tametsi quid sit omnino èxtrinsecum: ergo quãuis Deus non amet intrinsecum esse creaturarum posibilium, reuera ipsas amabit, eo præcisè, quòd velit posibilitatem extrinsecam ipsarum. Secundò, quia præscindendo ab existentia amandâ creaturis posibilibus, potest Deus illis velle bonum posibilitatis intrinsecæ. Cur enim gaudere non posit, quòd intrinsecè non repugnent, neque misceant prædicata contradictoria? Ergo ad amorem ipsarum non requiritur amare intrinsecam existentiam earundem.

38 Ad primum respondeo. Non sufficit ad amandum aliquem velle illi bonum extrinsecum, nisi ex complacentia in ipsius *esse* intrinseco identificato cum intrinseca existentia, vt constat ex num. 36. Ad secundum, nego antecedens, quia non repugnantia intrinseca creaturarum, neque re, neque ratione diuina distinguitur ab earum existentia, cum tamen altera saltem ex prædictis distinctionibus requiratur, vt amor diuinus ad aliam, præscindendo ab alia terminetur. Ad probationem respondeo, in illâ æquiuocationem latere. Nam Deum gaudere, quòd creaturæ non repugnent *intrinsecè*, & *intrinsecè* nõ misceant prædicata contradictoria stat dupliciter *Primò* pro eodem, ac gaudere de eo, quòd detur intrinseca non repugnantia creaturarum, & intrinseca exclusio, per quam ipsæ intrinsecè excludunt contradictoriorum mixtionem: & hoc non est aliud, quam gaudere, quòd ipsarum existentia detur in se exercens excludere talia prædicata, qui affectus ante existentiam creaturarum non datur. *Secundò* pro eodem, ac gaudere, quòd *intrinseca* creaturarum ab extrinseco sint non repugnantia, id est, signatè, obiectiuè, & intentionalitèr: &

de hoc potest optimè gaudere Deus ante existentiam creaturarum; id tamen aliud non est, quàm Deum gaudere de illis prædicatis diuinis, quæ necessariò; extrinsecè tamen constituunt non repugnantia prædicata intrinseca creaturarum. Et nisi hæc ipsa prædicata diuina amentur ex complacentia in *esse* intrinseco creaturarum, talis amor non euadet amor ipsarum; Quod si recursus fiat ad amorem, quo Deus hoc modo conditionato velit: *Volo, vt si existat Petrus, existat sine cõtradictione*, quod in Deo prorsus identificante mentalitèr conditionem cum conditionato perinde erit, ac dicere: *Volo, vt existat Petrus, si existat.* Primò per hunc affectum, si daretur, renderet Deus, quanuis modo conditionato, ad intrinsecum *esse* Petri. Secundò. Talis modus amandi adeò nugatorius est, vt cuipiam sit indignus, & consequentèr impossibilis Deo.

39 Ex dictis intelligi potest D. Thom. non semel assignans discrimen inter intellectum, & voluntatem diuinam, vt illi sufficiat ad intelligendum creaturas cognoscere esse diuinum, in quo ipsæ sunt, vel eminentèr, vel repræsentatiuè, &c. voluntati autem non sufficiat ad amandum ipsas, inclinari ad esse diuinum, in quo creaturæ prædictis modis sunt; sed oporteat inclinari ad *esse* proprium, formale, & intrinsecum ipsarum: quia nimirum intellectus per intellectionem percipit obiectum, & ad intellectum trahit; voluntas autem per amorem fertur ad obiectum amatum. Hoc sanè non ita intelligendum est, quasi Deus intellectione, quâ præcisè intelligat diuinum *esse*, intelligat etiam creaturas; amore tamen, quo præcisè velit diuinum *esse*, non amet creaturas: quanuis enim quoad posteriorem partem hoc sit verissimum; quoad priorem tamen falsum, & implicatorium est. Sensus ergo, ni fallor, est iste * Deum nullum aliud *esse* videre, quàm *esse* diuinum est eo ipso percipere etiam creaturas, quanuis non visione; simplici tamen intelligentia. At verò Deũ amare diuinum *esse* non est eo ipso formalitèr aliqua vera ratione percipere creaturas. *

40 Prioris ratio est. Nam Deum videre suum *esse* est Deum videre posse se producere creaturas, & hoc est cognoscere creaturas posse produci à Deo: cum igitur hoc sit formalissimè creaturas versari in mente Dei, & intelligere sit trahere obiectum ad mentem intelligentis, planè fit, Deum videre *esse* diuinum, formalissimè esse creaturas intelligere, quanuis non intellectione, quæ sit visio ipsarum, vt existentium; benè tamen

men, quæ sit simplex earum intelligentia. Ratio posterioris est. Quia Deum amare diuinum *esse*, etiam quatenus est *esse* eminentiale creaturarum, non est aliud, quàm ex cognitione talis *esse* formalis diuini, & eminentialis creaturarū inclinari ad ipsum per modū pōderis, quod versus ipsum fertur: sic autem inclinari ad *esse* eminentiale creaturarum, quanuis hoc *esse* sit respectiuum relatione reali, vel rationis ad *esse* formale creaturarum, non dicit formalitèr inclinari ad *esse* formale creaturarum, quia benè stat inclinari ad *esse* respectiuum ad aliud citra omnem inclinationem ad hoc aliud; potiusque cum fuga ab ipso. Nam contritio peccati commissi, punitioque ipsius dicunt respectum ad peccatum, benèque stat inclinari ad contritionem, punitionemque peccati citra omnem inclinationem ad peccatum, & cum fuga ab ipso. Cum igitur amare obiectum sit ex cognitione bonitatis apparentis in ipso inclinari ad ipsum *esse* formale illius, per modum ponderis, quod versus eiusmodi *esse* feratur, cōsequens est, non esse formaliter idem, Deum amare suum *esse* diuinum formale, quod simul est esse eminentiale creaturarū; & amare creaturas.

CAP. V.

An Deus amet, vel amare possit malitiam formalem peccati possibilis?

41 CItra dubium esse debet, amare Deū possibilitates extrinsecas malitiæ formalis peccati cum prædicatis diuinis necessarijs identificatas, nempè, diuinam potestatē permissiuam eius malitiæ, diuinam repræsentationem necessariam non inuenientem permixtionē contradictoriorū in prædicatis eius malitiæ: quippè certissimū est, Deum amare sua prædicata diuina necessaria. Quocirca solùm potest dubitandum relinqui, an amor diuinus terminari possit ad ipsam intrinsecam essentiam malitiæ formalis possibilis? Pro parte affirmante citari solet P. Herice 1. p. disput. 18. cap. 1. num. 9. ibi tamen, non quidem malitiam moralem formalem; sed entitatem physicam actus praui ait terminare complacentiam Dei. Pro eâdem parte citant RR. P. Ripal. Cæterum perdoctus iste, & ingeniosus author in manuscriptis de Voluntate Dei, disput 7. num. 7. vbi rem tractat, nō affirmat; sed potiùs omnino negat, prædicata essentialia peccati Deo placere; Deum tamen, ait, complacere in possibilitate formali peccati,

non quia prædicata essentialia peccati placent; sed quia, suppositâ non repugnantia illorum, placet Deo, & ab ipso, vt à causa prima permissibilem esse malitiam peccati; & ab ipsius misericordia cõdonabilem: quemadmodum Deo displicente in peccato existente, complacet, quòd tale peccatum terminare possit peccatoris retractationẽ, humilitatem, & dolorem. Hæc dixerim, ne doctissimo viro per iniuriam imputetur ea sententia: quanuis non ignorem difficultèr conciliari cum ipsius principijs: quam tamen difficultatem forsan ipse fœlicitèr de suo more superaret, si proposita illi fuisset.

42 Hæc, inquam, doctrina difficilis est in principijs huius authoris. Nam primo sentit, Deum non esse præcisè in suis intrinsecis *absolutè* permissiuum, & condonatiuum malitiæ; sed in ratione talis constitui partim ex suis intrinsecis; & partim ex ipsius malitiæ non repugnantia Deo extrinsecâ. Secundò sentit, eiusmodi non-repugnantiam haudquaquam esse quid distinctum à prædicatis essentialibus malitiæ; sed quid prorsus idem cum ipsis. Ex quibus quisque iam videt, quàm in his principijs difficile sit Deum cõplacere in absolutâ, & formali potestate permittendi, & cõdonandi malitiam; & tamen eam complacentiam non terminari ad prædicata essentialia talis malitiæ. ¶ At quicquid de hoc sit parti affirmanti fauere aliquatenus videtur grauissimus, & eruditissimus Didacus Ruiz, qui solus ad præclarum ornamẽtum nostri sæculi sufficeret. Etenim disp. 26. de Volunt. quãuis asserat, multisque probet, Deum absolutè, & simplicitèr non posse amare peccatũ, quoad malitiam moralem; subdit tamen sect. 5. posse Deum ex suppositione, quod sit peccatum, velle, vt habeat eam essentiam, & passiones, quas habet, nempè dissonum esse rationi, non esse ens, sed priuationem entis; non posse esse, Deo authore, quoad malitiam moralem.

43 Mihi tamen semper cordi fuit opposita sententia, quæ ait, Deo nullo prorsus modo placere malitiam moralem formalem peccati secundùm ipsius malitiæ prædicata essentialia ab alio quolibet condistincta. Quam sententiam præ cæteris authoribus diligentius illustrant P. Hemelm. volum. 1. tit. 7. disput. 2. testans, vno, vel altero Recentiore dempto, nullum authorem tenuisse contrarium. Melchior Fuster. de Volunt. à n. 148. P. Martinon supra num. 31. putans contrarium pugnare cum fide catholicâ crebro conclamante peccatores, & peccata, impios, & impietatem

tem exosa esse Deo. Legatur Abacuc. 1. Psalm. 5. Prouerb. 15. & alibi sæpè. Nullus sanè esset, vt credo, qui nostræ sententiæ aduersaretur, si pntaret nonnulla argumenta, quæ contra ipsam militant posse expeditè dissolui. Hoc tamen pro nostra tenuitate præstare studebimꝰ. Porro cõtra Ruiz facit, quod dicebã n. 38. fin.

44 Nostra conclusio probatur. Primò ab absurdo. Nam ex opposita sententia sequeretur, creaturam formalissimè quatenùs peccantem ponere in rerum natura obiectum Deo placens: quod satis absonum videtur. Sequela probatur: quia formalissimè quatenus peccans ponit in rerum natura malitiam moralem. Malitia autem moralis, quã ponit est coniunctum ex essentia, & existentia malitiæ, in quo inuoluitur essentia malitiæ, vt ab existentia condistincta, quæ per se est obiectum Deo placens. Et quidem cum peccare sit formalissime reddere existentem malitiam; reddereque existentẽ malitiam sit præstare, quod essentia malitiæ existat, quæ malitiæ essentia placens est Deo, patet peccantem formalissimè, vt peccãtem præstare aliquid Deo placens. ¶ *Secundo* probatur à priori ex principijs mihi verisimis in metaph. Deus amare nequit existentiam actualem malitiæ moralis formalis: ergo neque essentiam possibilem ipsius, vt à Deo, & à quolibet alio condistinctam. Antecedens catholicè concedũt aduersarij. Consequentia probatur. Essentia possibilis malitiæ moralis formalis, vt à Deo, & à quolibet alio cõdistincta, neque reipsa, neque in mẽte diuina distinguitur ab actuali existentia malitiæ moralis formalis, vt pono ex metaph. Si ergò Deus hãc existentiam amare nequit, neque illam essentiam amare poterit.

45 *Tertiò*. Nequit Deus amare essentiam possibilem malitiæ formalis moralis, siue per amorem strictum, siue per desideriũ, siue per intentionem, siue per decretum efficax executiuum, siue per gaudium: ergo nullo modo. Non per amorem strictum. Nã amor strictus ex modo, quo inclinat voluntatem ad obiectum coniunctus cum visione obiecti, vt existentis, & præsentis, impellit voluntatem ad gaudium de obiecto, vt existente, & præsenti. At nullus affectus diuinus simul cum visione Dei de essentia malitiæ formalis, vt existente; & præsente, habet vim impellendi Deum ad affectum turpem, cuiusmodi est gaudium de malitia, vt existente, & præsente: ergo nullus affectus diuinus est amor strictus circa essentiam malitiæ formalis. Reliquæ omnes partes antecedẽtis facilè probantur. Nam desiderium est affectus voluntatis

expe-

expetentis præsentiam obiecti mixtus cum displicentiâ de absentiâ. Intentio est affectus voluntatis procurantis per media consequi existentiam obiecti intenti. Decretum efficax executiuum est affectus voluntatis statuentis existentiam obiecti determinans potentiam executricem ad executionem: ergo omnes isti affectus inclinant amantem ad hoc, vt existat essentia malitiæ formalis. Cum igitur nullus affectus optimam Dei voluntatem ad hoc turpe monstrū inclinet, patet nullum ex his, affectibus esse in Deo.

46 Iam in Deo non esse gaudium de essentiâ malitiæ formalis peccati probatur similiter. Gaudium est affectus voluntatis suauiter in eo quiescentis, & lætantis, quòd existat obiectum. At Deus non in eo quiescit, & lætatur, quòd existat essentia formalis malitiæ: hoc enim est formalissimè peccatum, vt peccatum, existere, quod non est obiectum gaudij voluntatis rectissimæ: ergo Deus non gaudet de essentiâ malitiæ formalis peccati. Confirmatur, & explicatur. Vel prædictum gaudium circa essentiâ malitiæ est absolutum, vel conditionatum? Si conditionatum, nempè hoc modo: *Gaudeo, quòd hæc essentia, si existeret, existeret cum talibus prædicatis*, certè, vt dicebam num. 38. cùm re, & ratione diuina idem sint hanc essentiam existere, & eam existere cum talibus prædicatis, hanc naturā sortietur eiusmodi gaudium: *Gaudeo, quòd existeret hæc essentia, si existeret hæc essentia.* Quis autem non videat, talem affectum esse nugatorium, nobisque indignum, nedum Deo? Si autem prædictum gaudium est absolutum, de aliquo erit obiecto, vt absolutè existente. Si hoc obiectum non sit ipsa essentia malitiæ, nō est ad rem: quippè disputamus de affectu circa hanc essentiam, vt ab omni alio condistinctam. Si est ipsa essentia malitiæ, duplicitèr implicabis. *Primò*, quia concedis, Deum delectari in eo, quòd absolutè existat malitia. *Secundò*, quia loquēdo de malitia possibili, præscindendo ab exercitio existendi absolutè, ais, Deum in illa, vt absolutè existētē, gaudere. Mittamus alia, quæ forsan eluderentur ab aduersarijs dicentibus habere quidem vim contra amorem terminatum ad existentiam peccati; non verò contra terminatum ad essentiam; & non ad existentiam.

CAP. VI.

Soluuntur obiectiones contra nostram assertionem.

47 TAmetsi nostrum assertum sit verissimū, obiectiones primo aspectu difficiles

les contra ipsum exurgunt. Ducuntur ex duplici capite. Aliæ directè probant, non posse Deum odio habere peccatum possibile contra dicta num. 18. & seqq. Aliæ, Deum posse tale peccatum amare. Ex primo capite objicies primò. Si peccatum possibile posset terminare diuinum odium, posset etiam ratione illius terminare odium Dei subiectū, cui tale peccatum est possibile: quemadmodum, quia peccatū existens potest terminare odiū, potest creatura, ratione peccati existentis in ipsâ, diuinum odiū terminare. Consequens autem est absurdum. Nam alioquin cæteri beati, & cum ipsis Beatissima Virgo, quantumuis procul positi à peccatis existentibus, possent diuinum odium terminare, quia ipsorum peccata non repugnāt essentialitèr: ergo peccatum possibile terminare nequit diuinum odium. Respōdeo negando sequelam. Ad probationem respondeo, creaturam posse terminare diuinum odiū ratione peccati existentis in ipsa, non præcisè, quia peccatum existens potest terminare odium Dei; sed quia etiam tale peccatum est non solùm in statu idoneo, vt ipsum peccatum terminet odium; sed etiam in statu apto, vt subiectum, quod inficit, habeatur odio ratione ipsius. At peccatum pure possibile, licèt sit in statu sufficiente ad hoc, vt ipsum displiceat; non tamen sufficiente ad hoc, vt ratione ipsius odio habeatur subiectum, cui possibile est. Explicatur.

48 Peccatum, tametsi purè possibile, apparet tamen in mēte diuina per iudicium, quo Deo constat, non esse aliud tale peccatum, quàm actum rectæ rationi dissonum: eo autem ipso, quòd peccatum sic appareat in mente diuina, quanuis neque de præsenti existat, neque vnquam extiturum sit, datur peccatum in statu sufficiente, vt voluntas diuina sic versetur circa ipsum; *Mihi displicet, quòd existat hoc obiectum*, vt patet ex cap. 2. Et quidem, quis dubitet, hominem sanctissimum, quem pono non peccare mortalitèr, neque peccasse, neque vnquam peccaturū, ac de cætero cognoscentem hoc modo: *Non est aliud peccare mortalitèr, quàm proprio arbitrio fieri inimicum Dei*, ita sibi peccatum habere obiectum, vt possit se exercere sic circa ipsum: *Exhorreo tanti mali existētiam*. Hinc, præscindendo ab eo, quòd peccatū sit extiturum, potest Deus habere displicentiam, tùm per quā odio habeat, quòd peccatum existat, tum per quam oderit, quod peccatum afficiat, & inficiat creaturam, tum etiam per quod abominetur, quòd existat complexum ex creatura, & peccato. Cæterum, secluſa omni existentia reali, & exercita peccati,

ti, quanuis status peccati sit sufficiens ad prædictas displicentias excitandas; nõ tamen habet sufficientem statum ad hoc, vt ratione ipsius peccati possit Deus odio habere entitatem creaturæ, cui possibile est. ¶ Cuius ratio est, Quia tale odium suapte naturâ habet hunc modum tendendi: *Mihi displicet hæc creatura, quia peccato turpata est.* At seclusâ omni existentia reali peccati, & inexistētiâ ipsius in creaturâ, neque peccatum præstat creaturam contagione peccati deturpari, neque Deo apparet creaturam esse contaminatam peccato; sed contaminabilem, & consequenter non datur status peccati sufficiens, vt exerceat Deus displicentiam prædicto modo Deum auertentem à creaturâ, quanuis detur sufficiẽs peccati status ad alias displicentias expositas.

49 Obijcitur secundò. Deus non habet odio stricto, & rigoroso, quod non est malum morale. At peccatũ possibile præscindendo ab eo, quòd veniat ad existentiam contingentem, non est malum morale: ergo Deus in hac præcisione non habet odio stricto, & rigoroso peccatum. Cõsequentia patet. Maior videtur vera, quia licet Deus efficaciter nolit plura, quæ non sunt mala moralia: sic enim efficaciter reijcit existentiam alterius mundi, creaturas non existẽtes, actus studiosos, quos creaturæ non existentes, si existerent, elicerent, vnionem hypostaticam cum Spiritu Sancto, certum tamen est Deum non auersari hæc obiecta odio stricto, & rigoroso: quia hoc odium, vt notabamus disp. 9. num. 22. certam dicit auersionem Dei ab obiecto, quod sua speciali turpitudine diuinæ bonitati opposita prouocat eam auersionem. Eiusmodi autem auersio datur dũtaxat circa malum morale, cuius amor positiue dedecet diuinam bonitatem: non enim habet auersionem circa alia; sed magis, vel minus ad ea conuertitur pro maiori, vel minori dignitate ipsorum. Minor probatur. Nam, ibi solum est malitia moralis vbi est libertas, & contingentia. At in peccato possibili præscindendo ab eo, quod veniat ad existentiam, non est libertas, & contingentia: quãuis enim peccatum contingentiam habeat, quoad statum existentiæ, quippe quod potest existere, & non existere; non tamẽ habet contingentiam, quoad statum possibilitatis, quippè quod nequit esse, & non esse possibile: ergo peccatum possibile non est malum morale in ea præscissione.

50 Respondeo. Ad hoc, vt obiectum terminet prædictum odium rigorosum Dei sufficit esse malum moralitèr, vel exercitè in se ipso; vel signatè, ac re-

præsẽ-

præsentatiuè in mente Dei. Dum enim *mendacium repræsentari* à Deo non est aliud aliis terminis expressioribus, quam *tale malũ morale veracitati loquentis dissonum repræsentari à Deo*, sufficit, vt Deus repræsentatione mendacij instructus auersionem circa ipsum concipiat. Peccatum autem possibile in præcisione ab existentiâ, vt realitèr exercitâ, quanuis non sit exercitè in se ipso malum morale; tamen signatè in repræsentatione diuina est malum morale contingens, & liberum, proindèque potest prædictum odium Dei terminare. Ad probationem autem minoris terminis illis *exercitè, & signatè* distinguendæ, dicendum est, eâ proportione, qua est alicubi malitia moralis, ibi esse cõtingentiam, & libertatem, nimirum, si aliquid sit malum morale exercitè, erit exercitè liberũ, & contingens; si autem sit malũ morale signatè, erit signatè liberum, & contingens: quia ergo peccatum possibile in eâ præcisione existentiæ, vt realitèr exercitæ, est malum morale signatè, & repræsentatiuè in mente Dei; ideo tunc liberum est, & contingens signatè, & repræsentatiuè in mente Dei.

51 Vbi pro æquiuocationibus, quæ in his rebus frequentèr emergunt, radicitus conuellendis. Noto primo. Aliud est status, *in quo* peccatum possibile est *signatè* malum morale, liberum, & contingens. Aliud, *quod* in eo statu est signatè malum morale liberum, & contingens. Ipsum peccatũ, quod existeret, si creatum arbitrium se determinaret ad ipsum, est *quod* in eo statu est malum morale, liberum, & cõtingens, quia est obiectum, quod repræsentari, & significari à Deo est repræsentari, & significari aliquod, cuius existentia datâ, libertas, & contingentia in ipso clauderentur. Status autẽ, *in quo* peccatum possibile est signitatè malum morale, est status necessarius possibilitatis, vel, quod eòdem apud me recidit, status repræsentationis diuinæ necessariæ, cui vt obiectum correspondet ipsum esse peccati, quæque in peccato non inuenit permixtionem contradictoriorum. Hic autem status neque exercitè, neque signatè liber, & contingens est; sed omnino necessarius, quia non potest existere, & non existere; sed semper ita existit, vt implicatoria sit potestas ad hoc, vt non existat. Noto secundo. Peccatum possibile, quanuis in præcisione ab existentiâ, vt realitèr exercita, sit *signatè* liberũ; & contingens; tamen in ea præcisione non est exercitè contingens, aut necessarium: quia neque existit cum potestate, vt nõ existat, in quo stat esse exercitè contingens; neque existit sine potestate, vt non existat, in quo stat

stat esse exercitè contingens; neque existit sine potestate, vt non existat, in quo stat esse exercitè necessarium. Vnde non est exercitè aliquid; possibilitèr autem, & signatè omnia est, quæ in suo *esse* imbiberet exercitè, si existeret. Quamobrem, quanuis idem sit, rem existere, simulque non existere contingentèr, ac existere necessariò; non tamen idem sunt non existere contingentèr; & existere necessariò. Nã, quod nullo modo existit, non existit contingentèr; nec tamen ideo existit necessariò.

52 Objcies tertiò. Nullus potest odio habere, quod est omninò necessarium ad existẽtiam illius, quod summè amat. Peccatum autem possibile necessarium prorsùs est ad plures perfectiones diuinas, quas Deus summè amat, nempè, ad repræsentationem peccati non inuenientem in ipso contradictoria; ad potestatem diuinam permissiuam, condonatiuam, & vindicatiuam peccatorum: si enim peccatum non esset possibile, requireretur, has perfectiones diuinas non existere: ergo Deus non detestatur peccatum possibile. Confirmatur: quia potius, virtualitèr saltèm, amat peccatum possibile. Nam, qui amat obiectum essentialitèr connexũ cum peccato possibili, virtualitèr, saltèm, amat peccatum possibile. Perfectiones autem enumeratæ, quas Deus summè amat, sunt essentialitèr connexæ, iuxta nostra principia, cum peccato possibili. Confirmatur secũdò. Quia saltem sequitur, non posse Deũ odisse seriò peccatum possibile. Tum, quia nullus potest velle serio, quòd non detur id, quod videt omnimodâ necessitate dari: Deus autẽ videt, dari omnimodâ necessitate peccatum in ratione possibilis: ergo nequit odisse serio, quòd detur. Tum, quia nequit Deus seriò concipere affectum essentialiter frustrãdum, &, vt talẽ, cognitũ à Deo. At odium peccati possibilis est essentialitèr frustrandum, quia est essentialitèr volitio de *non esse* rei, quæ non potest nõ esse, quippe peccatum in ratione possibilis nequit non esse; ac de cætero Deus, cui sunt cuncta perspectissima vt sunt in se, nequit ignorare, talem affectum esse essentialitèr frustrandum: ergo non potest ipsum seriò concipere. Tandem, quia non stat peccatorem seriò odisse suam damnationem, & simul velle committere peccatum, quod videt infallibilitèr connexum cum ipsâ: ergo neque stabit, Deum odisse seriò peccatum possibile, & simul velle perfectiones diuinas, quas videt essentialitèr connexas cum peccato possibili.

53 Hæc omnia nascuntur ex intelligentiâ siniſtrâ possibilitatis necessariæ rerum contingentium

tium, & ex prauâ intelligentia connexionis essentialis prædicatorum Dei cum possibilitate creaturarum. Pro quibus recognoscite, si placet, quæ diximus disp. 6. & 7. de Scientia Dei. Ad argumentum respondebunt, qui alijs, ac nos, principijs insistunt circa possibilitates rerum, distinguendo maiorem. Nullus enim potest odio habere, quod necessarium est ad existentiam illius, quod summè placet, odio impediente illud sub ea ratione, sub quâ necessarium est ad existentiam summè placentem obiecti amati; bene tamen odio nō impediente, &c. Ratio est. Nam amor, quantumlibet ingens, de existentia obiecti tantùm cogit non impedire talem existētiam, ac proinde neque impedire necessaria ad illam: cum quo stat odium circa ipsa concipere, dū modò prædictum odium non obstet, quominus ipsa dentur, vt necessaria sunt ad existētiam rei amatæ. Sic Deus odio habens peccatum hominis iam existens, potest ardentèr intendere, quòd talis homo fide supernaturali cognoscat suum peccatum, & contritionem circa ipsum exerceat, ad quos actus vehementèr intentos necessarium est peccatum, quod Deus odio habet. Similitèr ergo dici poterit, quanuis Deus summè amet perfectiones diuinas, ad quas necessarium est peccatum sub ratione possibilis, posse peccatum detestari detestatione non impediente, quominus tale peccatum sit possibile: quam solam detestationem circa peccatum possibile concedimus, qui volumus, Deum insequi odio peccatum possibile.

54 At quicquid de hoc sit in aliorum principijs; in nostris est in promptu solidior solutio. Transmissa namque maiore, distinguitur minor, quæ vera est in sensu affirmante, necessarium esse ad eas perfectiones peccatum possibile, quantum ad formam, per quam constituitur *possibile necessariò*; non verò quantum ad subiectum, quod denominatur *possibile necessariò*: quod enim denominatur possibile necessariò est ipsum *esse* intrinsecum, & existentia intrinseca peccati. Tale autem *esse* intrinsecum, & existentia, cum sit contingens, non requiritur ad perfectiones diuinas necessarias; ad quas tamen requiritur possibilitas necessaria eius *esse*, & existentiæ contingentis. Ex quibus non infertur, odiū Dei non terminari ad illud *esse* intrinsecum peccati, quod est possibile, cum tamen nos præcisè velimus tale odium ad prædictum *esse* terminari; sed tantū infertur, odium Dei non terminari ad possibilitatem necessariā eius *esse* contingentis: id autem verissimum est, quia, iuxta nos, talis possibilitas est prædicatum diui-

diuinum necessarium, & ad nullum prædicatum diuinum necessarium terminatur odiū Dei, vt patet.

55 Hinc in nostris principijs facillimè soluuntur cætera. (Omittamus aliorum cuius breuitatis causa, quæ, suppositis ipsorum principijs, probabilitèr dici possent) Ad primam confirmationem dicatur. Transeat, eum amare virtualitèr, vel formalitèr peccatum, qui amat obiectū essentialitèr connexum cum illo (Hoc saltem aliquando verissimum est, de quo dixi disput. 8. de Prædestin.) Cæterum perfectiones illæ necessariæ Dei non connectuntur intrinsecè cum peccato possibili sumpto pro subiecto, quod denominatur possibile necessariè; connectuntur tamen connexione identitatis realis, & intrinsecæ cum possibilitate necessaria, per quā peccatum est necessario possibile: ex quo summùm infertur, amorem diuinum earum perfectionum esse amorem formalem, vel virtualem eius possibilitatis necessariæ, idque verissimum est, quia est amor formalis illius, quippè quæ reipsa, ratioque diuina identificatur penitus cum eis perfectionibus. ¶ Hinc fit primò. Quando sermo est de hoc concreto: *Peccatum possibile* potest Deus seriò odisse, quòd detur, serioque intendere, quòd non detur, quantum ad subiectum, quod possibile est; non quantùm ad formam, per quam possibile est. *Primum*, quia tale subiectum est *esse* intrinsecum, & contingens peccati, cum autē hoc *esse* possit nō esse, sitque bonum, quòd non sit, potest Deus seriò intendere, quòd non sit. *Secundum*: quia forma, per quam peccatum est possibile necessario, est prædicatum diuinum necessarium, Deus autem nequit odisse prædicatum diuinum necessarium, seriòque intendere, quod non detur.

56 Fit secundò, bifariam cōsiderari posse odium, quo Deus velit, non dari peccatum possibile. *Primò*, quasi sit affectus, quo velit non dari possibilitatem necessariam peccati: & hic affectus est chymæricus, est essentialitèr frustrandus, est repugnans Deo non minùs, quam affectus, quo velit suum *esse* diuinum non esse, vt ex dictis patet. *Secundò*, quasi sit affectus, quo velit, vt illud *esse* intrinsecum peccati, quod denominatur possibile, non detur: & cum hic affectus non sit aliud, quam velle peccatum non-existere, cuius non-existentia possibilis est, & bona, patet eum affectum neque esse essentialitèr frustrandum, neque impossibilē, neque indignum Deo. Fit tertiò. Sicut peccator nequit seriò velle non damnari, ac de cætero se determinare ad peccatum mortale, quod videt cum suā dam-

damnatione connecti infallibiliter; sic Deus nequit seriò velle se, & ipsius perfectiones necessarias existere; deindeque velle, non dari possibilitatem necessariam peccati, quia non dari hanc possibilitatem est eas perfectiones non dari. Cum eo autem, quod Deus velit, prædictas existere perfectiones connexione identitatis ligatas cū possibilitate necessariâ peccati, constat optime Deum velle, vt non detur illud *esse* peccati contingens, quod eâ possibilitate denominatur necessariò possibile, quippe tales perfectiones nō cōnectūtur intrinsecè cum eo *esse*, & consequenter ex huius defectu illarum defectus non infertur. Ex quibus patet ad secūdam confirmationem, & ad omnia, quæ in illa inuoluebantur.

57 Ex secundo capite argues quartò directè sic probans, Deum amare peccatum possibile. Deus amat, hominem esse proximè liberum ad peccandū, & non peccandum, quippè talis libertas bona est, & consequenter amore diuino digna. At in eâ libertate proximâ claudi-tur intrinsecè peccatum possibile; nam, dempta præcisè possibilitate peccati, cunctisque aliis vel in re, vel in mente manentibus, neque in re, neque in mente manet proxima libertas ad peccandum, quæ importat omnia prænitè ad peccatum requisita: ergo diuinus amor ad eā proximam libertatem terminatus nequit non terminari ad peccatum possibile. Confirmatur. Deus præcipiens actum honestum, vult illum formaliter, vt liberum. At, vt liber, importat ipsius omissionem esse possibilem, eaque omissio peccatū est, cum actus, quem excludit, sit præceptus: ergo Deus amat peccatum omissionis possibile. In eādem æquiuocatione inuoluūtur aduersarij confundentes de more possibilitatem, per quam peccatum denominatur possibile, & ipsum peccatum, quod denominatur possibile. Quapropter.

58 Ad argumentum (præmittendo, Deum amare proximam creaturæ libertatem ad peccandum, quod cum alijs negant P. Ruiz disp. 26. de Volunt. sect. 7. n. 8. P. Hemelm. tit. 7, disp. 2. cap. 6. de quo alibi) respondeo. Nullum *esse* intrinsecum peccati possibilis clauditur in libertate proximâ ad peccandum: hæc enim est libertas proxima ad omne *esse* intrinsecum peccati, & consequenter extra hoc *esse* est tanquam adæquatè distincta ab ipso. Cæterùm ea libertas proxima dicit, vel in recto, vel de cōnotato, quod parum ad rem interest, necessariam non repugnantiam peccati, ideoque libenter admitto, Deum amantem eam libertatem proximam, etiā

amare, non quidem peccatum, quod est possibile; sed prædictã possibilitatem peccati necessariam, quæ apud me identificatur cum naturali, ac necessaria repræsentatione diuina non inueniente in peccato contradictoriorum permixtionem. Ad confirmationem similiter, admissa maiore, respõdeo, talem actum præceptum inuoluere formaliter, quà liberum, non quidem ipsam omissionem praua ipsius, quæ possibilis est, alioquin inuolueret aliquod contradictorium sui; bene tamen ipsam possibilitatem necessariam eius omissionis, quam possibilitatem necessariam Deum amare concedo; hoc tamen nõ est amare aliquod *esse* peccati, vt condistinctum à Deo; sed amare ipsam repræsentationem diuinam naturalem non inuenientem in eo peccato omissionis contradictoria.

59 Obijcies quintò cum P. Ruiz. Deus vult, quòd mendacium, & odium Dei, v. g. sint peccata, quòd sint Dei offensiua, quòd à nullo possint liberè, ac licitè poni. Hoc autem est amare essentiam, quidditatem, necessariasque passiones peccati: igitur hæc amantur à Deo. Caue diligenter æquiuocationem. Resp. Deus vult, quod mendaciũ, &c. *sint* peccata, offensiua Dei, &c. obiectiuè in diuinâ repræsentatione, diuinaque displicentia circa ipsa; nõ vero quòd *sint* peccata exercitè, & intrinsecè, & in se ipsis. Vndè Deus non amat prædicata peccati secũdùm *esse* proprium ipsorum à Deo condistinctum; sed amat statũ quendam necessarium ipsorum condistinctum ab ipsis, & identificatum cum Deo. Itaque Deus nõ amat, quòd mendacium sit exercitè in se ipso peccatum, & offensiuum Dei: quia hoc est, mendacium existere in se ipso exercendo rationem peccati, & offensæ Dei. Patet autem, Deum non velle sic mendacium existere in se. Tamen Deus vult, mendacium esse peccatum obiectiuè in repræsentatione, displicentiaque diuinis: hoc enim stat in eo, quòd mendacium repræsentari in mente Dei, Deoque displicere nihil aliud sit, quàm tale peccatum, & offensam Dei repræsentari in mente Dei, Deoque displicere: cumque hoc consistat in ipsa essentia huius repræsentationis, ac displicentiæ, tandem infertur, amorem diuinum in casu obiectionis non aliud amare, quàm actus diuinos. Vnde pro tyronibus distinguatur sic maior. Vult, quòd mendacium sit talia prædicata exercitè, & intrinsecè in ipso mendacio, nego. Obiectiuè in repræsentatione, displicentiaque diuinis, concedo. Deinde distinguo minorem. Hoc est velle quidditatem, &c. mendacij secũdùm *esse* talis quidditatis proprium condistinctũ à Deo, nego mi-

minorem; secundùm statũ quẽdam eius quidditatis conditiõctum ab ipsa, & identificatum cum Deo, concedo: & sub eadẽ distinctione neganda, & concedenda est illatio. Alia argumenta tendunt ad probandum amorẽ Dei circa peccatum existens, de quibus sermo erit infra.

DISPVT. XIII.

De necessitate, vel libertate diuini amoris circa creaturas possibiles.

Vidimus, Deum amare creaturas possibiles: discutiendus superest amandi modus.

CAP. I.

Relatis Autorum placitis, elicitur, vt verius, Deum amare necessariò creaturas possibiles.

1 Difficultas præsens non est siue de amore plenè, ac simpliciter efficaci creaturarum possibilium connexo cum ipsarum existentia contingente; siue de amore inadæquatè, & secundũ quid efficaci, qui, tametsi nõ determinet Deum absolutè, & simpliciter ad ponendam existẽtiam obiecti, tamen ipsum Deũ determinat, vt ea omnia media ponat ad obiecti cõsecutionem, quæ necessaria sunt, vt existentia obiecti non stet per arbitriũ Dei, sed per creatũ: qua ratione Deũ amare salutem reproborum, vidimus disp. 6. de Prædest. De his, inquam, affectibus non est controuersia, quippè liberos esse certum omnibus Theologis est. Solũ ergo dubitatur, an illa simplex complacentia circa creaturas possibiles, quam disp. 12. explicuimus, quæque ad nullius obiecti creati positionem actualem determinat Deum, sit Deo libera, vel necessaria?

2 Prima sententia est, liberam esse Deo. Pro qua stant apud citandos in propriis locis pro hac, & opposita sententia Bañez, Zumel. Nauarrete, Machin, Gonçalez, Albert. Bonauẽt. Alexand. Ricard. Gabriel. Franciscus de Lugo lib. 1. de Deo vno, disp. 35. cap. 1. n. 9. Franciscus Fœlix de Volunt. cap. 3. diff. 4. num. 2. qui pro se affert Scotum, qui reuera magis fauet huic sententiæ, quãuis afferatur etiam pro cõtraria. Pro libertate eiusdẽ amoris stãt P. Valentia, P. Molina, videturq; fauere Eximius Doct. Suarez in Met. disp. 30. sect. 16. à n. 39. Idẽ sentiunt plures Recentr. in manuscript. ¶ Secũda sententia est, talem amorem esse necessariũ. Ita sentiunt apud Fœlicem sup. Rada, Smising. & Montepilos. Ex nostris Eximius Doctor lib.

3 de Attribut. cap. 6. n. 10. quatenus ait: *si Deus habet talem actū, illum esse debere absolutè necessariū.* (Propendet iterum in oppositum lib. 11. de Trinitat. cap. 2. numero 10.) P. Vazquez 1. p. disputat. 79. capit. 2. & disput. 152. capit. 1. P. Arrub. disput. 53. cap. 3. P. Fasol. q. 19. art. 3. dub. 2. P. Herice disp. 18. cap. 1. P. Ruiz disp. 6. de Volunt. sect. 2. P. Tanner. disput. 2. quæst. 10. dub. 4. P. Granado de Volunt. tract. 3. disp. 3. num. 5. P. Mærat. disput. 31. sect. 3. P. Gasp. Hurt. disp. 3. dist. 1. P. Alarcon disput. 3. cap. 4. P. Becan. cap. 11. de Volunt. quæst. 3 num. 4. P. Ripalda disp. 9 de Volunt. sect. 2. & tom. 1. de Ente supern. disp. 41. sect. 9 num. 71. P. Arriaga tom. 1 in 1. p. disput. 24. sect. 6. subl. 2 post eneruatas subl. 1. rationes vtriusque sententiæ. P. Ribas tract. de Volunt. disp. 4. cap. 2. P. Hemelm. 1. p. tit. 7. disp. 1. P. Martinon disp. 13. de Deo, sect. 2. num. 10. apud quos P. Salas, & P. Fonseca: ex alijs Hēric. Scot. Dionysius Carthus. Aureolus, Caietanus, Basol. Argent. Emmanuel de la Cerda. Quibus adde perdoctum Auersa 1. p. quæst. 19. sect. 5. § *Dico tertiò*, qui frequentèr communiores nostrorum DD. opiniones amplectitur, & illustrat. Fuster de Volunt. à num. 209. plurelque Recentt. Quare negari non potest, hanc opinionem esse communiorem, maximè apud nostros, ideoque libens eidem, vt veriori, subscribo. Video, non posse hanc sententiam firmissimè probari, neque enim omnia sunt æqualiter euidentia. Relictis tamen P. Arriaga curis labefactandi rationes sententiarum, quibus adhæret.

3 Probatur sic eius amoris necessitas. Deus est necessariò summè bonus, vt catholice negari non potest: ergo necessarius est Deo omnis gradus bonitatis, qui neque in se, neque in sui necessitate dicit imperfectione n: quia summum in vnoquoque genere claudit omnem eius generis perfectionem non dicentē imperfectionem, vnde summa bonitas necessaria claudit omnem necessariæ bonitatis gradum non dicentem imperfectionem. At complacentia Dei adhæsiua ad quoduis bonum non includens malitiam moralem, cuiusmodi sunt omnia possibilia præter peccata, est aliquis bonitatis gradus neq; in se, neq; in sui necessitate dicens imperfectionem: igitur ea cōplacētia est Deo necessaria. In hoc discursu sola minor difficilis est, quæ triplicem partem continet. *Prima* est, prædictam complacentiam esse aliquem bonitatis gradum: & hæc pars est manifesta, quia si bonum non

est

est affectiuè adhærere bono, quid bonum erit? Deinde: malum est affectiue adhærere malo, & bonum ab ipso fugere: ergo bonum erit affectiue adhærere bono, ipsumque prosequi. Ridebis meritò, si in re tam clarâ sim operosior. *Secunda est*, prædictam complacentiam in se ipsâ, præscindendo ab eo, quòd sit libera, vel necessaria, non dicere imperfectionem: & hoc etiam patet. Nam alioquin neque libere, neque necessariò conueniret Deo, & nunc ponimus ex disput. 12. alterutro ex his modis conuenire Deo. *Tertia* igitur pars est totius difficultatis cardo, scilicet neque talis complacentiæ necessitatem dicere imperfectionem. Hoc probo.

4 *Primò*. Nequit ea necessitas dicere imperfectionem ex eo præcisè, quòd imperfectio censeri debeat inesse naturalitèr Deo prædicatum alliciens ad ponendam existentiam creaturæ, cuiusmodi prædicatum esset ea complacentia circa creaturæ bonitatem. Assumptum probatur. Sicut complacentia in bonitate obiecti, cuius existentia sita est in potestate amantis, allicit quodammodo amantem ad positionem eius existentiæ; ita similitèr cognitio notificans eandē bonitate.n. Atqui Deo naturalitèr inest citra omnem imperfectionem scientia simplicis intelligentiæ bonitatem creaturarū possibilium notificans: & necessitas huius notitiæ imperfectione vacat, quia non prouenit ex meritis obiecti; sed ex infinitâ intellectualitate Dei non potentis non adhærere repræsentatiuè vero: ergo poterit Deo naturalitèr inesse citra omnem imperfectionem complacentia circa bonitatem creaturarum possibiliū, ita vt eius complacentiæ necessitas imperfectione careat, quia non prouenit ex meritis obiecti; sed ex infinita bonitate Dei non potentis non adhærere affectiuè bono. Explicatur. Nam, si adperfectionem Dei desideres, bonitatem creaturæ tam exigui momenti esse cōparatione Dei, vt, ea bonitate non obstante, Deus sit peræquè indifferens ad productionem, & non-productionem creaturæ, tunc sic vrgebo. Quanuis bonitas creaturæ cognita conferat ad decernendam existentiam creaturæ, sic, per te, conferre potest, vt maneat Deus peræquè indifferens ad productionem, & non-productionem creaturæ: ergo, quanuis bonitas creaturæ placens conferat ad tale decretum, poterit ita conferre, vt ea indifferentia maneat omninò æqualis ad vtrumlibet.

5 *Secundò*. Tametsi primo aspectu magna diuinæ libertatis excellentia videatur esse, tam integre Deum posse suos affectus cohibere, vt ab obiecto ne

quidem infinito capiatur neceſſario, ſed tanti etiam obiecti amorem pro ſua perfectiſſima libertate poſsit omittere; tamen, corrigente ratione deluſiuam hanc phantaſiam, oppoſitum iure optimo adſcribitur Deo, cuius ſummæ beatitudini, ac bonitati congruit, neceſſariò quieſcere in ſummo bono, eidemque ſummè adhærere. Tunc ſic. De ratione rectiſsimæ, ſummèque bonæ voluntatis eſt vnicuique obiecto ſuum ius, vel quaſi ius tribuere in ordine affectus. Rurſus. Sicut ſumma bonitas obiecti nota Deo, eſt ipſius obiecti ius ad ſummum amorem eius obiecti, ita bonitas obiecti non ſumma, quæ tamen aliqualis eſt diuinæ bonitatis particula, nota Deo, eſt ius ad aliqualem ſui amorem. Sicut ergo, quia neceſſariò conuenit Deo rectiſsima, ſummèque bona voluntas, perfectio magna talis voluntatis eſt non poſſe ſe continere, quominus ſummum amorem ſummo bono impendat; ita magna perfectio erit non poſſe ſe continere, quo minus vnicuique obiecto iuxta ſuam dignitatem affectiuè adhæreat; proindeque creaturis aliqualitèr participantibus ſummam bonitatem Dei aliqualem amorem, complacentiæ ſaltem ſimplicis, neceſſario tribuere.

6 Vrgetur. Obiectum non malum, eſt ex hac præcisè ratione dignum, quod voluntati rectiſsimæ non diſpliceat. Deindè ex hac præcisa ratione, quanuis non ſit poſitiuè dignum, quod placeat, & quaſi iure ſuo complacentiam exigens; poteſt tamen placere: non enim video, cur non ſatis rationalis ſit amor, qui fertur in obiectum, quia non malum: ergo obiectum non ſolum non malum; ſed non malum, & bonum, non ſolum erit dignum non odio, & potens amari; ſed habebit in ordine ad amorem rectiſsimæ voluntatis ſublimiorem gradum, nempe, poſitiuam dignitatem, & veluti ſuopte iure aliqualis amoris exigentiam. At de cætero de ratione rectiſsimæ, ſummèque bonæ voluntatis eſt tantum cuique affectum, quantum meretur, exhibere, & habere naturalitèr, ac neceſſariò quicquid de ratione rectiſsimæ voluntatis eſt: ergo neceſſariò competit Deo aliqualis amor circa quodlibet obiectum aliqualitèr bonum, non impeditum dignitate, quam habet ad non amorem, & ad odium malitia moralis, quominus ametur. Quod addiderim propter peccata.

7 *Tertiò*. Non eſt ſimpliciter benè moratus, bonæque indolis, qui poteſt eſſe pronus ad bonum, & auerſus à malo; ſed ille duntaxat, qui vltra hanc poteſtatem eâ velgenij, vel virtutis temperatura pollet, quâ ſit ad bonum procliuis; malumque refu-

fugiens. Deinde: non est benè moratus, bonæque indolis in certa materia, v.g. iustitiæ, qui præcisè potest adhærere bonis eius materiæ, malaque fugere; sed ille solùm, qui vel naturæ genio, vel ornamento virtutis propendet, vt ius illæsum seruet, ac lædere fugit. At Deus simpliciter, & in omni materiâ nequit non habere summam, & cumulatissimam bene morati, &, vt sic loquar, præstantissimæ indolis plenitudinem, vt ipsa terminorum propositio videtur euincere. Deo igitur naturalis, & necessaria est inclinatio in vnumquodque bonum, & auersio ab vnoquoque malo, quatenus obiecti cuiusque dignitas exposcit. Ea verò inclinatio, & auersio vel sunt, vt opinor, ipsissima complacentia, & displicentia, quarum necessitatem probamus, vel quædam innatæ inclinationes, & fugæ non minoris; sed maioris difficultatis. Cur enim sit contra perfectionē Dei notione bonitatis creatæ duci, vt sine potestate ad oppositum aliqualem habeat complacentiam circa eam bonitatē, & tamen sit iuxta diuinā perfectionē cæco impetu innatè, ac necessariò ferri circa ipsam bonitatē?

8 *Quartò, & vltimò.* Tametsi Deus creaturam bonam, & prudentèr ordinabilem ad bonitatem diuinā, vt participationem ipsius, possit nolle actu reijciente ipsius existentiam; habet tamen Deus necessitatem, quā vocant quoad specificationem, sin exercendi complacentiā erga ipsam, certe non exercendi rigorosum odium, quod voco displicentiam auersiuam: ergo etiā Deus habet necessitatē quoad exercitium, nempè, exercendi complacentiam circa eam creaturam eius creaturæ bonitati attemperatam. Probo hanc consequentiam. De ratione optimæ, rectissimæque voluntatis est nō solùm non se habere malè circa bonum, sed etiam non se habere minus benè, quàm oportet. At, sicut esset malè se habere versari per displicentiam auersiuam circa obiectum sapientèr ordinabile ad diuinam bonitatem, ita esset minus bene se habere circa illam, negare ipsi adhæsionem affectiuam, quam ipsius dignitas exposcit: ergo sicut Deus iure voluntatis optimę, ac rectissimę necessitatē habet, vt circa creaturā bonā nō versetur per displicētiā auersiuā; ita etiā vt versetur per cōplacentiā eius creaturæ bonitati attemperatam.

9 Confirmatur. Quanquam peccatum idoneum sit ad plurimos fines, in quibus attributa diuina mirabilitèr elucent, nempè ad districtè vindicandam diuinam offensam, ad liberalem ipsius condonationem, ad infinitam satisfactionem à Christo D. exhibendam, &c. nullo

tamen prætextu potest Deo placere peccatum; sed potius diuina voluntas iure summæ rectitudinis, & bonitatis duplici necessitate fœlicissimè quasi constringitur: altera non complacendi in peccato, vt sic non sit malum iuxta bonitatem, placitumque Dei: altera displicendi in peccato, vt ita malum sit contra bonitatem, & beneplacitum Dei: ergo, quanuis creatæ participationes diuinæ bonitatis perplures habeant imperfectiones adiunctas; tamen, sicut Deus nō potest versari circa ipsas per displicentiam auersiuam, ne diuina bonitas, rectissimaque voluntas abhorreat ipsius diuinæ bonitatis particulas; ita Deus non poterit non versari circa illas complacentiâ ipsarum bonitati attemperata, vt sic perpetuò, natura itèrq; sint intra Deū, quo sint iuxta bonitatem, placitumque Dei ipsius diuinæ bonitatis participationes. Et quidem hoc argumento satis infringentur aduersariorum momenta. Sicut enim ab aduersarijs dicēdū est, non esse reuera contra perfectionem diuinæ libertatis; sed iuxta perfectionem diuinæ bonitatis, necessitatem quoad specificationem, quam circa bona, & mala creata explicuimus, cur nobis non licebit dicere ūmilitèr de necessitate quoad exercitiū, quam defendimus? Hæc pro nostrâ sententia satis, quæ, licet illā non reddant euidentē, certè absolutè, & cōparata cū aduersariorū fundamentis probabiliorem reddunt, quàm oppositam.

10 Ex his fit primo, necessariam esse displicentiam Dei circa mala culpæ; sicut est necessaria complacentia circa creaturas bonas. Nam eædem rationes vtrobique militant eādem vi. Fit secundo, sicut præscindendo ab actuali existētia creaturę, necessaria est diuina cōplacentia circa talis creaturæ bonitatē; ita etiā ex suppositione actualis existētię necessariū est gaudiū diuinū circa ipsam creaturā, vt existentē. Nā in primis necessitas eius gaudij ex suppositione talis existētię non magis derogat diuinæ libertati, quam necessitas eius cōplacentiæ ante existentiā; ac de cætero non minus spectat ad summā bonitatem gaudere de bono iam existēte, quā placere in ipso ante existētiā. Hinc tamē ansam arripit P. Ripal. specialitèr probādi, nō solū esse in Deo gaudiū necessarium circa suas perfectiones; sed etiā specialē, & strictū amorē. Est enim prærogatiua solius diuinæ bonitatis intuitiuè cognitæ necessitare Deū ad aliquē amorē ipsius. At hæc prærogatiua non est necessitare ad actiderium: quippè Deo implicat desiderare suas perfectiones intrinsecas, & necessarias: neq; est necessitare ad gaudiū: nā etiā bona creata ex suppositione suę existentiæ

ſtētiæ neceſsitāt diuinā volūtatē ad gaudium, vt nuper diximus, ideoque fieri nequit, vt Deus nō gaudeat de iuſtificatione hominis ex ſuppoſitione, quod ſit iuſtificatus. Supereſt ergo, hanc ſpecialem prærogatiuam diuinæ bonitatis intuitiuè cognitæ eſſe neceſsitare ad amorē ſtrictum.

11 At in primis, vt ſapienter animaduerterūt ingenioſi, magnique nominis Magiſtri, non ſatis conſequenter vtitur hoc argumento P. Ripalda. Non enim eſſe poteſt ſpecialis dignitas, & prærogatiua diuinę bonitatis id, quo maius repetitur in bonitate creata. In hāc autem inuenitur aliquid ex ſuo genere maius. Nā bonitas creata, non quidem intuitiuè cognita per ſcientiam viſionis, vt exiſtens; ſed attracta per ſimplicem intelligentiā, vt poſſibilis, neceſsitat diuinam volūtatem, vt illam amet amore ſtricto, vt nobiſcum ſentit P. Ripalda ſupra citatus, eſtque quid maius, bonum citra ſui præſentiam, quàm vt præſens, neceſsitare ad amorem ſui: & vtinam experimentum quotidianum nō adeò clarè monſtraret, quantum magis animum moueāt bona præſentia, quantumuis caduca, ſordida, & temporalia, quàm abſentia bona, tametſi indefectibilia, nobiliſsima, & æterna. Non igitur rectè cogitatur in noſtris principijs ea prærogatiua.

¶ Deinde reſpondeo, ſpecialem prærogatiuam diuinæ bonitatis in viribus, aut quaſi viribus attractiuis diuini amoris ſupra bonitatem creatam non ſtare in eo, quòd arguens aſsignat; ſed in alijs pluribus. Nam *Primò* diuina bonitas clare cognita ex meritis propriis trahit neceſsario ad ſui amorem, præſcindendo ab infinita bonitate, & infinita rectitudine voluntatis amantis, vt patet in beatis. At creata bonitas clarè cognita non habet præcisè ex meritis propriis eam vim; ſed adiuncta infinita bonitate, rectitudineque amantis, vel alio vice ipſius ineluctabiliter ad amorem trahente. *Secundò*. Diuina bonitas neceſsitat Deum ad amorem affectiuè efficacem incompoſsibilem ex modo amandi cum nolitione efficaciter excludente talis bonitatis exiſtentiam, vt dicebamus diſp. 9. num. 33. & 34. At creata bonitas non neceſsitat *abſolutè* Deum ad amorem talis naturæ. *Tertiò*: diuina bonitas independenter à ſuppoſitione contingēte, quam eius impedire valeat, trahit neceſsario Deum ad gaudium de tali bonitate, vt exiſtente; ſecus bonitas creata, quia, licet Deus ex ſuppoſitione exiſtētiæ gratiæ iuſtificantis gaudeat neceſsario de ipsa, vt exiſtente, potuit tamen antecedenter pro ſuo arbitratu talem exiſtentiam impedire. Plura alia, quę poſſunt excogitari, relinquamus alijs.

12 Fit

12 Fit tertio: qua de causa, licet complacentia diuina circa bonitatem creaturarum sit necessaria; liberum tamen sit decretum absolutum, & efficax ipsarum. Ratio est. Nam, vt partim vidimus, plenèque videbimus argumenta soluentes, nulli perfectioni diuinæ derogat ea complacentia necessaria; secus illud decretum necessarium, de quo statim. At creatæ participationes bonitatis infinitæ Dei non possunt quasi suo exigere iure amorem oppositum cum infinita perfectione fontis, ex quo tanquam riuali procedunt; tametsi possint, quasi suo poscere iure, vt cognitæ à Deo, quòd ipsa diuina bonitas, quam aliqualiter imitantur, aliquali amore terminetur ad ipsas: ergo, licet ea complacentia sit necessaria; secus tamen prædictum decretum. Porrò necessitatem eius decreti diuinis perfectionibus derogare, patet. Tum, quia pugnaret cum potestate diuina libere impeditiua boni finiti. Tùm, quia vel tale decretum esset frustrabile, vel non? Si primum: ea ipsa frustrabilitas pugnaret cum viribus diuinæ voluntatis, & cum infinita prudentia Dei absolutè, & ex toto animo decernētis id, cuius effectu fraudari queit. Si secundum: ea infrustrabilitas decreti coniuncta cum ipsius necessitate pugnaret cum plenissima sufficientia Dei, quâ Deus, etiam solus, ipsi sibi sufficiētissimus est. Nam, si Deus existere nequit, quin existat decretum infrustrabile de existentia creaturarum, certè nō ita sibi sufficiet, vt semper, & pro semper possit absque creaturis existere.

13 Rursus. Vel necessitas eius infrustrabilis decreti relinqueret creaturas contingentes; vel præstaret, quòd essent simplicitèr necessariæ? Si primum: cum Deus in nostra hypothesi nequeat existere absque tali decreto, & hoc decretum nequeat existere absque creaturis contingentibus, neque Deus existere poterit absque creaturis contingentibus. Cum igitur manifestū sit, esse contingens, quod existere nequit absque contingente, plane fieret Deum esse contingentem, quod cum ipsius summa necessitate pugnat. Si secundum: pugnabit tale decretum cum diuina prærogatiua, per quam ipse vnicè necessarius est iure suæ infinitatis: quippè omne infinitum in perfectione tam infinitâ distantia longè est a nihilo, vt nunquam accedere possit ad hoc, vt sit nihil; at verò finitum sua ipsa finitudine tam propè accedit ad nihil, vt satis ipsi immineat redigi in nihil, redigendum abs dubio, nisi potenti, & misericordi manu diuina detineretur. Hæc dixerim, quia nescio, quo iure nonnulli Recentt. ex necessita-

te

te complacentiæ, quam defendimus, probare nobis studeant decreti efficacis necessitatem, quam catholicè negamus.

CAP. II.

Argumentorum solutio.

14 OBijcies primò D. Thomam, qui in præsenti q. 19. art. 3. in corp. ait, non esse necessariũ absolutè, quòd Deus velit alia à se: & ad 6. ait, diuinũ scire habere necessariam habitudinem ad scita; secus diuinum velle ad volita. Sermo autem est de creaturis possibilibus; non de existẽtibus. Nam, licèt intellectus Dei terminetur necessariò ad creaturas possibiles, terminatur contingentèr ad existẽtes. Idem videre est 1. contra Gent. cap. 81. ¶ Resp. sensum D. Thomæ esse, Deum cognoscere creaturas, absolutè, & simplicitèr notitiâ necessaria, quia notitia, quâ Deus cognoscit se ipsum tanquam *esse* eminentiale creaturarum, & est necessaria, & per illam Deus absolutè, & simplicitèr intelligit illud *esse* formale, propriumque creaturarum, quod ipse Deus eminenter continet, vt dicebam disp. 12. n. 40. Deus autem non amat creaturas necessario per amorem, qui sit absolutè, & simplicitèr talis creaturarum, quo Deus absolutè, & simplicitèr dicatur velle creaturas esse: quippè solùm est talis amor ipsarum efficax. Nam alij amores non explicantur accommodatè ad suam naturam his terminis absolutis: *Volo hanc creaturam esse*; sed his alijs: *Placet creaturæ pulchritudo, quam considero.* Vel: *Vtinam esset hæc creatura.* Vel: *Lætor, quòd iam est.* At talis amor efficax creaturarum non est necessarius. Nam, vt optimè D. Th. eo cap. 81. ratione 2. *Potest Deus velle, non esse quancũque rem aliam præter se. Non igitur de necessitate vult esse alia à se.* Et rat. 3. *Si vellet, esset: cum sua voluntas sit principium essendi rebus.* Omitto solutiones alias: nam hæc mihi est omnium solidior, quæ P. Granado placet doctissimo quidem viro, & in affectu, intelligentiaque D. Thomæ, me iudice, nulli secundo.

15 Obijcies secundo. Complacentia Dei circa creaturas possibiles cõnectitur cum creaturis possibilibus: ergo aliquatenus dependet ab ipsis. At omne prædicatum Dei necessarium est omnino independens à creaturis: ergo talis complacentia non est prædicatum Dei necessariũ. Sed optimè retorquet obiectionem contra aduersarios P. Ripal. Nam Deus necessariò cognoscit, & in sua diuina virtute præcontinet creaturas possibiles: eo igitur modo, quo talis cognitio necessaria, & præcontinentia necessaria explicentur citra

citra omnem dependentiã Dei à creaturis dicentem imperfectionem, explicari poterit complacentia necessaria. In nostris principijs responsio est in promptu. Ea est. Talis complacentia Dei connectitur connexione intrinsecæ inseparabilitatis cum creaturis possibilibus, *quoad formam, vel quasi formam*, quâ necessario constituuntur in esse possibiliũ; non verò *quoad subiectum, vel quasi subiectum*, quod necessario denominatur possibile.

16 Ratio prioris, quia talis forma est ipsa repræsentatio diuina, quæ versatur circa bonitatem creaturarum, nõ inueniendo in ipsis permixtionem contradictoriorum: eaque complacentia est intrinsece inseparabilis ab illa repræsentatione, siue placeat, siue displiceat hanc inseparabilitatem vocare aliqualem dependentiam. Ratio posterioris est: quia subiectum, vel quasi subiectum, quod necessario denominatur possibile, est ipsa entitas, & existentia creaturarum: & cum ea entitate non connectitur talis complacentia, quia potest absque tali entitate dari; licet non absque tali repræsentatione: quemadmodum desiderium, quo desideras entitatem, & existentiam sanitatis, quam non habes, nequit dari sine tali entitate considerata; benè tamen sine ipsa realitèr exercita. Quamobrem, etsi talis complacentia respiciat ipsum *esse* creaturarum tanquam obiectũ, quod placet; grauissimi tamen Theologi, præsertim ex antiquis, recusant eam relationem appellare realem, vocantque rationis. Non quidem *realem*, quia de huius ratione censetur esse coniunctio cum termino accepto in esse reali. Benè tamen rationis, quia, licet ea cõplacentia possit esse diuisa ab *esse* sui obiecti, vt realitèr exercito, non potest esse absque illo, vt cognito, vixque potest à nobis cognosci, nisi per modum realiter coniunctæ cum obiecto suo. Dictum id sit ad intelligentiam Authorum, vbi plerique satis offendunt.

17 Obijcies tertiò. Non minus est libera voluntas increata, quo minus amet bonum finitũ, quàm creatura rationalis. Hæc autem potest non complacere in bono finito possibili sibi proposito: ergo etiam diuina voluntas. Respondeo, quidquid sit de minori, quam negat P. Ripalda tract. de Voluntate, disput. 9. sect. 1. & tom 2. de Ente supern. disp. 103. sect. 6. à num. 48. maior est vera de libertate dicente perfectionem sine imperfectione; secus de libertate, quæ ex sua ratione dicit imperfectionem: sicut ergo Deus non est liber, vt cõtra virtutis actus displicentiam auersiuam cõcipiat, quanuis creatura rationalis talem

lem libertatem habeat: nam ea libertas non est perfectio, virtusque; sed imperfectio, & imbecillitas potentis à bono deflectere; ita Deus non est liber, vt nullatenus bonum sit ipsi gratum, quanuis creatura rationalis eam habeat libertatē ex defectu summæ rectitudinis potens non adhærere bono eâ, quam ipsum meretur, adhæsione affectiuâ. Vnde, vt obiter respondeas cuiusdam Recentioris confirmationi, concessa Deo potestate suspendendi complacentiam erga bonum, non extenditur perfectio diuini dominij; sed minuitur perfectio diuinæ rectitudinis, ac bonitatis. Simile accideret, concessa Deo potestate peccandi.

18 Obijcies quartò. Salus reproborum, & conuersio impiorum remanent in puro statu possibilitatis. At Deus non amat necessariò; sed liberè talem salutem & conuersionem vt colligi potest ex disp. 6. de Prædest. ergo amor Dei circa possibilia nō est necessarius; sed liber. Respondeo, Deum vtrouis modo amare talia obiecta. *Primò*, amore necessario simplicis complacentiæ iuxta dignitatem ipsorū. *Secundò*, amore libero, quo Deus ex mirâ sua dignatione, & liberalitate supra ipsorum dignitatē vehementer procurat ipsorum existentiam vsque ad faciendū, quod necesse est, vt ipsorum defectus ad arbitrium potius creatum, quàm diuinum referatur. De quo ibi.

19 Obijcies quintò. Simplex complacentia Dei in pulchritudine mundi, quæ Deum mouit, vt eius existentia efficacitèr decerneret, nō fuit Deo necessaria, sed libera: ergo nullus affectus Dei circa possibilia necessarius est: si quis enim, maximè talis complacentia. Antecedens probatur: Nam, teste Dion. cap. 4. de diuin. nomin. ea complacentia vehementer impulit Deum ad creationem mundi. Deus autem nequit ex suis prædicatis necessarijs ita vehementer propendere in productionem creaturarum. Tùm, quia Deus nequit habere ex suis prædicatis necessarijs moralem necessitatem producendi creaturas; sed æqualem indifferentiam ad ipsarum existentiam, & non-existentiam, de quo disp. 14. ergo neque potest habere ex suis prædicatis necessarijs vehementem inclinationē ad productionem creaturarum: quippè talis inclinatio non constat cum ea æqualitate indifferentiæ. Tùm quia, inspectis prædicatis necessarijs Dei, præcisâ quauis libera suppositione, potest Deus pro sua merâ libertate, nullo extrinseco vel cogente, vel quasi cogente, creationem rerum omittere: hoc autē ita non esset, si necessaria esset talis complacentia vehementer

ad

ad creationem inclinans, quem ad modum naufragus in retentionem diuitiarum vehementèr affectus, quanuis possit eas proijcere, cõpellente periculo mortis imminentis; non tamen purè, pateque pro suo libero nutu.

20 Respon. Nego antecedens. Cuius probationi concedo, talem complacentiam vehementèr allicere Deum ad creationem, negoque Deum habere non posse talẽ motionẽ ex prædicatis necessarijs. Ad primam probationem in contrariũ respondeo, transmisso nunc antecedente, de quo disp. citata, neganda est consequentia. Nam, datis principijs in obiectione suppositis, æqualis absolutè, & simpliciter est inclinatio Dei, inspectis prædicatis necessarijs, ad impediendam productionem rerum; & tunc duntaxat vehemens inclinatio ad vnum imminuit indifferentiam ad oppositum, quando non datur ad hoc oppositum inclinatio æqualis. Ad secundam probationem, datis eis principijs, concessa maiore, distinguenda est minor. Vehemens enim inclinatio ad vnũ rectè constat cum determinatione ad oppositum pro mera libertate, quando per æqualem ad oppositum inclinationem æqualis ad vtrumlibet indifferentia resultat; quando autem ea æqualitas non datur, contingere potest eius esse naturæ inclinationem ad vnam partẽ, vt non patiatur determinationem liberam ad oppositam partem, nisi pro talibus circunstantijs extrinsecis quodammodo cogentibus. Sic quia, spectatis omnibus, quæ in priori indifferentiæ dantur in naufrago ad proiectionem, & retentionem diuitiarum, non datur æqualitas indifferẽtiæ; sed vehemens ad retentionem inclinatio, quæ formaliter, vel æquiualentèr est decretum efficax retinendi sub conditione, quòd absit mortis periculum, ideò nequit pro sua mera determinatione libera, nullo extrinseco quasi cogente, proijcere diuitias. Et quidem argumentum infringitur in cognitione diuina necessaria, per quam Deus cognoscit mirabilem mundi pulchritudinem. Non enim assequor, quomodo talis notitia valde non alliciat ad creationem.

21 Obijcitur sextò. Quæuis creaturarum bonitas est finita: ergo nequit diuinam voluntatẽ necessitare. Probatur consequẽtia. 1. quia specialis prærogatiua bonitatis infinitæ est necessitare ad amorem sui. 2. quia omne bonum finitum innumeris imperfectionibus scatet, saltem negatiuis, quæ possunt ab amore talis obiecti reuocare. 3. quia ideo nequit esse necessarium decernere creaturas efficacitèr, quia limitatam bonitatem habent: ergo propter eãdem rationem

nem nequibit esse necessaria cõplacentia simplex circa ipsas. 4. Nam alioquin Deus simul agitaretur necessariò motib⁹ cõtrarijs, nempè, complacẽtia circa ipsas propter ipsarum perfectionem; displicentiâ verò propter illarum imperfectionẽ. Demum, quia perfectissimo volenti solus potest esse necessarius amor obiecti adæquati tantæ voluntati, nempe obiectum, quo nihil amplius tãta volũtas amare possit, &, quo adepto, quiescat plenissimè; Deo autem sola ipsius infinita bonitas potest esse tale obiectum, vt patet: ergo illam solam Deus amat necessariò.

22 Respond. Concesso antecedente, distinguitur consequẽs. Verum enim est, finitam bonitatem præcisè ex suis meritis non posse necessitare voluntatẽ diuinam; benè tamen potest, iuncta sua dignitate finitâ cum infinitâ rectitudine, ac bonitate diuinæ voluntatis, vt satis explicuimus. Hinc ad primam probationem. Speciales prærogatiuæ bonitatis diuinæ sunt enumeratæ num. 11. non autem cõiunctim cum infinita rectitudine, ac bonitate diuinæ voluntatis aliquam complacentiam diuinam necessariam terminare. Ad 2. similitèr. Bonum finitum, transeat, posse propter imperfectiones admixtas reuocare ab omni amore, præscindendo ab infinitâ rectitudine, & bonitate ex parte amantis; secus, eâ non præcisâ. Nam ad tantam bonitatem, ac rectitudinem spectat cuilibet participationi, quantumuis finitæ, bonitatis infinitæ perpetuo, constantèr, & necessariò aliquali complacentia eiusdem approbatiua bonitatis adhærere. De quo multa supra. Ad 3. Necessitas, vt Deus efficacitèr decernat creaturas non est eò præcisè impossibilis, quia creaturæ ex limitatione suæ bonitatis nequeant terminare amorem Dei; sed quia ea necessitas est contra perfectionem Dei, vt explicuimus num. 12 & 13. contra quã non est necessitas complacentiæ simplicis. Ad 4. Nulla in eo motuum, & affectuum contrarietas est, quòd, Deo considerante bonitatem existentię creaturæ, & bonitatem non existentiæ, simul habeat ipse Deus cõplacentiam simplicem circa existentiam, & circa non-existentiam: qua sola ratione defendimus esse necessarium placere Deo, ac displicere creaturarum *esse*. Ad quintam fateor, illam rationem obiecti adæquati diuinæ voluntatis, soli diuinæ bonitati competere. Deindeque respondeo. Tametsi huiusmodi solùm obiectum adæquatum ex propria sua dignitate necessitet Deum ad amorem ipsius; tanta tamen est diuina bonitas, & rectitudo, vt ex sui pra-

tia

tia fœliciſsime neceſsitetur, vt aliquali ſaltem approbatiua cõplacentia cuique adhæreat bonitatis infinitæ particulæ.

DISPVT. XIV.

De Neceſsitate morali Dei ad optimum creaturarum decernendum.

EXpoſuimus neceſsitatẽ diuini amoris circa creaturas quoad ſimplicem complacentiam. Conſtantiſsimum autem Catholicis eſt, Deo non eſſe neceſſarium metaphyſica neceſsitate decernere creaturas efficacitèr: quippè Deus adeo nullis extra ſe indigus eſt, adeo ſibi ipſi intra ſe ſufficiens, vt abſque omnium creaturarum productione poſſit optimè conſiſtere. Cæterum hac noſtra tempeſtate ſolito accuratius diſcuti cœpit, num Deus ad creaturarum optimum producẽdum morali ſaltem neceſsitate teneatur? Hoc erit præſentis diſput. ſubiectum.

(*.*)

CAP. I.

Quibuſdam poſitis, referũtur Authorum ſententiæ.

1. PRimò. Triplex in præſenti neceſsitas ſpectanda eſt. Metaphyſica, Phyſica, & Moralis. *Metaphyſica*, eſt ea rei determinatio ad exiſtẽdum, cum qua coniungi non exiſtentiam eius rei contradictionem implicat. *Phyſica*, eſt tanta vis, & propenſio vnius rei ad inducendam alteram, vt præ ſui magnitudine ſuperari nequeat (id eſt, effectu fruſtrari) à nullius naturæ creatæ viribus; ſed ſolũ à totius naturæ authore, qui ſupra totam naturam eſt: ideòque optimo iure dicitur quia ſupernaturale talem vim, & conatum irritum reddere. Sic ignis debitè applicatus paſlo ritè diſpoſito tanto conatu in ignefactionem propendet, vt præ magnitudine talis conatus opus ſit potentiſsima naturę authoris manu, vt illud paſſum non comburat. De hoc alibi accuratius. *Moralis*, eſt ea rerum determinatio ad exiſtentiam alicuius euentus præ oppoſito, quæ recte perſpecta non patitur ſuſpicionem prudentem de exiſtentia oppoſiti, fundatque prudentiſsimum iudicium de exiſtentia euentus, ad quem determinat. Hinc fortaſsis omnis neceſsitas metaphyſica, & phyſica poteſt dici

dici simul moralis, quanuis non omnis necessitas moralis attingat gradū metaphysicæ, vel physicæ. Necessitas moralis, quam exposuimus, dici poterit necessitas moralis in actu primo, quæ, prout est necessitas moralis in actu secundo, addit coniunctionem, vel infallibilem futuritionē coniunctionis cum eventu, ad quem determinat.

2 *Secundò.* Necessitas Dei ad productionem alicuius rei creatæ considerari potest vel absolutè, & independenter ab omni suppositione contingenti necessitans; vel ex suppositione contingente, quemadmodū Deus, licet non habeat absolutam necessitatem conferendi gloriam hominibus, necessitatem tamen habet eam conferendi ex suppositione, quod eam promiserit. *Tertiò.* Constantissimum omnibus catholicis est, ad nullius creaturæ productionem habere Deum necessitatē metaphysicā absolutam: quia plenissimè sibi sufficiens est, plenissimèque Dominus omnium, proindeque potens absque omni ab ipso distincto existere perfectissimè, fœlicissimèque, *Quartò.* Constantissimum quoque debet esse, neq; Deo cōpetere necessitatē physicam absolutam quicquā creatū producendi: quippè necessitas physica, vt à metaphysica, moralique distincta, illius dūtaxat est, cuius inclinatio superiori vi reprimi potest, quominus suū effectum sortiatur, nullaque virtus esse potest Deo superior. De necessitatib⁹ autem ex suppositione contingente dicemus infra, quæ ad rem nostram sufficiant. Præsens igitur controuersia est: num Deus ad productionem alicuius creaturæ necessitatē moralem habeat vel absolutam, vel ex aliqua suppositione contingente?

3 Porrò, quia celebris est opinio de necessitate morali Dei ad id, quod optimū est, nēpè ad id, in quo præ cæteris diuini authoris bonitas, & perfectio splendet, supponendū tertiò est, quod in philosophia verius arbitrati sumus, idem sentiente P. Granado præcipuo protectore prædictæ necessitatis moralis, nimirum, implicatoriam esse creaturam omnium maximam in perfectione, quâ scilicet nulla superior restet producibilis à Deo. Rursus, implicatoriam esse speciem infimam entis creati omniū optimam in perfectione; sed potius, quauis assignata specie infima creaturæ, superiorē aliā speciem infimā creaturæ producibilem à Deo superesse assignādam. Tandem, implicare contradictionē infinitum in actu, quod vocant cathegorematicum; tametsi namque nequeat Deus tot producere, quin possit plura; nequit tamen eam multitudinem actu producere, quâ producta

verum sit dicere, iam existere innumeras vnitates.

4 Quartò præmittendum est, plures Theologos, duce D. Th. putare, primariam, & potissimã regulam, quâ bonitas moralis actionum rationalis agentis metienda est, diuinum esse beneplacitum: quapropter eo ipso, quòd aliud magis, quàm aliud Deo placeat, iam honestius est. Non est ergo dubium, in hoc sensu semper esse melius, quod à Deo fit, quàm quod non fit. Cum enim, quod à Deo non fit, placeat ipsi Deo præcisè per affectum simplicem; quod autem fit, non solùm placeat per simplicem affectum; sed etiam per decretũ efficax existentiæ, patet, hoc placere prę illo, & consequenter esse *melius*, quatenus hoc perinde sonat, ac *placentius Deo*. Controuersia est: Num Deus aliqua necessitate morali teneatur ad faciẽdum illud, quod de se intrinsecè est melius in genere bonitatis aptioris, vt in eâ splendeat diuina bonitas, & perfectio? Non autem, vtrum quod fit à Deo, eo ipso, quòd fiat, sit extrinsecè ex diuino beneplacito melius, quàm quod non fit, quatenus est magis Deo placens? ¶ Tandem est certũ, ex suppositione, quòd Deus intendat efficacitèr aliquẽ finem, & quoad substantiam, & sub tali, vel tali modo, & mensura, manere non solùm moraliter; sed etiam metaphysicè determinatum ad media formaliter optima in ordine ad consecutionem finis, quatenus à Deo intenti efficacitèr. Ratio est: quia maior, vel minor bonitas in prędicto genere, formaliter loquendo, stat in conducentia mediorum ad finem magis, vel minus inseparabili à consecutione finis, quatenus efficacitèr intenti, proindeque summitas, & optimitas (vt sic loquar) eius generis stat in eâ mediorum ad finem conducentiâ, quæ nullâ verâ ratione separabilis sit à consecutione finis. Arqui Deus, iure infrustrabilitatis suarum intentionum efficaciũ, est metaphysicè determinatus, vt ex hypothesi intendendi efficacitèr finẽ, adhibeat media prorsus inseparabilis conducentiæ ad consecutionem finis, quatenus efficacitèr intenti: ergo ex tali hypothesi determinatur metaphysicè ad media, quæ sint optima formaliter in prædicto genere.

5 His positis. Prima sententia est P. Iacobi Granado tom. 2. in 1. p. tract. 2. disp. 3. P. Ruiz disput. 9. & 10. de Voluntate, qui putant, quanuis Deus possit physicè non eligere melius; necessitatum tamen moraliter esse ad electionem optimi in eis rebus, vbi non abitur in infinitum; sed optimum datur. Vnde, aiunt, quia inter extrema contradictoriè opposita, v. g. inter mysterium Incarnationis, & eius caren-

rentiam optimum est tale mysterium, ideò Deus necessitatem moralem habet decernendi Incarnationem. Non tamen Deus habet necessitatem moralem producendi hunc mundũ, idemque dicendum, quolibet alio determinatè assignato: quia, producto quolibet, restant alij, & alij meliores in infinitum, quin optimus assignabilis sit. Porrò necessitas hæc moralis iuxta P. Granado ibi, sect. 4. fundatur in amore perfectissimo necessario, quo Deus se amat: eo enim sic propendet in bonũ creatũ quod suâ perfectione optimo modo participat bonitatem diuinam, vt si Deus efficacitèr tantum bonum creatum non eligeret, neque se ipsum perfectissimè amaret, neque Deus esset, vt sect. 6. ait. Quamobrem, cum omnino sit necessarius, & anteuertens omnem actũ liberũ amor, quo Deus se ipsum perfectissimè, ac necessariò amat, consequẽs est, omnino necessariã etiã esse prędictam necessitatẽ moralẽ in eo amore cõsistentem. Hanc eandẽ sententiam nouissimè amplectitur Melchior Fuster de Volunt. disp. 3. à cap. 1.

6 Contra illam stant apud ipsum Granad. Zumel, P. Valent. P. Suar. P. Vazq. Quibus adde in suis tract. de Incarn. P. Puente. Hurt. disp. 2. Lugo Cardin. disp. 2. sect. 1. Arriag. disp. 2. sect. 3. P. Bernal disp. 3 sect. 1. P. Martinus Perez disp. 2. sect. 3. P. Aldrete disp. 1. & 2. Iterum P. Arriaga 1. p. disp. 27. sect. 2. Idem tenent Franciscus Fœlix de Volunt. cap. 3 difficul. 2. Ioannes à S. Th. hîc disp. 4. art. 7. à num. 13. P. Herice disp. 20. cap. 5. P. Alarcon disp. 3. cap. 7. P. Martinon disp. 13. de Deo, sect. 5. ¶ Dixi num. 5. eâ Deum necessitate teneri, iuxta P. Granado, ad electionem optimi, vt non electio optimi inferat, Deum non esse Deum. Nam P. Ruiz benigniorem necessitatem moralem videtur adstruere, quatenus disp. 10. sect. 5. ait, ex non electione optimi nequaquam inferri, Deũ non esse Deum; sed alterum ex tribus indeterminatè, nẽpè, vel illud obiectum minus bonum electum à Deo *esse, & non esse* optimum, vel non esse Deo infallibilem electionem optimi, vel aliquando non euenire id, quod est moralitèr infallibile. At quia tandem ad hoc vltimũ reducenda est illatio, quæ fit ex nõ electione optimi, ne incidamus in sequelã de non existentia Dei, vt benè obseruat P. Aldrete disput. 1. de Incar. sect. 1. n. 3. ideò P. Ruiz, id fortè subodoratus, dixit, quod rationabilius deducitur esse postremum illud consequens, nempè: *Aliquando non euenire id, quod moraliter est infallibile.*

CAP. II.

Non habet Deus necessariò, & absolutè talem necessitatem moralem ad productionem optimi, vt ex illa per consequẽtiam metaphysicè legitimam inferatur, Deũ non esse Deũ, omissa electione optimi.

7 HÆc sit prima, & communis nostræ sententiæ conclusio contra P. Granado, quem explicare conatur P. Aldrete loc. cit. At eo Doctore attentè lecto, clarior videtur eius mens, quàm explicari queat. Et in sensu nostræ conclusioni oppositio ipsum sectatur Fuster sup. cit. Nostra tamen conclusio verissima est. Probatur. Deus habet veram aliquam potestatem physicam ad omittendam electionẽ optimi. At nullam talem potestatem haberet, si haberet prædictam necessitatẽ moralem: ergo hanc non habet. Maior est aduersariorum, & catholicorum omnium. Minor probatur. Omnis vera potestas physica ad omittendam electionem optimi est verè coniungibilis cum ea omissione: nam quænam potestas magis chymærica, quàm coniungibilis cum suo exercitio? At, si Deus haberet prædictam necessitatem moralẽ, nullũ haberet prædicatum verè cõiungibile cum tali omissione: quippè nullũ prædicatum diuinum est verè coniungibile cum extremo infallibiliter inferente *non-esse* Dei, cuiusmodi extremũ est, per te, omissio eligẽdi optimum: ergo, si Deus haberet prædictam necessitatem moralẽ, nullam haberet potestatem physicam ad omissionem optimi.

8 Explicatur *primò*. Physicè est impossibile Deo, quod physice nequit componi cum aliquo prædicato necessario Dei, ideoque Deum peccare, alterumque Deum exittere est physicè impossibile nostro Deo: quia prædicta pugnant cum prædicatis impeccabilitatis Dei, & ipsius Dei vnicitatis in ratione Dei. At, vt ponimus ex aduersarijs, omissio eligendi optimum nequit physicè componi cum necessitate morali Dei ad optimum, ac de cætero talis necessitas moralis est prædicatum necessarium Dei consistens in amore necessario, quo Deus amat se ipsum: ergo talis omissio est Deo physicè impossibilis. Explicatur *secundò*. Potestas physica ad aliquid est potestas physica ad essentiam ipsius, ideoque potestas physica, vt detur homo, est potestas physica, vt detur animal rationale. At, ex aduersarijs, essentia omissionis eligendi optimum est excludere, vel exclusam supponere necessitatem moralem Dei ad optimum consisten-

sistentem in amore necessario, quo Deus amat se ipsum: ergo vel Deus non habet potestatem physicam ad talem omissionem; vel habet potestatem physicam, vt excludatur, aut supponatur exclusus amor necessarius, quo se ipsum amat, quorum quodlibet absurdissimum est.

9 Explicatur *tertiò*. Carentia necessitatis moralis ad optimum est conditio physicè requisita ad omissionē optimi. Nam alioquin coexistere possent physice necessitas moralis ad optimum, & omissio optimi, quod negant aduersarij: ergo Deus, amans necessario, & perfectissimè se ipsum, caret potestate physicæ libertatis ad omissionem optimi. Probatur consequentia. Qui simul caret conditione physicè requisitâ ad aliquod exercitium, nec non potestate physicâ talem conditionem habendi, caret libertate physica ad tale exercitium: propter quam rationem, qui simul caret pecunijs, potestateque physica, vt illas habeat, caret libertate physica ad emendū librum pecunijs. At Deus simul caret *non-esse* necessitatis moralis ad optimum, id est, *non-esse* sui amoris necessarij; nec non caret potestate physica ad *non-esse* sui amoris necessarij: ergo, cum tale *non-esse* sit conditio physicè requisita ad omissionem optimi, conficitur planè, Deum se necessariò, perfectissimèque amantem carere potestate physicæ libertatis ad omissionem optimi. ¶ *Quartò*. Deus habet non solùm moralem; sed physicam necessitatē se amandi perfectissimè, vt est certissimum; & & cum in hoc amore fiet necessitas moralis ad electionem optimi, Deus habet necessitatem physicam ad eiusmodi necessitatem moralem. Præterea, cum ex aduersarijs sit contra essentiā eius necessitatis moralis existere sine electione optimi, erit certè in Deo necessitas physica, vt talis necessitas moralis non existat sine electione optimi. Quid enim clarius, quàm in Deo esse necessitatem physicam, vt ipsius amor necessarius nō existat absque sua essentia? Ergo non sola necessitas moralis; sed etiā physica datur in Deo ad electionem optimi. Probatur hæc consecutio. Existere necessitatem moralem ad electionem optimi, simulque non existere talem necessitatem moralem absque optimi electione, est existere talem necessitatem moralem coniunctam cum electione optimi. At in Deo est physica necessitas, vt existat necessitas moralis ad electionem optimi; & simul, vt ea necessitas nō existat absque electione optimi, vt iam vidimus: ergo est in Deo physica necessitas, vt simul existant necessitas moralis ad optimum, & huius electio: patet autem, eam neces-

sitatem physicam esse necessitatem ad electionem optimi, cum necessitas totius includentis essentialiter partes sit necessitas partiũ essentialiter inclusarum.

10 Tandem arguitur ad hominem contra P. Granado, qui cum reliquis nostræ Societatis authoribus existimat, decreta prædeterminantia nostros consensus non benè cohærere cum libertate physicâ ipsorum. Tota quippè huius ratio, ad quam tandem omnia reuocantur, nititur in eo, quòd voluntas humana neque habet potestatem physicã, vt decretũ prædeterminans cõsensum *existat sine consensu*, id enim esset, & decretum prædeterminans frustrari, & existere tale decretũ absq; sui naturâ: neque habet potestatẽ physicam, vt tale decretum *non existat*: huius enim existentia, & non-existẽtia non ad creatam; sed purè, puteq; pertinet ad libertatem diuinam, vt prædeterminantibus est constantissimum: ex quo cõtra ipsos inferimus, prædeterminatum nõ habere potestatem physicã euitandi suum consensum, quippè physicam habet necessitatem & vt decretũ prædeterminans existat, & vt non existat sine consensu prædeterminato, eaque est necessitas physica, vt coexistat cum cõsensu, ac per cõsequens, vt consensus existat. At hic modus arguendi vel nullus est, quod non admittet sapiẽtissimus Granado, vel similitèr probat necessitatem diuinam moralẽ ad optimum, qualem ipse adstruit, nõ benè cohærere cum physicâ libertate Dei ad omissionem optimi: ergo inconsequenter defendit Granado eam Dei necessitatem moralem ad optimum.

11 Respondebis cum Fuster à num. 284. impotentiam illam Dei ad omittendam electionem optimi non esse antecedentem, & absolutam, prout necesse erat ad hoc, vt pugnaret cum libertate physicâ ad eam omissionem; sed esse consequentẽ, & ex suppositione, quòd Deus talem habeat naturam, vt semper optimum eligat potens physicè, & & antecedentèr absolutè nõ eligere optimum. Necessitas autem consequens, & ex suppositione ad electionem optimi non pugnat cum absolutâ. & antecedẽte potestate physicâ ad omissionem eius electionis. ¶ Sed hæc solutio nequit habere locũ, duobus admissis, quæ cõcedunt libentèr Granado, & Fuster. *Primum* est, necessitatẽ moralẽ Dei ad electionẽ optimi nõ esse quid contingens, & liberum Deo; sed summè necessarium, cuiusmodi est amor, quo Deus amat se perfectissimè, in quo stat ea necessitas. *Secundum* est, de ratione talis necessitatis moralis esse coniunctionem actualem cum electione optimi. Nam aliõquin, contra quàm isti authores vo-

volunt, non esset legitima consecutio ab omissione eligendi optimum ad non-existentiã eius necessitatis. His, inquam, admissis, non habet locum solutio; sed omnia nostra argumenta suam retinent vim.

12 Tum, quia potestas illa, quam antecedentem, & absolutam vocas, ad omissionem optimi non est vera; sed chymærica prorsus potestas ad eam omissionem. Nam chymærica est potestas ad omissionem nullo modo coniungibilis cum ipsa. Ea vero, quam vocas potestatem antecedentem, nullo modo est coniungibilis cum ea omissione: quippè nihil est vere coniungibile cum extremo essentialitèr inferente *non-esse* Dei, cuiusmodi extremum est, pet te, talis omissio. Explicatur efficacitèr. Prædicatum illud diuinum, in quo stat ea potestas physica, & antecedens ad omissionem optimi, est essentialitèr connexum cum omni prædicato diuino necessario, vt patet: & consequentèr est essentialitèr connexum cum ipsa necessitate morali ad eligendum optimum. At hæc necessitas, iuxta principia, quæ nunc impugnamus, est omnino inconiungibilis cum omissione optimi: ergo tua illa potestas antecedens ad hanc omissionem est essentialitèr connexa, imò prorsus eadem realitèr cum prædicato omnino inconiungibili cum ea omissione. Patet autem, connexum essentialitèr, & realitèr identificatum cum prædicato prorsus inconiungibili cũ omissione esse prorsus inconiũgibile cum illa: ergo illa potestas antecedens ad omissionem est omnino cum hac inconiungibilis, quod est chymæricum.

13 Tum, quia nulla est vera libertas, & potestas in Deo, vt se opponat suis perfectionibus, & cõtradicat amori necessario perfectissimo, quo se ipsum amet. Omittere autem electionẽ optimi est, iuxta tua principia, pugnare cum eis perfectionibus, & amore. Vide num. 8. Tum quia, vbi nulla est libertas, & potestas ad ponendam essentiam rei, nulla est libertas, & potestas ad positionem ipsius rei. Nulla autem est in Deo libertas, aut potestas ad ponendam essentiam omittendi electionem optimi. Nam, vt eodem num. dicebam, essentia talis omissionis est excludere, vel supponere exclusum amorem necessarium Dei, ad quẽ nulla Deo potestas inest: ergo nulla est in Deo libertas, & potestas ad talem omissionẽ. Tum, quia omni vera libertate, & potestate caret ad prædictã omissionem, qui simul caret conditione essentialitèr requisita ad ipsam, & potestate, vt ea conditio detur. Patet autem ex n. 9. vtramque Deo carentiam competere respectiuè ad omissionem

nem optimi. Tùm, quia potentia essentialiter connexa cum impedimento alicuius exercitij, nec nomen quidem potestatis, & libertatis ad tale exercitium meretur: ideoque, si voluntas Christi esset essentialiter connexa cum vnione hypostatica essentialiter pugnante cum peccato, ne radicalis quidem, & remota potestas esset ad peccatū. Rursus, si voluntas nostra esset essentialiter connexa cum amore, nec radicalis quidem, & remota potestas esset ad omissionem amoris: nunquam enim tales voluntates accedere possent ad statum proximæ coniungibilitatis cum peccato, & cū omissione amoris: cum tamen de ratione potestatis remotæ sit posse accedere ad statum proximæ; sicut est de ratione proximæ posse accedere ad vltimum actum. At essentia diuina est essentialiter connexa cum amore Dei necessario & perfectissimo ita essentialiter pugnāte cum omissione optimi, vt, ea omissione posita, prorsus rueret: ergo nec nomen quidem physicæ libertatis, ac potestatis antecedentis, adhuc radicalis, & remotæ, meretur respectiuè ad omissionem optimi. Tandem, aliæ consequentiæ factæ num. 9 & 10. nullatenus per adhibitam solutionem eneruantur. Quamobrem hæc necessitas moralis ad electionem optimi consistens in prædicato diuino necessario, non solùm ex aliqua suppositione contingente; sed de se præcisè inconiungibili non solùm inconiungibilitate morali; sed etiam physica cum omissione eligendi optimum, haudquaquam admittenda est.

CAP. III.

Aduersariorum instantiæ.

1 ARgumenta nostra contra nos conātur aduersarij retorquere. Videamus, quo fructu. Instat P. Granado disp. 3. sect. 6. n. 32. in necessitate morali, quā sine speciali priuilegio habet homo ad peccandū venialiter. Formetur enim hic syllogismus * Si homo diutissimè sine speciali priuilegio non peccaret venialiter, nō esset homo. At homo non habet potentiā physicam, vt nō sit homo: ergo non habet potentiā physicam, vt diutissimè non peccet venialiter. * Tunc sic. Homo habet potentiā physicam, vt non peccet venialiter, ac proinde falsum est cōsequens præformati syllogismi; & tamen homo nō habet potestatē physicam præstādi per exercitia suæ libertatis, quōd ipse non fit homo, vt dicit minor eius syllogismi: & aliunde ex veritate maioris eiusdē syllogismi patet, cōditionē esse requisitā ad hoc, vt homo diutissimè citra speciale pri-

priuilegium non peccet venialiter, quòd ipse homo non sit homo: ergo similitèr nō benè colligitur, non habere Deum potestatem physicam ad omittendā electionem optimi ex eo, quòd non habeat potentiam physicam ad euitandum suum amorem necessarium; & aliundè talem amorem euitare sit conditio requisita ad eam omissionem. Placuit hanc instantiam ita proponere, vt apertius appareant eius vires, quas nonnulli consultò videntur tegere.

15 Huic instantiæ responderet aliquis, maiorem illius syllogismi præformati falsam esse, proindeque, quanuis arguendi forma sit legitima, non esse mirum, quòd consequens sit falsum. Porro maiorem illam esse falsam, probatur. Nam illa affirmat, hominem non fore hominem sub conditione, quòd sine speciali priuilegio exerceat suam libertatem, omittendo diutissimè peccatum veniale: hoc autem esse falsissimum patet; nam est dicere, hominem nō fore hominem sub conditione, quòd sit homo exercens prædicto modo suam libertatem. Quo fit, non esse conditionem requisitam ad hoc, vt homo diu non peccet venialiter, quòd ipse non sit homo: quippe, vt homo sit homo prædicto modo exercens suam libertatem, requiri non potest quòd homo non sit; potius requiritur quòd sit homo: ac proinde, quanuis non sit in potestate physicâ hominis, quòd homo non sit, poterit esse in potestate physica illius omittere diu peccata venialia. Hinc, nulla est instantia: quia, iuxta doctrinam impugnatam cap. 2. carentia amoris necessarij, quo Deus se perfectissimè amat, est conditio requisita ad omissionem eligendi optimum, ideòque Deus se amans necessario, & non potens physicè excludere talem amorem, non poterit physicè omittere electionem optimi.

16 Hæc tamen, quanuis acuta videantur, non tamen mihi sufficiunt. Licèt enim aliquomodo fugiant vim argumenti, vt à P. Granado proponitur; de cætero tamen vrgere potest instantia paulo aliter proposita. Si enim homo non potest absque speciali priuilegio vitare diù cūcta peccata venialia: ergo saltem est conditio requisita ad eā diuturnam vitationem gaudere speciali priuilegio Dei. At non est in potestate physica hominis; sed purè in libertate Dei, quòd homini concedatur tale speciale priuilegium; & tamen est in potestate physica hominis, quāuis non in potestate morali, diuturna vitatio peccatorum venialium: ergo bene stat, in aliquo dari potestatem physicam ad aliquod exercitium liberū, quanuis careat conditione requisita

ad

ad illud, deindeque non habeat physicam potestatem ad existentiam eius conditionis: ergo, quāuis in Deo neque sit carentia amoris necessarij, quo se ipsum perfectissimè amet, neque physica potestas ad eam carentiam; poterit tamen in ipso esse potestas physica ad omissionem eligendi optimum, tametsi condition sit ad eam omissionē requisita, Deum carere suo amore necessario.

17 Huic instantiæ triplex potest adhiberi solutio. *Prima* est, speciale priuilegiū Dei esse conditionem requisitam ad potestatem moralem vitationis diuturnæ peccatorum venialium; non tamen ad potestatem physicam. Ratio prioris est: quia ea est, iuxta præsentem statum, humanæ naturæ fragilitas, vt sit difficillimum per multum temporis ne in leuissimis quidem offendere, nisi ea difficultas aliquo specialissimo Dei dono superetur. Ratio posterioris est: quia, licèt longo temporis tractu abstinuerit homo ab omni peccato veniali, noluaque succedat occasio vel cadendi leuitèr, vel omninò standi, certè quanuis tunc sit valdè difficilè omninò stare cum solis communibus auxilijs; non tamē omninò impossibile: quippè semper auxilia communia conferunt *posse*; licèt non tribuant *facilè posse*. Hinc fit, cum, secluso speciali priuilegio, dentur in homine conditiones omnes requisitæ ad proximam potestatem physicam abstinendi diù à peccatis venialibus (quanuis non omnes requisitæ ad potestatem proximam moralem) nihilque detur physicè inconiungibile cum ea abstinentia, & à voluntate humana ineuitabile, sanè homo citra speciale priuilegium, citraque potestatem, vt tale priuilegium ipsi concedatur, habet quidem, quanuis non moralem; bene tamen physicam potestatem ad eā abstinentiam diuturnam. Aliud est in Deo se amante necessariò, & perfectissimè, comparato cū omissione eligendi optimum. Nam talis amor, iuxta aduersarios, est impedimentum ad talē omissionem incōiungibile physicè cum ipsâ; & aliundè nequit Deus physicè se expedire ab ipso. Hoc autem pugnat cum eo, quòd Deus possit habere potestatem physicè expeditam ad eiusmodi omissionem.

18 Sed hæc solutio videbitur difficilis, & fortassè non imeritò. Breuitèr attingamus difficultatem ex his, quæ, Deo dante, trademus accuratè tract. de necessitate gratiæ. Nam primò, dicentibus *absolutè* Concilijs impossibile esse vitam æternam promereri sine gratiâ, posset impunè dici, id quidem esse moralitèr impossibile; non tamen physicè. Quod quis ausit dicere? At Concilium Tridēt. sess. 6.

6. canone 23. absolutè ait, nisi ex speciali priuilegio impossibile esse in tota vita omnia venialia vitare: ergo non est admittenda sola impossibilitas moralis, simulque concedenda possibilitas physica. *Secundò.* Quia, vt loco citato expendam, Concilia, & PP. tàm impossibilē iudicant *eā diuturnam abstinentiam sine specialissima gratia*, quàm alia opera salutaria sine communi gratia. At hoc vltimum est impossibile physicè, iuxta omnes Theologos contra Pelagianos: ergo & primum.

19 Tandem audiatur Trid. can. cit. *Si quis hominem semel iustificatum dixerit amplius peccare non posse, neque gratiam amittere, atque ideo eum, qui labitur, & peccat, nunquam vere fuisse iustificatum; aut contra, posse in tota vita peccata omnia, etiam venialia, vitare, nisi ex speciali Dei priuilegio &c. anathema sit.* Iam sic ponderò. Non minus, aut aliter in præsenti statu Concilium vocat impossibile vitare in totâ vitâ peccata venialia sine speciali priuilegio, quàm impossibile censet, iuxta præsentem prouidentiam, iustificatione reddi hominem deinceps impeccabilem. At hoc vltimum non solùm moraliter; sed physicè, ac simpliciter est impossibile: ergo & primum, nisi voluntariè detorqueantur verba Concilij. Sed de hoc alibi ex professo.

20 Secunda solutio plausibilis est, scilicèt, neque posse Deum ex suppositione, neque absolutè omittere electionem optimi, si vera sunt principia aduersariorum. Non ex suppositione: quia Deus se amat necessario perfectissimè, & hæc suppositio, iuxta aduersarios, est incompossibilis cum eâ omissione. Non absolutè: nam existētiam eius suppositionis, id est, amoris necessarij nequit Deus euitare. Qui autem sic afficitur suppositione inconiungibili cum aliquo exercitio, vt nullâ potestate, etiam antecedente, possit existentiam eius suppositionis euitare, non habet potestatem absolutam ad tale exercitium, vt constat ex certissimis de libertate principijs. Cæterum homo, quanuis hîc, & nunc ex quâdam extrinsecâ positione non possit exercere diuturnam abstinentiam venialium sine speciali priuilegio; habet tamen absolutè potestatem physicam ad talem abstinentiam, quia potest antecedēte potestate existentiam eius suppositionis euitare. Id, quod breuitèr explicatur sic. Nam suppositio extrinseca, in vi cuius speciale priuilegium requiritur ad omissionem diuturnam venialium, non est aliud, quàm esse verum, quod homo relictus communi prouidētiæ non exercebit eam omissionem. Eâdem autem potestate physica, quæ à communi prouiden-

dentia defiuatur ad non peccandum, potest homo potestate antecedente præstare, quòd illud non sit verum, ac proinde potest ea potestate euitare existentiam eius suppositionis, in vi cuius requiritur speciale priuilegium ad omissionem diuturnam venialium.

21 At neque huic solutioni satis acquieſcimus. Tum quia, iuxta illam, est absolutè possibile complexum hoc: *Omittere tota vita peccata venialia sine speciali priuilegio*: quæ sequela nobis displicuit in prima solutione. Deinde, cum in rebus dogmaticis ad fidem pertinentibus opus sit religione conscientiæ, plusculum vrgetur id ipsum in hunc modum. Hęc propositio vera est absolutè prolata sine addito diminuente: *Qui tota vita non abstinuit à peccatis venialibus, potuit tota vita abstinere.* Nam absolutè, & simplicitèr est dignus pœna, quia non sic abstinuit; nō autem esset ita dignus absolutè, nisi absolutè potuisset abstinere. Non tamen est vera hæc propositio absolutè prolata sine addito diminuente: *Potuit tota vita abstinere à peccatis venialibus sine speciali priuilegio.* Nam huius, vt sic probatæ, contradictoria definita est in Concilio Tridentino supra. Tunc sic. Hæc posterior propositio esset tam absolutè vera, quàm prior, si subsisteret solutio data. At sequela falsa est, vt patuit: ergo solutio data non subsistit. Sequela probatur. Nā, iuxta eam solutionem, vt illam recolenti constabit, idem omninò sunt potestas antecedens cōmunibus auxilijs instructa ad abstinendum tota vitâ à venialibus, ac potestas antecedens ad abstinendum totâ vita à venialibus citra speciale priuilegium: ergo, cum detur *absolutè* prior potestas, etiam absolutè datur posterior, & consequentèr posterior propositio, quæ posteriorem asserit potestatem, tam absolutè erit vera, quàm prior, quę priorem potestatem asserit.

22 Tertiam solutionē, quæ nobis omninò placet, sumimus ex principijs, quæ habet tract. de Gratia Sapientissimus P. Gabriel Vazquez iam olim huius nostræ Cathedræ Moderator dignissimus, & in hac Florētissima Cōplutensi Vniuersitate celeberrimus. Concedimus libentèr totum syllogismum formatum in instantia, nempè, si homo totâ vita sine speciali priuilegio abstineret à venialibus, non fore hominem; sed chymæram (esto aliundè sequatur oppositū, quod in positionibus impossibilibus vsu venit.) Concedimus rursus, hominem non habere potestatem physicam ad præstandum, vt ipse nō sit homo, demumque cōcedimus, quòd hinc infertur, nempè, hominem non habere potestatem physicā ad hoc aggre-

gregatum * Abstinere totâ vita a venialibus sine speciali priuilegio * Et, vt omnia complectamur, admitto, conditionem esse requisitam ad prædictum aggregatum hominem non esse hominem; sed chymæram (esto, aliundè sequatur, non esse talem conditionem) deindeque concesso, non esse in potestate physica hominis præstare, quod ipse non sit homo; sed chymæra, si simul concedimus, in potestate physicâ hominis non esse prædictum aggregatum. Vndè præcisæ sunt instantiæ vires, quæ sumebātur ex eo, quòd homo, cui deficit conditio requisita ad aliquod exercitium, simul ipsi deficiente potestate physicâ, vt talis conditio existat, nihilominus habeat potestatem physicam ad tale exercitium.

23 Veritas huius solutionis, quę primo aspectu videbitur difficilis, constabit plenè, si nonnulla scitu digna considerentur. *Primum.* Id ipsum, quod est hominem instructum communibus auxilijs prævenientibus abstinere totâ vitâ à venialibus, includit speciale priuilegium consequentèr; non antecedenter. Ratio est: quia sicut sæpè conclamante Augustino, quem non semel adduximus in disp. de Prædest. ipsemet consensus actualis salutaris, ita est exercitiū nostræ libertatis, vt simul sit donum Dei ad nostram potestatem liberam consequens; ita hominem instructum communibus auxilijs prævenientibus abstinere tota vita à venialibus est specialissimū priuilegiū Dei consequens ad auxilia antecedētia nō specialia *de se*; sed cōmunia. Dixi *de se*: nā eo ipso quòd cū eis auxilijs intrinsecè, & antecedēter cōmunibus abstineret homo totâ vitâ à venialibus; iā ea auxilia intrinsecè, & antecedēter cōmunia, reddūtur ab extrinseco speciālia beneficia, eo quòd ea sint, quæ, si dentur, coniungentur infallibilitèr cum eâ vitatione venialium. De quo luculentèr nostri DD. tract. de auxilijs.

24 *Secundum.* Hinc fit. Sicut hoc aggregatum: *Cōsentire actualitèr sine actuali consensu* implicatorium est, & ad quod nulla vera potestas est, siuè illa dicatur antecedens, siue consequens, siuè physica, siue moralis; ita cōplexum hoc: *In hoc statu abstinere tota vita à venialibus sine speciali priuilegio*, est quid implicatoriū, ad quod nulla vera potestas est. Nam, vt consentire actualitèr dicit essentialitèr actualem consensum consequentem ad potestatem antecedentem consentiendi; ita tota vita abstinere, &c. dicit essentialiter speciale priuilegium consequens ad auxilia prævenientia eam abstinentiam. Hinc. *Tertio.* Sicut ad hoc, vt homo *consentiat sine consensu*, necesse est, hominem non esse

ve-

verum, & realem hominem; sed chymæricum: quia omnis consentiens sine consensu, chymæra est: vndè, cum in nulla potestate hominis situm sit non esse verum hominem; sed chymæricum, in nulla potestate hominis est *consentire sine consensu*; sic etiã ad hoc, vt in hoc statu homo *tota vita abstineat à venialibus sine speciali priuilegio, adhùc consequente*, necesse est, hominem nõ esse hominem verum; sed chymæram, quia chymærica est natura humana, cui in hoc statu nõ sit speciale priuilegium abstinere tota vitâ à venialibus: quapropter, cum nulli subsit potestati hominis ipsum non esse verum hominem; sed chymæram, nulli ipsius potestati subiacet tota vita abstinere, &c.

25 *Quartò.* Sicut aliud est, sine actuali consensu dari potestatem ad consentiendum actualiter; & aliud, dari potestatem ad hoc aggregatum: *cõsentire actualiter sine actuali consensu*: primũque possibile est: quia liberè omittens consensum habet sine actuali consensu potestatem ad consentiendum actualiter; secũdum autem est omninò chymæricum, vt patet; sic etiam aliud est, sine speciali priuilegio tam antecedente, quàm consequente dari potestatem physicam ad abstinendum tota vita à venialibus: & hoc est verum; nam, qui non ita abstinent, carent eo speciali priuilegio; & tamen, quia saltem habent potestatem physicam, vt non abstineant, reprehensibiles sunt propter non abstinentiam. Aliud autem est, dari potestatem physicam ad hoc aggregatum: *Abstinere tota vita à venialibus vitra speciale priuilegium tam consequens, quàm antecedens*: potestasque physica ad tale aggregatum chymærica est, vt constat ex dictis. Hinc *quintò*. Sicut homo per diuinam gratiam, quæ consensum præuenit salutarem, habet in sua libertate constitutum, sibique oblatum à Deo donum aliud diuinum ad præuenientem gratiam consequens, nempè, cõsensum ipsum salutarem; ita homo per communia diuinæ gratiæ auxilia, quæ diuturnam abstinẽtiam venialium præueniũt, habet in sua libertate situm, & à Deo oblatũ donum aliud specialissimum, quod potestate physica posset consequi ad talia communia auxilia, nimirum, abstinẽtiam diuturnam à venialibus, quæ rarissima est, specialissimũq; B. Mariæ priuilegium. Dixi: *potestate physica*. Nam ad tandiu ne in minimis quidem offendendum, præstant auxilia communia potestatem physicam, quæ difficillimè potest cum abstinentia tam diuturna coniungi; non vero moralem facilè cum eâdem abstinentia coniungibilem.

26 Instat secundò perdoctus

Fus-

Fuſter ſup. num. 287. in prædefinitionibus diuinis, quas libentèr admiſimus tract. de Prædeſt. Nam iſtæ arguendi formæ non concludunt * Si non fieret actus prędefinitus, fruſtraretur prędefinitio. At actus prædefinitus poteſt non fieri, nam alioquin non fieret liberè: ergo poterit fruſtrari prædefinitio * Vbi, quānis præmiſſæ ſint veræ; falſum tamen eſt conſequens. Item. * Non fieri actum prædefinitum eſt fruſtrari prædefinitionem. At poteſt non fieri actus prædefinitus: ergo poteſt fruſtrari prædefinitio *. Hîc etiam præmiſſæ ſunt veræ, & cōſequens falſum. Ergo paritèr non concludent iſtæ arguendi formæ; poteruntque præmiſſæ eſſe veræ, conſequensque falſum. * Si Deus non eligeret melius, non eſſet Deus. Poteſt non eligere melius: ergo poteſt non eſſe Deus *. Item * Deum non eligere melius eſt nō eſſe Deum. Poteſt Deus non eligere melius: ergo poteſt non eſſe Deus *. Cum igitur iſtæ ſint formæ, quibus arguimus, patet, nos arguere fallacitèr.

27 Sed certè has inſtātias nō vrgere, mihi eſt certiſsimum. Reſponſio eſt, formas illas arguendi legitimas eſſe, proindeq; conſequentiæ veriſsimæ forent, ſi præmiſſæ eſſent abſolutè veræ. Non autem ſunt abſolutè veræ. Nam in prima forma arguendi diſtinguenda eſt maior in hunc modum: Si non fieret actus prædefinitus *omiſſione actus coniuncta cum prædefinitione*, fruſtraretur prædefinitio, concedo maiorem: omiſsione diuiſa à prædefinitione, nego maiorem: & quia nequit actus prædefinitus non fieri per omiſsionem coniunctam cum prædefinitione; ſolùmque poteſt non fieri per omiſsionem à prædefinitione diuiſam, ideo non poteſt fruſtrari prædefinitio. Similitèr in ſecunda arguendi forma diſtinguenda eſt maior ſic. Non fieri actum prædefinitum *per omiſsionem actus coniunctam cum prædefinitione* eſt fruſtrari prædefinitionem, concedo maiorem; *per omiſsionem à prædefinitione diuiſam*, nego maiorem: & quia non poteſt actus omitti per omiſsionem coniunctam cum prædefinitione; ſed ſolùm per diuiſam, ideò prædefinitio fruſtrari non poteſt.

28 Explicatur, ne quis decipiatur incautè. Poſteriores, ac priores arguendi formæ legitimæ ſunt. At noſtri aduerſarij concedunt præmiſſas ſub ea ratione, ſub qua inferunt conſequens: vndè non poſſunt ritè aſſerere, cōſequēs eſſe falſum. Nos verò negamus præmiſſas ſub ea ratione, ſub qua inferunt conſequens: vndè non cogimur aſſerere, conſequens eſſe verum; ſed rectè poſſumus affirmare, falſum eſſe. Concedunt quidem aduer-

uersarij antecedens sub eâ ratione, sub quâ infertur consequens ex illo. Quia concedunt, posse fieri aliquid essentialiter incompossibile cum *esse* Dei; & sicut actu fieri tale incompossibile, est ratio optimè inferens *non esse Dei*; ita possibile esse tale incompossibile est ratio rectè inferens, possibile esse *non-esse Dei*. Nos verò negamus antecedens sub eâ ratione, sub quâ infert consequens. Nàm omittere amorem v. g. qui alioqui prædefinitus est, fiat dupliciter. *Primò* pro eodem, ac *omittere amorem præcisè*: & hoc non est omittere amorē cōiunctim cum prædefinitione amoris; potiùs est quid essentialitèr diuisum à prædefinitione amoris. Vndè neque talitèr omittere amorē; neque posse taliter omittere amorem rectè inferunt, vel frustrari actu, vel posse frustrari prædefinitionem: quippè actu frustrari prædefinitionem amoris est actu coniungi cum ipsâ carē tiam amoris; posseque frustrari est esse possibilem eam coniunctionem. Fateor, omittere amorem; posseque omittere amorem rectè inferre non existere; posseque non existere talē prædefinitionem.

29 Quocircà in hâc arguendi formâ * Non fieri actum amoris est ipsum non esse prædefinitum efficacitèr à Deo. At possibile est non fieri actum amoris: ergo possibile est, non esse efficacitèr prædefinitum à Deo * Hic, inquam, vbi libentèr cōcedimus præmissas, neque consequentiam negare possumus, neque cōsequens putare falsum; sed verissimum. Rursus in hoc modo argumentandi. * Actum efficacitèr prædefinitum omitti omissione coniunctâ cum prædefinitione est prædefinitionem frustrari. At possibile est, actum efficacitèr prædefinitum omitti omissione coniunctâ cum prædefinitione: ergo possibile est, prædefinitionem frustrari * Hic, inquam, si præmissas esse veras fateremur, neque possemus cō sequentiam negare, neque consequens putare falsum; at quia illud falsissimum putauimus tractatu de Prædestinat. disput. 12. à num. 14. quanuis maiorem propositi syllogismi veram esse putemus; minorem tamen falsissimam esse iudicamus. Et lanè nunquam potuit in meam mentem cadere, non esse rectissimā arguendi formam eam, quæ ducitur à potestate ad id, quod significatur per diffinitionem, ad potestatem ad id, quod significatur per definitum. Quis enim neget, optimè argui à potestate ad producendum animal rationale ad potestatem ad producendum hominem? Cum igitur diffinitio frustrādi diuinam præfinitionem efficacem sit cum ipsa coniungere carentiam actus præ-

prædefiniti, quis poterit negare, argumentum rectissimè duci à potestate ad hanc coniunctionē ad potestatem ad frustrationem? Sed de his plura in opere nostro de Concordia diuinorum actuū cum diuinâ, creatâque libertate, quod iam iam luci publicæ paramus. Aliorum solutio constat ex tract. de Prædest. & iterum constabit loc. cit. vbi videbimus, non aliter cum prædefinitione actus seruari potestatem ad omissionem actus, nisi quatenus in nobis manet potestas ad non-existentiam prædefinitionis; quemadmodum non aliter cum ipso consensu manet potestas ad dissensum, quàm manente potestate ad non-existentiam ipsius consensus.

CAP. IIII.

Aduersariorum argumenta.

30 OBijcitur primò. Nam Concilium Francoford. in Epist. ad Episc. Hispan. tom. 3. pag. 655. ait: *Credamus, Deum omnia velle, quæ meliora sunt.* Ex quibus sic. Non esset firmum fundamentum iucicandi, quòd Deus semper velit meliora, nisi necessitas, saltèm moralis, daretur in ipso ad sic volendum: ergo datur ea necessitas. Resp. *primò.* Videbimus infrà, firmum fundamentum ad persuasionem veritatis esse necessitatem moralem, quanuis non adeò strictam, vt ex carentiâ effectus inferatur non-existentia. Vnde dato, quòd ex eo loco deducatur aliqua moralis necessitas Dei ad meliora; non tamen infertur ea stricta necessitas, quam modo impugnamus contra P. Granado. Resp. *secundo.* Mens Concilij est, Deum ex suppositione finis efficacitèr intenti manere determinatum ad media optima in genere conducentiæ ad finem, vt explicui n. 4. ideoque Deus efficacitèr intendens, quòd homo Dei filius exhibeat ipsi Deo condignam satisfactionē pro peccato mortali, determinatus manet ex suppositione talis intentionis ad assumendam naturam humanam, quia citra eam assumptionē homo non erit filius Dei naturalis, prout ad eam satisfactionem exhibendam oportet, & consequentèr, tali assumptione seclusâ, Deus non faceret, quod optimum est in ordine ad finē efficacitèr intentum. Aliorum PP. mens ex dicendis in hâc disput. constabit.

31 Obijcitur secundò. Quisquis amat aliquem propter eius bonitatem perfectissimè, vult etiam ipsius bonum, & quidquid conducit ad perfectiorem statū ipsius. At Deus amat se perfectissimè propter sui bonitatē: ergo etiam vult, quæ ipsi sunt bona, & quidquid conducit ad perfe-

ctiorem statum ipsius. Cum igitur meliora conducant ad maiorem Dei gloriam, & cōsequētèr ad perfectiorem statū Dei, planè fit, vel Deum non amare perfectissimè se ipsum propter se ipsum, quod nefas est dicere; vel optima quæque sibi diligere. Confirmatur. Sicut aliquem amare est velle illi bonum; ita magis amare est velle illi maius bonum, ideoque, si creatura se amaret summo, quo posset, amore, eligeret sibi proculdubio quicquid sibi optimum esset, si sub eius potestatem caderet. At Deus ita se amat, vt non possit amplius se amare: ergo citra dubium sibi eligit, quidquid sibi optimum est. Hoc argumentum nimis probat, vt vidimus, nempè, necessitatem metaphysicam Dei ad optimum, quippè Deum se summe amare necessariū est, etiam metaphysicè.

32 Communis huius argumenti responsio, quanuis patiatur difficultates statim vincendas, mihi est sufficiens. Ea est. Amor erga aliquem, quantunuis summus, tantum determinat ad amandum illi ea bona, quæ necessaria sunt vt summè commodè, fœlicitèr, ac beatè se habeat; non illa, quæ neque ad eam fœlicitatem, neque ad ipsius incrementum requirūtur; sed potius in ordine ad hoc pro nihilo reputanda sunt. Huius generis posterioris; nō prioris apud Deū sunt quæque creata iuxta illud Iob 22. *Quid prodest Deo, si iustus fueris, aut quid ei confers, si immaculata fuerit vita tua.* Item Isaiæ 40.17. *Omnes gentes quasi non sint sic sunt coram eo, & quasi nihilum reputatæ sunt ei*: quapropter, quāuis Deus se ipsum propter se metipsum perfectissimè, summèque amet, talis amor ad nihil creatū sibi eligendum, ac diligendum determinat; sed satis est eo amore Deum amare sibi se ipsum, qui ad suam plenissimam fœlicitatem sibi sufficiētissimus est. Neque vrget, quòd ea, quæ sunt meliora, cōducant magis ad diuinam gloriam. Hoc enim non ita intelligendum est, quasi gaudium diuinum de obiecto creato meliori fit *maius* in genere afferentis maiorem voluptatem, quàm existentem in Deo, eo deficiente obiecto; sed in genere approbantis affectiuè, & appretiatiuè *magis* obiectum melius, quàm minus bonum.

33 Explicatur. Obiectum, quòd in se est melius, est etiam maioris æstimationis in cognitione, & affectu Dei: hi enim actus, vtpote rectissimi, adæquātur exactè meritis obiecti. Hinc actus charitatis, cæteris paribus, magis placet Deo, quàm actus temperantiæ, per amorem quidem strictum, si sumantur isti actus ante existentiam exercitam; per gaudium vero de existentia exercita eandem existentiam

tiam approbans, si sumantur quatenus iam existentes. Caterum hæc terminatio diuinæ voluntatis per modum gaudij ad bonum creatum existens, licèt respectiuè ad aliud obiectum minus bonum sit maior in genere æstimandi, & approbandi ipsum præ minori bono; neutrum tamen ex prædictis gaudijs maiorem affert Deo voluptatem, quàm aliud, quasi Deus alterum habens iucundiùs viuat, quàm habens alterum. Et ratio est. Nã adeò infinitam, & incrementi nesciam iucunditatem Deus habet de se ipso, præscindendo à gaudijs de bonis creatis vt existentibus, vt nullum gaudium de obiecto creato, quantũlibet bono, diuinam valeat delectationẽ augere. Sicut enim, vt notabam disput. 11. num. 57, & 58. adeò plenè capiuntur beati Deitatis clarè conspectæ dulcedine, vt cum illa non constet tristitia pro malis anteactis animũ crucians; bene tamen dispicentia doloris expers maiora peccata magis reprobans, quàm minora; sic Deus tàm infinitam circa se ipsum à se ipso comprehensum voluptatem habet, vt quanuis de bonis creatis gaudeat, magis, vel minus in genere apretiatiuo pro maioribus, vel minoribus ipsorum meritis; hæc tamen gaudia supra gaudium Dei de se ipso nullum afferant iucunditatis incrementum. ¶ Ex quibus patet ad confirmationem. Nam neque Deus, neque creaturæ, quãtumuis summè se ament, inde determinantur ad procuranda sibi bona, quæ nihil sunt in ordine ad commoditatem, felicitatem, ac beatitudinem ipsorum augendam.

34 Sed contra vrgebis, & obijcies tertiò. Quanuis bona creata non augeant beatitudinem Dei; tamẽ quò magis creaturæ diligunt Deum, eò magis eo amore impelluntur ad meliora bona creata procuranda ipsi Deo. At Deus incõparabilitèr magis se ipsum diligit, quã à creatura diligatur: ergò longissimè magis suo amore impellitur ad procuranda sibi meliora creata: impelletur ergò vsque ad necessitatem moralem ipsa procurandi. Confirmatur. Nam amare Deo ipsa bona extrinseca creata est Deum amare: ergo amare Deo maiora bona extrinseca creata est Deum magis amare. Cum ergo Deus non possit non se amare summè; non poterit non amare sibi optima quæque creata. Confirmatur secundò. Nam quò magis aliquis est bonus, eò magis inclinat, vt sua bona communicet alijs meliori modo, quo possit. Atqui Deus est infinitè bonus: ergo infinitè inclinat ad se communicandum optimo modo, quo possit: quod non est aliud, quàm producere optimum. Summa

autē, & infinita inclinatio Dei ad vnum vel nullam ad oppositum relinquit indifferentiam, vel eam solam, quæ sufficiens est dominio Dei, cui sufficit indifferentia physica; tametsi cum necessitate morali coniuncta: ergo prædicta inclinatio secum affert eiusmodi saltem necessitatem moralem ad optimum.

35 Ad argumentum (omissis solutionibus, quæ minùs mihi arridēt) respondeo. Concessa maiori, & minori, distinguendū est primum consequens: admittendumque est, Deum longissimè magis impelli ad procurandum sibi meliora, &c. quando sic impelli non sit contra ipsas perfectiones ipsius Dei amati; negandum tamen, quando contra illas sit. Hinc, secundum consequens est distinguendum in hunc modum: vsque ad necessitatem moralem tantam, vt Deus desineret esse Deus, si nō procuraret sibi meliora creata, nego consequentiam; non tantā (de qua nunc nō agimus, acturi in seqq.) transeat. Itaque creaturæ ex vehementiâ amoris, quo Deum amant, determinari possunt, vt melius præ minus bono creato procurent Deo. Nam in primis melius creatum præ minus bono magis Deo placet simplici affectū necessario, & approbatiuo eius boni; ac de cœtero talis vehementia amoris non pugnat cum perfectionibus rei amatæ. Cœterùm ipse Deus, quamuis incomparabiliter magis se diligat, quam à creaturis diligitur; is tamen amor necessarius Dei nequit ex eo excessu supra amorem, quo diligitur à creaturis, eam sortiri vehementiam inclinantem ad optimum creatum, vt si Deus non eligeret ipsum, desineret esse Deus, eoque amore necessario careret. Ratio est: quia vehementia inclinationis ad minora bona rei amatæ cum dispendio maiorum non auget; sed minuit eius rei amorem. At Deum tam vehementer propendere in bona creata sibi extrinseca, vt, eis non electis, desineret esse Deus, afferret Deo maiorum bonorum dispendiū. Nam, vt constat ex dictis, ea inclinatio non solùm moralem; sed etiam metaphysicam necessitatem Deo imponeret circa bonum creatum, quâ necessitate perfectissimum Dei dominium, summaque non indigentia alterius extra se tollerentur è medio: ergo &c.

36 Ad primam confirmationem respond. Amare Deo bona creata propter bonitatē diuinā est amare Deum. Item: *in creaturis* amare Deo maiora bona creata est Deū magis amare. Cæterū, quāuis Deus se summè amet, neq; possit aliud contingere; nō tamē necesse est, quod sibi amet maio-

maiora bona creata: quia *in ipso Deo* non est se amare magis, maiora potiùs, quàm minora bona creata sibi amare. Ratio est. Nã adeò perfectus, plenus, comprehensiuus, & vndequaque summus est amor necessarius, quo Deus se ipsum amat, tametsi præscindamus à libero respectu ad creaturas, vt tantus amor minimè patiatur crescere Deum ex aliâ formalitate liberâ circa creaturas in genere se amandi. At, cum semper amor creaturarum circa Deum imitatus sit, longeque inferior bonitate diuina, locus manet, vt amor creatus ex maioribus, & maioribus bonis procuratis Deo propter suam bonitatem magis, ac magis augescat. Id, quod magis cõstabit ex dicendis de actibus liberis Dei. ¶ Ad secundam confirmationem constat ex dictis ad argumentum. Fateor namque, quò melior est aliquis, eò magis ad optimam bonorum communicationem propendere intra limites inclinationis ad minora bona aliorum citra dispendium illorum, quæ maiora sunt, sibique magis intrinseca, & propria: vnde, concessa minore, distinguo consequens. Infinitè inclinat, &c. infinitate entitatiua talis inclinationis, concedo consequentiam: ea enim inclinatio, vtpote diuina, est quoad entitatem infinita. Infinitate in genere excludentis indifferentiã ad oppositum adeò, vt Deus oppositum eligens non esset Deus, nego consequentiam. Quapropter eiusmodi inclinatio non affert hanc necessitatem moralẽ, quam in præsenti excludimus, quippè quæ esset cum dispendio diuinarum perfectionum, vt explicatum est.

37 Obijcies quartò. Diuina voluntas est summè conformis diuinæ sapientiæ. Nam insanum esset dicere, diuinos affectus non esse summè conformes rectissimæ rationi. At summa sapientia dictat, melius esse eligere optimum, quàm omittere: ergo vel Deus non summè se conformat cum dictamine diuinæ sapientiæ, vel non omittit; sed eligit optimum. Confirmatur. Deus non potest velle malum: ergo neque minus bonum. Probatur consequentia. Sicut pugnat cum summa honestate Dei turpitèr velle; sic etiam minus honestè velle. At quia turpe esset velle malum, ideò in Deo necessitas est non volendi malum: ergo, quia minus honestum esset minus bonum velle, ideo necessitas in Deo erit non volendi minus bonum. Tandem alij confirmant. Nam optimum creatum in se ipso acceptum est melius, quàm eius negatio: ergo etiam melius est Deo existere simul cum optimo creato, quàm diuisim ab illo. At melior est necessitas moralis Dei ad meliorem sui

ſtatum, quàm plena indifferentia, vt in ſtatu exiſtat minus bono: ergò illa potius neceſsitas, quàm hæc indifferentia tribuenda eſt Deo.

38 Reſp. In primis argumẽtum, priorque confirmatio probarent, Deum, adhùc poteſtate phyſica, non poſſe omittere electionem optimi, quia non habet poteſtatem phyſicam, vt ſe exerceat, vel minus conformitèr ad rationem rectiſsimam, vel minus honeſtè. Deindè ad argumẽtum dicatur. Summa conformitas, quæ diuinæ voluntati cõpetere debet cum dictamine diuinæ ſapientiæ, ſtat in eo, vt eo modo ſe gerat diuina voluntas, quem ex parte ipſius voluntatis ſummè honeſtum eſſe iudicat diuina ſapientia; non in eo, vt operetur id, quod ex parte faciendorum optimũ phyſicè eſt: & quia Dei ſapientia iudicat, diuinam voluntatem ſummè honeſtè ſe gerere ſiue optimum creatum eligat; ſiue talem electionem omittat, vt videbimus agentes de ſumma honeſtate cuiuslibet exercitij liberi Dei, idcircò diuinæ voluntati competit, ſiue talem exerceat; ſiue omittat electionem, ea ſumma conformitas, quæ debet competere cum diuina ſapientia. Hinc, ad primam confirmationem, Deus eligens malum ſe gereret turpitèr, quod Deo eſt impoſsibile non ſolùm morali; ſed metaphyſica etiam impoſsibilitate. At Deus eligens, quod phyſicè eſt minus, quàm optimum creabile, neque ſe gereret turpitèr, cum ea turpitudo neque ex obiecto electo; neque aliunde proueniret: neque minus honeſtè ſe gereret: nam honeſtas diuinorum affectuum metienda non eſt ex obiectis melioribus, aut minus bonis in ordine phyſico; ſed ex ſubiecto eligente, & modo eligendi, vt ſuo loco dicemus.

39 Ad confirmationem vltimam. In primis arguentes ex ſuis principijs ſimiliter colligere debuiſſent, Deum produxiſſe ab æterno creaturas optimas. Nam ſocietas cum illis conſtituit Deũ in meliori ſtatu, quàm ſolitudo: Deuſque ad ſui meliorem ſtatũ poſsibilem, cuiuſmodi eſt apud aduerſarios coniunctio æterna cum creaturis, habet neceſsitatem moralem nunquam vacuã effectu ſuo. Deindè reſpõdetur, admittendo creaturam optimã meliorem eſſe in ſe ipſa phyſicè ſpectatam, quàm eius carentiã, & conſequentèr complexũ ex Deo, talique creatura melius eſſe cum hoc addito diminuente: *extenſiuè*, quàm Deum ſeorſim: id eſt, in eo complexo ſunt plures materialiter, ac numericè vnitates bonitatis entitatiuæ, quã in Deo ſeorſim. Verumtamen ſocietas cum ea creatura non eſt melior Deo, meliorque diuinitatis

tatis status, quàm ipsemet Deus acceptus secundùm se. Nam, vt supra dicebam, Deus secundùm se præcisè sumptus adeò sibi plenus, sufficiens, & in statu fœlicissimo est, vt nullius accessione possit in his rationibus crementum suscipere. Quapropter non est Deo melior, quàm oppositū, necessitas moralis ad productionem optimi, præsertim ea, quæ ex non electione optimi carentiam Dei inferret.

CAP. V.

Secunda pars nostræ sententiæ.

40 PRo clariori comprehensione totius nostræ sententiæ placuit distinctè tradere nonnullas assertiones, quanuis aliquæ sint ex se certissimæ, & apud omnes constantes. Assero secundò. Sumptâ illa rerum serie, vbi non est optimum; sed, quouis accepto, melius aliud accipiendum restat, nequit esse in Deo necessitas moralis ad electionem optimi talis seriei. Hæc assertio est euidens ex terminis, solumque ponitur, vt ex clarioribus ad obscuriora gradatim ascendentes planiori via metam veritatis attingamus. Nam impossibile est, Deum eligere optimum præ minus bono in eis extremis, vbi optimum non est. Id autem, circa quod datur moralis necessitas, non est impossibile, cum nunquam non detur id, quod moraliter est necessarium, & nunquam detur id, quod est impossibile: ergo implicat, dari in Deo necessitatem moralem ad electionem optimi illius ordinis, vbi optimum non est. Hinc: *Primo*, iuxta prænotata num. 3. inspecta serie omnium creaturarum possibilium, non potest esse in Deo necessita moralis decernendi omnium maximam. Nam hæc repugnans est. *Secundo*. Inspecta serie cunctarum inceptionum possibilium mundi, impossibilis est Deo necessitas moralis, vt det initium mundo ab inceptione omnium antiquissima. Nam, vt in physicis dicebamus, repugnat talis inceptio, qualibetque assignata, potuit Deus aliam anteriorem præmittere. *Tertiò*. Attenta serie numerorum omnium possibilium, repugnat Deo moralis necessitas decernendi numerum omnium maximum. Nam hic numerus contradictionem inuoluit, quippè, quouis assignato, maior alius accipiendus restat.

41 Assero tertiò. Sumptâ prædictâ rerum serie, in qua nulla creatura est optima, nulla creatura in ea serie inclusa est Deo moraliter necessaria ex eo præcisè, quòd præstet alteri creaturæ inferiori eiusdem seriei. Ratio est manifesta, datis his, quæ n. 3. posuimus ex physicis. Nam in ea serie infinitæ sunt creaturæ superiores, quæ præstant inferio-

ribus: quacũque namque ſumpta ſuperante aliam, ſupereſt accipienda alia, quæ ſuperat ipſam: ergo, ſi ipſarum aliqua Deo eſt moralitèr neceſſaria ex præcisa ratione ſuperandi aliam, conſequens planè eſt, infinitas eſſe Deo moralitèr neceſſarias, cum infinitæ ſint, quæ ſuperant alias. At implicat, infinitas creaturas eſſe Deo moralitèr neceſſarias: quod enim eſt Deo moralitèr neceſſarium, exiſtit actu; infinitum autem creaturarum neque actu exiſtit, nec poteſt actu exiſtere; ergo nulla creatura talis ſeriei eſt Deo moralitèr neceſſaria ex præciſa ratione ſuperandi aliam.

¶ Hinc infertur contra quàm videtur putare P. Granado, nihil purè creatum (vt modo nihil dicam de myſterio Incarnationis) determinate acceptum eſſe Deo neceſſarium moraliter ex eo præcisè, quòd cõparatum cum ſuo contradictorio præſtet eidẽ: cum enim infinita ſint, quæ ſuo contradictorio præſtant, ſi hoc præcisè ſumptum eſſet ſufficiens fundamentum neceſſitatis moralis ad vnum determinatè acceptũ, daretur paritèr in Deo neceſsitas moralis ad infinita determinatè accepta actualitèr producenda; cum tamen exphyſicis cum ipſo Granado poſuerimus, tale infinitum repugnare.

42 Aſſero quartò abſolutè. Ad nullum indiuiduum creabile determinatè in ſingulari acceptum datur in Deo neceſsitas moralis abſoluta, nempè independentèr ab omni ſuppoſitione contingente. Probatur primò ex dictis: quia fundamentum eius neceſsitatis moralis non eſt tale indiuiduum eſſe maximum omnium producibilium à Deo, quia tale maximum repugnat. Neque fundamentum eſt tale indiuiduum præſtare vel alijs ſibi inferioribus, vel ſuo contradictorio; neque tantum, vel tantum præſtare: quia, quantalibet aſsignatâ quantitate præſtantiæ, infinita ſunt, quæ tantundem ſuis inferioribus, ſuoque contradictorio præſtant; cum tamen Deo non inſit neceſsitas moralis ad infinita: ergo nullum eſt fundamentum eius neceſsitatis moralis. ¶ Probatur ſecundò. Non eſt Deo neceſſarium moralitèr illud extremũ, cuius aliquod oppoſitum non minus eſt bonum eligibile à Deo. Sed quodlibet indiuiduum creabile determinatè in ſingulari acceptum tale eſt, vt aliquod eius oppoſitum tam bonum, & eligibile ſit à Deo, quàm ipſum: ergò nullum indiuiduum creabile determinatè in ſingulari acceptum eſt moralitèr neceſſarium Deo. Maior, & conſequentia patent. Minor probatur, ſempèrque loquimur iuxta noſtram verioré ſententiã, quæ, quouis indiuiduo ſignato, defẽdit aliud, & aliud ſuperi⁹ in infinitũ eſſe producibile

à

à Deo. Tunc sic. Individuum A. v.g. tale est, vt tam bonum, tam eligibile, imò melius, & eligibilius, quam ipsum sit complexum ex individuo B. superiore individuo A. & ex negatione individui A. Sed tale complexum est oppositum individuo A. vtpotè includens eius negationē: idemque complexum est eligibile à Deo, vt patet, cum possit Deus decernere individuum superius, negatâ existentiâ individuo inferiori: ergo individuum A, v. g. determinatè, ac singillatim acceptū tale est, vt aliquod eius oppositum sit tam bonum, & eligibile à Deo, quàm ipsum individuum A. Cumque idem argumentum possit fieri in individuo B. comparato cum individuo C. præstantiori, & sic in reliquis, planè conficitur, nullum individuum creabile determinatè acceptum esse Deo moralitèr necessarium absolutè. Vnde infertur, nullam speciem infimam determinatè in se ipsa acceptam esse Deo moralitèr necessariam. Nam eædē rationes hîc vrgēt, posito ex physicis nullam speciē infimam ita esse omnium maximam, vt nulla præstantior producibilis sit à Deo. Quid de generibus superioribus? Commodius definiemus post assertionē sequentem.

43 Assero quintò. Datur in Deo necessitas moralis ad aliqua, quæ de se sunt contingentia, præstanda ex suppositione quòd alia contingentia præstiterit. V.g. ad hoc, vt Maria ab omnibus peccatis præseruetur ex suppositione, quòd eligatur in Matrem Dei. Item (in opinione, quæ solam admittit oppositionem moralem gratiæ sanctificantis cum peccato) ad hoc, vt homo nō sit in statu peccati mortalis ex suppositione, quod ornetur gratia sanctificante, & ad plura alia similia. Non ago de necessitate morali (quæ potius metaphysica est) ex cuius non expletione sequeretur, Deum non esse Deum; sed de benignori alia, quàm explicui num. 1. Hanc assertionem à fortiori tuētur, clarèque exprimunt P. Granado, & P. Ruiz iam citati, imo, si excipias P. Aldrete supra, nullum inuenio, qui sua scripta typis mandauerit, negantem assertionem nostram sub nostris terminis datam. Et iuxta illam saltem accipiendi videntur Patres, quos congerit P. Granado. & innumeri alij, quos P. Ruiz mirandâ eruditione producit, nec minus mirabili ingenio perpendit. Eandem assertionem perdocti nouiores ex nostris satis illustrāt. Quamobrem, pluribus alijs subtiliori calamo relictis, ex alijs libentissimè discens afferam breui, quæ mihi sufficiant.

44 Tota conclusionis probatio reducitur ad discursum, quē in hunc modum efformo. Non-

nullæ

nullæ sunt res contingentes, quę suapte naturâ probabile reddũt, aliquid aliud faciendum esse à Deo potius, quàm oppositum. Deinde, alijs, & alijs adiunctis, idem redditur probabilius, & & probabilius: ergo tot possunt adiuncta congeri ad eius rei existentiam conferentia, vt tandem fundent moralem certitudinẽ. At in hoc stat, esse in Deo necessitatem moralem ponẽdi talem rem ex suppositione talium circunstantiarũ: ergo datur in Deo, vel dari potest necessitas moralis ad positionem aliquorũ contingentium ex suppositione aliorum. Discursus est legitimus. Explicemus, & probemus singula. Prior pars antecedentis manifestè constare videtur. Nam Petrum per longissimum vitæ spatium vixisse honestissimè, ab omni abstinuisse peccato mortali, gratiamque baptismalem toto eo tempore conseruasse illibatam, quin etiam incredibilibus penè incrementis auxisse, ac per tantum temporis leuissimas duntaxat, & iam expiatas admisisse noxas, ea proculdubio sunt, quæ de se ipsis magnam probabilitatem afferunt, quòd ipse Petrus iam in extremis cõstitutus, vehementerque tentatus à Diabolo ad consensum læthalitèr turpem, obtinebit à Deo auxilium efficax ad victoriam tẽtationis, quod non minus humiliter, quàm instantèr postulat. Nõ ergo videtur dubitandum, res esse contingentes ex se ipsis reddentes valde probabile, aliquid aliud faciendum esse à Deo potius, quàm oppositum. Superuacaneum esset exempla alia conuehere, quando nullus iam erit, cui non occurrant innumera.

45 Hinc iam secunda pars antecedentis in aperto est. Si enim eis circunstantijs adiungatur, Beatissimam Virginẽ omnium suorum meritorum interpositione à Deo filio petere Petro concessionem auxilij efficacis pro articulo tanti momenti, nonne probabilitas de concessione talis auxilij magnopere creseet? Quis dubitet? Quid si præterea beati omnes cuncta sua merita, idem postulãtes, proponant Deo? Quid si ipse Christus D. idem orans sanguinem suum pretiosissimum, omniaque merita sua valoris infiniti repræsentet? Nonne magis, & magis probabilitas augescet? Quis aliud percipiat? Nonne hæc, & alia, quæ Deus posset adiũgere, nempè, alium Christum producere id ipsum exposcentem, æqualibus meritis, & laboribus diuino cõspectui oblatis, rem ipsam vsque ad moralem certitudinem afferent? Ita planè fatendum videtur. Idem igitur euentus, alijs & alijs adiunctis, ipsorum inspectâ natura, probabilior, & probabilior redditur (quæ erat secunda pars antecedentis) totque possunt

sunt congeri, vt ad moralem vsque certitudinem res ipsa perueniat (quæ erat prior consecutio antecedenti subiuncta.) Iam minor subsumpta negari non potest, nisi ad puras voces trahatur dissidium: neque nos aliam moralem necessitatem in præsenti volumus, vt constat ex tradita illius explicatione n. 1. Tandem vltimum consequens, quod est assertio nostra, legitimè infertur, vt patet.

46 Confirmatur primò. Nã, vt optime expendit P. Ruiz, fieret ex opposita sententia ratiocinationes plures, quæ in sacra Scriptura proponuntur, vel nullam, vel exiguam vim habere. *Primò* namque ex eo, quòd incredibile sit, vel Patrem daturũ esse lapidem Filio petenti panẽ, vel daturum esse serpentem, aut scorpionem petenti piscem, aut ouum, sic infert Christus D. Lucæ 11. *Si ergo vos, cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris; quanto magis Pater vester de cælo dabit spiritum bonum petentibus se?* Tunc sic. In hoc testimonio significatur, Deum ex eo quòd longissimè bonitate superet Patrem humanum, longè certius exauditurum esse hominũ preces, prout oportet, fatas, quàm Pater humanus exaudiat filiorum preces non porrigens nocua loco proficuorum, quæ petuntur. At in humanis preces filiorum, maximè charorum, moralem certitudinẽ fundant, quòd loco proficuorum, quæ à Filijs petuntur, non porriget Pater, quæ valdè sunt noxia: ergo preces creaturarum, prout oportet, fusè fundabũt lõgè melius certitudinẽ moralẽ, quòd ab optimo Deo exaudiẽtur. ¶ *Secũdo.* Deus ait Isaiæ 49. *Numquid obliuisci potest mulier infantem suum, vt nõ misereatur filio vteri sui? Etsi illa oblita fuerit; ego tamen non obliuiscar tui.* In hoc testimonio significatur, non minorem esse Deo inclinationem; sed maiorem, vt constat ex vltimis verbis, ad hoc, vt misereatur nostri, quàm in Matre, vt misereatur Filij, quem in vtero gestat. Sed ea Matris inclinatio sæpè accedit vsque ad moralem necessitatem: ergo pariter inclinatio diuina. Mitto plura alia Scripturæ testimonia. Tum, quia videri possunt optimè perpẽsa apud P. Ruiz. Tum, quia non addunt vires his, quæ præmisimus.

47 Cõfirmatur secundò. Qui magna animi renitentia, & quasi coactus extrinsecâ quâdam circumstantia præstat aliquod opus, habet necessitatem moralem, seclusâ eâ circumstantiâ, non præstandi tale opus. Atqui Deus, testantib⁹ Scripturâ, & PP. magnâ animi renitentia, & quasi coactus peccatis hominum, eosdẽ adiudicat æternis cruciatibus: ergo moralem habet necessitatem non infligendi tot, ac tanta ma-

mala ex suppositione innocentiæ. Maior constat in mercatore, qui, periculo vitæ imminente, proijcit merces in mare, moralem passurus necessitatem non proijciendi, cessante periculo. Minorem probant illa Scripturæ verba magni ponderis ex 6. Genes. *Videns Deus, quòd multa malitia hominũ esset in terra, & cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum omni tempore, pœnituit eum, quòd hominem fecisset in terra, & tactus dolore cordis intrinsecùs. Delebo, inquit, hominẽ, quem creaui, &c.* Vbi Chrysost. homil. 22. colum. antepenult. *Num volebã tanta eos pœna plecti? Ipsi me peccatorum immanitate ad tantam indignationem compulerunt.* Et quidem, cum ex ipsis terminis, seclusis aliis dispositionibus liberis Dei, vix credibile appareat, Deum addicere immanissimis, & æternis doloribus pro mero suo dominio creaturam innocentem, quam ipse Deus condidit (adeo, vt P. Arriaga 1. tomo disp. 39. num. 9. & 3. tom. disp. & sect. vltima metaphysicè impossibile censuerit) impossibile, saltem moraliter esse, videtur rationi consonum.

48 Confirmatur tertiò ratione, quæ post P. Ruiz meritò placuit doctissimis RR. cũ quibus duo ponimus ex communi, & vera Theologia in tract. de Fide. *Primum* est, mysteria nostræ fidei esse euidenter credibilia, nempè, eis motiuis persuaderi reuelata esse à Deo, vt sit manifestum, prudẽtissimè voluntatem imperare assensum, quo intellectus dicat: *Credo ita se habere, quia Deus id testatur.* Secundum est: ea argumenta, quibus prædicta credibilitas redditur euidẽs, vel ex omni, vel ex maiori parte non sunt metahysicè connexa cum existentia diuini testimonij talium mysteriorum; sed solùm connexione fundãte certitudinẽ moralem de existentia talis testimonij; ne alioquin, eius testimonij existentia reddita euidente, fidei meritum euertatur. His præmissis, vt verisimis, ex tract. de Fide, iam sic argumentor. Vel ex suppositione taũm argumentorũ credibilitatis Deo est prorsus libera, etiam moraliter, existentia diuini testimonij, vel moraliter necessaria? Si hoc secundum: iam intentum obtinuimus, nempè, quædã esse Deo moraliter necessaria ex suppositione aliorũ. Si primum: ergo talia argumenta non reddunt certam moraliter existentiam diuini testimonij, quod cum omni bonâ Theologiâ pugnat. Sequela patet, cum idem omnino sint, & ea argumenta fundare talem certitudinem moralem, & ex ipsorum suppositione necessariam Deo moraliter esse talis testimonij existentiam.

49 Confirmatur quartò. Nã, vt plurima omittam videnda apud

apud P. Ruiz, qui noua superaddendi spem nobis præripuit: ex quorundam suppositione quædam alia probabiliora sunt, quã contradictoria ipsorum. At hoc non staret, si firma essent fundamenta, quibus aduersariorum sententia nititur: ergo infirma sunt. Maior patet. Nam *primò*: posito quod B. Maria eligatur in Dei Matrem, probabilius est, ab omni peccato præseruandam esse, quàm non esse. *Secundò*: in opinione, quæ solam oppositionem moralem admittit inter gratiam, & peccatum, posito, quod Deus homini peccatori gratiam habitualem infundat, probabilius est, condonaturum esse, quàm non esse condonaturum peccatum. *Tertiò*: posito, quod homo per longissimum vitæ spatium honestissimè vixit, probabilius est, donandum esse à Deo, quàm non esse donandum decessu in gratia. *Quartò*: habentur alia exempla num. 45. & 46. Demum: ex suppositione, quod in hoc sæculo versentur scelera tissimi homines cunctis fortunæ bonis affluentes; & aliunde iustissimi alij virtutum omniũ exercitio summè diditi, nullis non ærumnis concussi, probabilius est, futurum esse potius, quàm non futurum aliud sæculum, vbi tanta inæqualitas ad æqualitatẽ redigatur, in magna miseria scelleratis iacentibus; iustis autem ad magnam fœlicitatẽ euectis. Ideoque veritatem istam gentiles ipsi Philosophi non ignorarunt. ¶ Videantur Plato in dialogo de immortalitate. Cicero lib. 1. Tusculan. pluraque alia apud Eugubinum lib. 9 de perenni Philosophia, Non tamen omittam præclara verba Mercurij Trimegistri cap. 10. quæ refert in libro aureo de timore Dei Sapientissimus P. Iacobus Salianus, cuius scripta omnium superant admirationem, siue propè summa hominis eruditio, mirabilis, & suauissima facundia, siue omnis historiæ varietas, siue grauis, & solida Theologia, siue exacta Scripturarum interpretatio, siue Christiana pietas spectentur. Mercurij verba sunt: *Cum animus ex suo corpore demigrarit, supremi Dæmonis, vel iudicis iudicio sistetur, vbi actionum suarum examen habiturus est, qui si iustitiæ, ac virtutis cultor extiterit, loca incolet meritis suis congruentia. Sin autem peccatorum sordibus inquinatum repererit, ex alto præcipitem aget in medias tẽpestates, & turbines aeris, aquæ, atque flammarum inter se confligẽtium. Vbi alternatim percussus modò in hanc, modò in illam agetur cum æternis pœnis. Itaque immortalitas animorũ nulli eius bono erit, neque vsui, nisi vt sententiam immutabilem subeant vltionis sempiternæ.*

50 Minor præformati discursus patet. Nam totum fundamen-

damentum aduersariorum ad hoc reuocatur, vt, ex quacunque suppositione maneat Deo possibile aliquid creatum omittere, adeò Deus manere debeat indifferens, vt illud ponat, & omittat, quòd æqualiter ipsius potestati subsit vtrùlibet, id petente plenissimâ sufficientia Dei, cunctasque creaturas penè nihil esse coram Deo. At hoc vel nihil probat, vel probat, quòd ex qualibet suppositione, ex qua possibile physicè Deo manserit extremum aliquod, eiusque contradictorium, æqualis sit indifferentia ad vtrumlibet, & consequentèr æqualis probabilitas vtriusque: ergo &c. Quapropter P. Aldrete præcipuus nostræ sententiæ aduersarius fatetur disput. 1. sect. 5. num. 6. & sect. 6. num. 7. prædictam indifferentiam ex eis suppositionibus in Deo manere: ergo prædictæ suppositiones vel eam maiorem probabilitatem non fundant; vel aduersariorum fundamenta infirma sunt.

CAP. VI.

Impugnatis aduersariorum solutionibus, firmatur superior doctrina, & expositio nostræ sententiæ concluditur.

51 PAter Bernardus de Aldrete supra citatus duobus vtitur, vt quintæ nostræ assertionis fundamēta diruat. *Primum* est, necessitatem moralem Dei, vt ex aliquorum positione quædam alia præstet, non venire ex ipsis rebus creatis; sed præcisè ex quâdam complacentia, quæ, etiam ex hypothesi talium rerum creatarum, Deo est libera physicâ, moralique libertate, per quam complacentiam Deus vehementer inclinat vsque ad necessitatem moralem, vt talia, vel talia præstet. Sic Deo pro sua plenissima libertate exercente complacentiā circa rerum salutarium concessionem, talibus, vel talibus circumstantijs positis, moralis ineſt necessitas, vt ea dona salutaria concedat, non quia positis eis circumstantijs creatis, & præscindendo ab ea complacentia prorsus libera, necessarium moralitèr Deo sit cōcedere talia dona; sed quia prædicta vehemens complacentia libera talem necessitatem induxit. *Secundum* est, magnam illam probabilitatem, quam res aliquæ creatæ plurimùm proportionatæ ad aliarum existentiam, afferunt, vt istæ aliæ existant, non sumi ex eo, quòd res illę, vel minima ex parte excludant diuinā indifferentiam, vt eis alijs rebus concedat, vel deneget existentiam; sed ex eo, quòd ferè semper contingat, positis rebus tantæ proportionis ad alias, has alias existere, casusque rari non præsumun-

sumuntur. Sic, licet interdum euenerit, quòd Petrus amens aliquem hominem occiderit, certè postquam diutissimo constet experimẽto, quòd nullum alium enecauerit; inde præcisè probabilissimum erit, non esse interfecturum alium, neque oppositum timendum erit: & quò magis experimentum creuerit, eò magis probabilitas augescet. Hęc illustrat satis acutè author iste ingeniosus per totam disp. 2. iam citatam.

52 Non tamen videtur satisfacere. *Primò*. Nam, vt patet ex num. 46. vt Deus reddat homines securos, quòd orationibus ritè fusis annuet, comparat suam bonitatem cum malitia Patris humani; exaudientis tamen filiorum preces. At hæc comparatio non esset ad rem, si bonitas diuina indifferentem paritèr relinquit Deũ, vt annuat, & vt renuat; & vt talem complacentiã liberam exerceat, & non exerceat: ergo, stante præcisè diuina bonitate, prædictisque orationibus, non manet æqualis indifferentia in Deo, vt annuat, & vt renuat. *Secundò*. Nam maiorẽ probabilitatem, necessitatẽve moralem vnius euentus potius, quã oppositi, fundant Patres in prædicatis necessarijs Dei, vt coniunctis cum suppositionib⁹ creatis, non facta mentione complacentiæ liberæ, neque frequentiæ similium euentuum in suppositionibus consimilibus. Hoc autem vitiosum esset, si fundamẽtum vel vnicum, vel necessariũ eius maioris probabilitatis, & necessitatis esset prædicta complacentia, vel frequẽtia. Assumptũ (vt omittam innumera breuitatis causa) satis manifestè probant egregia verba Clement. Rom. lib. 3. recogn. propè medium, vbi sic ait: *Cum certum sit, Deum iustum esse, necessarium; & consequens est, aliud esse sæculum, in quo quisque pro meritis recipiens iustitiam Dei probet*: pauciſque interpositis: *Hoc ipsum, quod in præsenti vita non redditur vnicuique pro actibus suis, fidem indubitabilem facit scientibus Deum esse iustum, quòd iudicium erit*. Ecce bonorum, & malorum hominũ facinera ex coniunctione cum iustitia necessaria Dei, præscindendo ab alijs actibus diuinis liberis, necessariam moraliter, & indubitatam reddunt alterius sęculi pro meritis retributionem.

53 *Tertiò*. Quia videtur ex ie notissimum, quòd non solùm lumine supernaturali; sed lumine naturali, verissimum omnious appareat, maiorem probabilitatem afferre, cæteris partibus, ad obtinendum a Deo desideratũ euentum sanctorum, quàm peccatorum preces; ac deinde maiorem preces sanctiorũ, quàm minus sanctorum. At non stat hæc maior probabilitas cum æquali prorsus indifferentia Dei ex

ex suppositione talium precum ad concessionem, ac denegationem euentus desiderati: ergo ex hac suppositione lumine naturæ sublucet omnibus, talem indifferentiam prorsus æquabilē non dari. At complacentia ita penitus Deo libera, vt æquè possit eā habere, & non habere ex prædictis suppositionibus, non splendet naturali lumine; sed solâ potest reuelatione supernaturali deprehendi: ergo vel naturale lumen omnes fallit, quod temerè dixeris, vel probabilitates istæ non innituntur in eâ complacētiâ. ¶ Neque satisfacies, si recurras ad frequētiam, cuius meminimus num. 51. Nam independenter ab eo, quòd hoc, vel illud in plurimis occasionibus euenerit, ex ipsis proportionib⁹ rerum naturis intrinsecis aptius medium est ad obtinendum à Deo finem honestum supplices preces ipsi Deo fundere, quàm non fundere: nam alioquin non magis de se impetratoria esset oratio, quàm non-oratio: ergo ex ipsis rerum naturis propinquior existentiæ redditur obtentio finis interuentu talium orationum, quàm his seclusis. Cum igitur hæc maior ad existendum propinquitas non cohæreat cum æquali indifferentiâ Dei ad concessionem, ac denegationem euentus petiti, patet ex ipsa natura orationum, præscindendo à frequentia, & complacentia cōmemoratis, æqualitatē ad vtrūlibet in eâ indifferentiâ nō stare. Certe, nisi vehementèr fallor, si homo citra omne similium rerum experimentum, & citra notitiam actuum, quos Deus in se exercet, non habitâ ratione rerum creatarum quodam modo ad vnum potius, quàm ad aliud determinantium; sed pro mero suo arbitratu in magna quâdam indigentia se inueniret, simulque cognosceret infinitam Dei misericordiam, absque dubio, natura duce, tanquam ad medium aptissimum pro indifferentia diuina inclinanda potius ad auxiliū eius indigentiæ, quam ad oppositum, recurreret ad supplicem orationem.

54 Quartò. Nam mihi semper durum satis apparet, posita in B. Virgine præstantissima illa dignitate Matris Dei, æque indifferentem manere Deum, ac ea dignitate secluſa, si præcisè inspiciamus rerum naturas, vt tam præcellenti creaturæ permittat odium Dei, quàm vt non permittat. Aliisque prætermissis exemplis, quæ possunt ex dictis colligi: demum arguo prænotans id ipsum, quod optimè vidit P. Aldrete disp. 1. sect. 4. n. 1. in testimonijs Scripturæ, vbi ex paternali prouidentia creatorū parentum erga filios ostenditur paternalis prouidentia Dei erga creaturas, non esse sermonem ex suppositione diuini decreti circa

circa paternalem hanc prouidentiam; sed potius offendi, dari in Deo tale decretū ex inclinatione creatorum parentum, vt paternaliter filijs prouideant. Hoc posito, cuius veritas manifesta erit legenti testimonia, sic disputo. Non est inconueniens, hunc mundum, quatenus vehementer placentem Deo per complacentiam liberā, relinquere Deo potestatem physicam non producendi mundum; & tamen imponere necessitatem moralē producendi: ergo non erit inconueniens, dignitatē Matris Dei, quatenus efficaciter decretā à Deo Beatissimæ Mariæ, relinquere Deo potestatem physicam non sanctificandi Mariam; & tamen imponere necessitatem moralē sanctificādi. Probatur cōsequentia. Ideo casus antecedentis expers est incommodis, quia in eo casu relinquitur in Deo physica indifferentia producendi, & non producendi; & aliunde moralis necessitas, quæ datur ad producendum, prouenit ex creaturis, vt terminantibus diuinæ libertatis exercitium, quod Deus posuit pro suo arbitratu potens illud nō ponere. At etiam in casu consequentis relinquitur in Deo physica indifferentia sanctificandi, & non sanctificādi Mariā; aliunde quē moralis necessitas, quæ datur ad sanctificationem, prouenit ex dignitate Matris Dei, vt terminante decretum efficax Dei, quod Deus exercuit pro suo arbitratu, potens non exercere: ergo etiam casus consequentis vocat incommodo.

55 Respondebis, in casu antecedentis prouenire Deo necessitatem moralē ex obiecto creato; cumque obiecta creata pene nihil sint coram Deo, inconueniens est, quòd vsque ad necessitatem moralem determinent Deum ad decretum efficax ipsorum: at in alio euentu tibi Deus liberrimè imponit necessitatem moralem ex vehementia sui affectus, & in hoc nullum apparet inconueniens. Non tamen acquiesco. Nam primo: in neutro casu determinatur *physicè* Deus ab obiecto creato ad decretum efficax circa creaturā; sed in vtroque *intentionaliter* interuētu diuinorum actuum immediatè determinantium: nā in neutro casu physicum *esse* obiecti creati per se ipsum acceptum ponit prædictū decretū; sed in altero determinat moraliter immediatè cōplacentia Dei circa obiectū creatū; in altero verò visio Dei circa creatū obiectū magnæ admodū proportionis ad decretū efficax alterius. Secundò. In vtroque casu liberrimè tibi Deus imponit necessitatem moralē. In altero quidem plenissima exercens libertate vehementem illam complacentiam; in altero verò non minus liberè ponens obiectum illud creatum magnæ

admodum proportionis ad decernendum aliud. Tertiò tandē nihil prohibet, quominus vnum obiectum creatum, vt terminās aliquem actum diuinum, determinet moralitèr Deum ad positionē alterius: ergo, sicut in casu antecedentis nullum est inconueniens; ita neq; consequentis. Hæc tertia pars, in qua stat difficultas, probatur. Tum quia, licet gloria hominum, vt corona meritorum, quippè quæ est quid creatum, sit pene nihil in cōspectu Dei; tamen, vt terminans decretum efficax Dei, determinat metaphysicè Deum ad decretū meritorū, eo quòd gloria, vt corona, tantam habeat connexionem cum meritis, vt metaphysicè sit impossibile sine illis consistere, Item: quanuis ex cōmuni sententia *non-esse* Petri, v.g. nihil sit & in se, & apud Deum; id tamen *non-esse* determinat metaphysicè Deum ad *non-esse* testimonij diuini de existentia Petri: ergo, tametsi dignitas, v.g. Maternitatis Deiparæ sit aliquid creatum, poterit Deum moraliter determinare, vt tātæ Matris peccatū excludat, eo quòd ea dignitas tantam habeat proportionem cum exclusione peccati, vt non sit prudenter credibile, componi cum peccato.

56 Assero vltimò. Verosimilius est, dari in Deo necessitatem moralem absolutam ad ea rerum genera, quorum perfectio compensari nequit per alia genera rerum. Explicatur conclusio. Sunt genera rerum, quibus ex toto non productis, nihil existere potest, quo tanta perfectio detur in rebus, ac illis generibus productis. V.g. si ex toto omittatur productio huius generis. ✻ Ens creatum ✻ dabitur in rebus solus Deus, ideoque, tali genere ex toto non producto, nequeunt esse in rebus tot perfectiones, extensiuè loquēdo, quot darētur, eo genere ex parte producto. Similitèr genus hoc ✻ Substantia creata intellectualis ✻ tale genus est, iuxta communem sensum, vt, eo genere nullatenus producto, nequeat in rebus dari tanta æstimabilitas, quanta daretur, posità substantia intellectuali: quia, iuxta cōmunē sensum, quantælibet res creatæ non intellectuales non æquiualent substantiæ creatæ intellectuali: & sic poterit quisque nonnulla alia genera percurrere. Dico ergo, verosimilius esse, Deū habere necessitatem moralem absolutā, hoc est, independentèr à suppositionibus cōtingentibus, ad hoc vt hæc genera existant in rebus: non quidem ad hoc, vt existant in aliqua signatā specie infima neque ad hoc, vt existant in tali determinato numero individuorum, vt constat ex superioribus assertionibus; sed ad hoc, vt non deficiant adæquatè.

57 Probatur assertio iam ex-

pli-

plicata, in qua conuenio cũ PP. Ruiz, & Granado, doctisq; RR. quã satis probabiliter colligunt *primò* ex D. Dionisio cap. 4. de diuin. nomin. illis verbis, in quibus de amore diuino agens ait. *Ipse enim bonus author eorũ, quæ sunt, amor, cum prius in ipso bono excellenti, præstantique ratione esset, non passus est, ipsum in se sterilẽ, & infœcundũ manere; sed eum impulit ad agendum singulari abundantia, quæ est procreatrix omniũ.* Vbi vides, amorem illum necessarium, quo Deus in se ipso summo bono primitus quiescit, *impulisse*, neque *passum esse*, quominus ipse Deus in creationẽ erumperet. At ea verba: *impulit, nõ est passus*, magnam quandam vehementiam ad creationem inclinantem significant longe minus relinquentem Deum indifferentem ad non-creationem: eaque vehemẽti inclinatione concessa, & fundata in amore necessario Dei, non est cur negetur moralis necessitas, de qua loquimur, vt benè vident aduersarij: ergo verosimile est, talem dari necessitatem moralem ad aliqua saltẽ genera rerum. *Secundo.* Clarius hoc expressit Nicetas Petri discipulus, eodem Apostolo præsente, & approbãte apud Clem. Rom. lib 8. Recognit. pag. 3. illis verbis: *Quod ergo immensum est, bonitate Pater est, virtute cõditor. Neque ergo cõdendi virtus in immensũ cessare potuit, neque bonitas otiari: sed ad substituẽda ea, quæ sũt bonitate: ad cõponẽda, & firmanda virtute prouocatur.* Vbi cernere est ipsis necessarijs attributis bonitatis, & virtutis Deum vehementer induci, hoc enim sonat *prouocari*, quominus eius procreatrix virtus non otietur.

58 Tertiò. Nã, vt latis manet stabilitũ in assertione præcedẽte, quædã res creatæ, vt existẽtes, ac terminatæ scientiã visionis Dei, possunt Deũ impellere vsque ad necessitatẽ moralẽ ad hoc, vt eis rebus alias adiungat, eo quod in hoc cõsortio aliarũ cũ alijs magna admodũ cõsonãtia splendet: ergo saltẽ ea rerum genera, quæ assignauimꝰ, vt possibilia, terminantiaque scientiã simplicis intelligentiæ, poterunt Deũ impellere vsque ad necessitatẽ moralẽ ad ipsarũ productionẽ, eo quòd in generibus prædictis tam magna cõuenientia productionis apparet, vt incremẽtum extensiuũ perfectionum ex ea productione proueniens nulla alia re incõpossibili cum eis generibus cõpensabile sit. Cõfirmatur. Iũctis enim, quæ diximus disp. 13. & in hac disp. n 34 & 35. Deus ex sua immensa bonitate, & ex amore summo, quo se diligit adeo, vt nequeat se magis diligere, cõplacet necessariò in omni creatura possibili bona, magisq; vel minus, quò magis, vel minus tales creaturę imitãtur perfectionem diuinam, tantoq; amore, ac tam

vehemẽtèr inclinante ad existentiã talium creaturarum, quã potest inclinare citra dispẽdium perfectionũ diuinarũ. At fine dispendio diuinarum perfectionum complacentia necessaria circa ea rerum genera, quorum perfectio nullo ipsis oppositõ cõpensari valet, potest vtq; ad necessitatem moralẽ inclinare ad eorum generũ productionẽ, vt ex argumẽtorum solutione constabit. Non ergo negada videtur ea talis cõplacẽtiæ necessariæ vehementia, quæ necessitatem moralem importet.

59 Ex his primò videtur inferri, quod substantia supernaturalis, cui deberetur visio beata, existeret de facto, si possibilis esset. Nã, quæ necessaria sunt moraliter, imprudẽtissimè putantur nõ existere, nisi cogat euidentia de nõ-existẽtiâ. At ea substantia supernaturalis esset moraliter necessaria, si esset possibilis. Nam si genus hoc: *Substantia creata intellectualis* tale est, vt nullo sibi oppositõ cõpensari valeat, ideoq; est necessariũ moraliter; similiter genus hoc: *Substantia creata, cui debeatur visio beata*, tale erit, vt nullo sibi oppositõ cõpensari valeat, vnde similiter erit necessarium moraliter. Secundò infertur, nõ solũ existere de facto genus hoc: *Natura intellectualis vnita hypostatice Deo*; sed etiã esse necessariũ moraliter: nam hoc genus tam superioris ordinis est, vt nullo sibi oppositõ cõpẽsabile sit. Nõ tamẽ idcirco necessariũ moraliter erit, naturã humanam vniri hypostatice Deo: hoc enim satis cõpensabitur per cõplexum ex carentia huius vnionis, & ex vnione hypostaticâ naturæ Angelicæ.

60 Vnde fit tertiò Tametsi indepẽdenter à peccato daretur, Deũ cõmunicari per vnionẽ hypostaticã alicui naturæ creatæ: quippe prætãtia talis cõmunicationis est moraliter necessaria, præscindẽdo à peccato; cuiri his tamẽ rectè stat, nisi aliud obstet, quod nõ daretur incarnatio, nẽpè vnio hypostatica naturæ humanæ cũ diuinâ, deficiẽte peccato. De qua re nihil nunc dehnio, nõ enim expedit hic perfunctorè tractare grauissimã quæstionẽ, quæ tuam obtinet sedẽ tract. de Verbo Incarnato. Tandẽ pro intelligẽtia Patrũ innumeris testimonijs afferẽtiũ, Deũ sẽper velle, quod est optimũ, obseruetur, alios intẽdere, quod sẽper velit optimũ in genere cõducẽtis infallibiliter ad finẽ efficacitèr intẽtũ a Deo; alios, quod sẽper velit optimũ in genere moris in ordine ad honestatẽ electionis diuinæ. Nã, vt in sequẽtib⁹ exponemus quidquid eligitur à Deo, ipse Deus eligit per honestissimã electionẽ, quæ in genere honestatis à nulla alia electione superari potest; alios, quod sẽper, vel quasi sẽper, id est, plerũque velit optimũ in

in genere explendi proximas, & absolutas exigentias, quas huius vniuersi rebus ipse Deus indidit; alios, quod semper velit optimũ in genere excludendi à suis volitionibus omnem rationalem reprehensibilitatem; alios, semper velle optimũ quoad genera tam præstantis ordinis, vt bonũ vniuersi nullo talibus generibus opposito compensabile sit.

CAP. VII.

Argumenta contra nostram sententiam.

61 COntẽdunt alia, Deum ad nihil creatum, siue accipiatur in indiuiduo, siue in specie, siue in genere, siue absolutè, siue ex suppositione, necessitatẽ moralem habere: alia verò præcisè impugnant necessitatẽ moralem ad aliqua ex suppositione contingente aliorum. Percurremus omnia, quá possim⁹, breuitate, claritateque. *Primò* obijcitur, admittẽdam non esse necessitatem moralem Dei ad assignata genera (de qua necessitate nunc loquimur) quia ex nullo capite prouenire potest: neq; enim ex eo, quod Deus omittens ea genera non esset summe fœlix: si enim hoc verum esset, talis necessitas nõ solùm esset moralis; sed metaphysica, vt ex superioribus patet; neque ex eo, quòd Deus nõ eligens ea genera minus honestè se gereret in genere moris, quàm eligens ipsa. Nã, vt cõstabit ex dicẽdis, omnes electiones diuinæ sunt honestissimæ, & in hoc genere omnino æquales: ergo non est, vnde talis necessitas moralis proueniat. ¶ Resp. Talis necessitas moralis ex neutro istorum capitum prouenit; fundatur tamen in summâ bonitate Dei, & inclinatione ad se cõmunicandum alijs independenter ab emolumento proprio, nõ vt inde fœlicitatẽ ipse accipiat; sed vt alijs perfectionẽ impẽdat, in quâ tãti authoris bonitas splẽdeat, ad quam cõmunicationem vehementius, ac vehementius propẽdet pro minori, vel maiore dignitate perfectionis producendæ, tantaq; vehemẽtia, quãtã diuinarũ perfectionũ indemnitas patitur: & quia perfectiones diuinæ prorsus illæsæ manẽt, tametsi talis vehementia in ordine ad genera illorũ superiorum ordinum vsque ad moralẽ necessitatem accedat, vt contendimus, ideo pro ea necessitate stamus.

62 Sed contra obijcies secundò. Ex hac solutione sequitur necessitas metaphysica Dei ad productionem eorum generũ. Probatur sequela, quæ citra dubium est absurda. Nam qui necessitate morali premitur ad aliquid præstandũ, si non præstat illud, magnam sibi vim infert, quæ magnã affert molestiam, vt constat in nobis contra propriam, eamque

vehemẽtem inclinationem obluctantibus. At impossibile est, etiam metaphysica impossibilitate, Deum sibi magnam inferre vim afferentem molestiam: ergo; posita necessitate morali, quam ad productionem prædictorum generum defendimus, impossibilis erit Deo, etiam metaphysicè, non-productio ipsorum, & consequentèr eorũ productio erit metaphysicè necessaria. In primis hoc argumento nõ possunt vti, qui volũt, Deo venire necessitatem moralẽ ad productionem huius mundi ex vehementi cõplacentia libera circa productionem coniungibili cum non-productione. Nam cum ea complacentia possibile esset cõiungi non-productionem; & aliunde foret impossibile, quia talis coniunctio esset sibi Deum inferre magnam vim. ¶ Deinde negatur sequela. Ad probationẽ dicatur. Si Deus ea genera non produceret, non pateretur violentiam, aut molestiam. Non violentiam: quia non daretur ab extrinseco vis detinens inclinationem intrinsecam Dei; sed ipse Deus pro mera sua libertate se determinaret ad non acquiescendum tali inclinationi. Non molestiam: quia Deus per gaudium essentiale necessarium circa se ipsum, vt optimum, ac sufficientissimum sibi, ea plenitudine suauitatis est delibutus, quę omnẽ prorsus molestiã excludit circa alia, quocunq; modo se gerat; sicut propter eandẽ rationẽ, tametsi magnã habeat displicentiam circa grauissimas offensas contra ipsum cõmissas; non tamẽ vllam tristitiã: & hæc est solida solutio argumẽti propositi disp. 13. n. 20 quod aliter ibi soluimus ex mente aliorum. Iam verò nos contrauenientes inclinationibus nostris vim afferentem molestiã nobis inferimus, quia non sumus aliunde in statu fœlicissimo molestiam omnem absorbente, quouis modo nos geramus cum eis inclinationibus.

63 Obijcies tertiò, prædictã necessitatem moralem contra plures esse perfectiones diuinas. *Primò* contra plenissimam libertatem Dei facillimè potentis cuncta genera creabilia relinquere in suo nihilo. Nam moralis necessitas ad vnum, reddit oppositum difficillimum. *Secundò* cõtra maximam liberalitatẽ, ac beneficẽtiam Dei, dignitatemque, vt ipsi agantur gratię propter beneficia collata: hæc enim omnia decrescunt, decrescente libertate. *Tertiò* contra plenissimam sufficiẽtiam Dei intra se, & non-indigentiam aliorum ad extra. Nam, vt pulchrè D. Aug. lib 83. qq. q. 22. *Vbi nulla indigentia, nulla necessitas: vbi nullus defectus, nulla indigentia: nullus autem defectus in Deo: ergo nulla necessitas.* Quo testimonio euertitur moralis necessitas. Tum, quia

quia euertitur omnis necessitas, quarum aliqua est moralis necessitas, vt patet in necessitate non abstinendi diu in hoc fragili statu ab omni peccato veniali. Tum, quia defectus necessitatis fundatur in defectu indigentiæ, & consequenter vbi cuiuslibet indigentiæ, & inopiæ defectus datur, vt reuera datur in Deo, deficit prorsus quælibet necessitas. Tum, quia obiectum, quo nullatenus Deus eget ad suam plenissimam fœlicitatē, & perfectionem, rapere nequit Deum necessitate morali, vt eius obiecti existentiam decernat.

64 Negatur sequela. *Primò*, non est ea necessitas contra veram aliquam perfectionem diuinæ libertatis potentis facillimè, &c. Sicut enim deficere diuinæ libertati potestatem ad peccandum non est verus defectus perfectionis, aut imperfectio, quia potestas ad peccandum non dicit in libertate veram perfectionem virtutis; sed imbecillitatē; ita deficere diuinæ libertati potestatem moralem ad omissionem eorum generum nō est verus defectus, nempe, veræ alicuius perfectionis; sed potius esset imperfectio: esset enim, Deum ex optimo genio suæ boniratis non propendere ad bonum in eo propēsionis gradu in quo diuinam bonitatem cum eo bono cōparatam propēdere oportet. Quod attinet ad *difficultatem* ad vnū, quā suapte natura videtur afferre necessitas moralis ad oppositū, dicendum est, non esse in Deo difficultatē ad omissionem eorū generū secundū imperfectionem, quā dicit *difficultas*, vt cōmuniter accipi solet; sed secūdùm perfectionē, quā dicit, præcindentem ab imperfectione. Non enim est in Deo inclinatio ad producendum ea genera, quę in omissione ipsorū afferret virium defatigationem, & molestiam. Nā inclinatio sic reddens difficilem omissionem, præfert imperfectionē; quæ tamen nulla est in inclinatione ad vnum, quæ valde reuocat aboppositō, cuiusmodi est inclinatio, quā Deus habet ad existentiam prædictorum generum: ea tamē inclinatio vocanda non est *difficultas*, vt periculum erroris absit: quēadmodum, iuxta aduersarios, non est vocāda *difficultas* necessitas moralis consistens in cōplacentia libera vehementi.

65 Secundò, non est ea necessitas moralis contra perfectionē diuinæ liberalitatis, beneficentiæ &c. Non enim istæ virtutes decrescunt per quodlibet libertatis decrementū; sed per illud, quod aliūde nō satis cōpēsatur. Hæc autē sufficiens cōpensatio datur hīc Quia quantū deficit libertatis ad omittēdas creaturas quoad ea prædicata generica, tātum adest delectabilis inclinationis ad cōmunicationē ipsorum:

delectabilis autem inclinatio ad dandū, plurimùm confert ad eiusmodi virtutes. Hinc optimè Arist. lib 4. Ethic. c. 1. ait: *Liberalis igitur honestatis causa dabit... atque id vel iucundè, vel sine dolore: quod enim ex virtute fit, id vel cum voluntate, vel sine dolore certe efficitur: minimè autē molestum est.* Hinc vehemens propēsio parentū, vt filijs benefaciāt, nō minuit beneficentiā, quia quantū aufert libertatis, tantū affert iucundæ inclinationis. Et quidem quæuis subtilitia intellectualis in indiuiduo accepta magnas Deo grates debet, quod ipsi præ alijs subtilitiæ intellectualis genus cōmunicauerit: nulla enim datur moralis necessitas ad hanc prælationem.

66 Tertiò. Talis necessitas nō est cōtra summā sufficientiā Dei intra se, & nō indigentiā aliorū. Nam moralis necessitas ad productionē alicuius boni potest bifariam excogitari. *Primò* tanquā necessitas inopiæ prementis ad quærendū proprium cōmodū. Et hæc necessitas in Deo non datur, quippè quæ pugnat cū summâ sufficientiâ, fœlicitateq; Dei intra se. *Secundò* tanquā necessitas inclinationis, quā summa bonitas omnibus bonis fœcūdissimè abundans habet, nō ad quærendū extra se suū cōmodū, sed ad alia extra se locupletanda, & hæc necessitas nō est cōtra plenissimā sufficientiā intrinsecam Dei; sed iuxta maximā bonitatem, & fœcunditatē, proindeq; potest in Deo defendi. Sic Pater æternus producit Verbū diuinū non ex indigentia, vt ipse Pater per tale Verbū intelligat; sed ex mirabili fœcunditate tēdente ad hoc, vt Pater iam perfectissimè intelligens cōmunicet hanc ipsā intellectionē personæ sibi æquali. Vnde patet, primā, & secundā probationē explicantē Augustini testimoniū non habere vim, quia solùm cōuincunt omnē necessitatē sumptā pro inopia procul esse à Deo, quod libenter fatemur. Ad tertiā. Obiectū, quo Deus nō eget ad suam perfectionē, & fœlicitatē, nequit ex proprijs meritis præcisè sumptis rapere Deū, vt ipsū decernat, quia respectiuè ad accessionē fœlicitatis diuinæ nihil est: potest tamē Deus ex infinita sua bonitate cōparatā cum obiecto creato, quodammodo rapi, id est, vehementèr propendere, vt ipsum producat: cum in hoc non tam appareāt vires obiecti veluti sibi subijciētes diuinā voluntatē, quam diuinæ bonitatis plenitudo ex præstantia sui genij valde propēdentis in aliorum bonum independentèr à commodo proprio.

67 Porro, sicut aduersarij fatentur, posse Deum ex vehemēti complacētia libera circa creaturas necessitatem moraleni habere circa productionē ipsarum, quin ea cōplacentia reddat Deū de-

dependentem ab ipsis, eisque indigetem, dependentia, vel indigentia dicente imperfectionem, cur nobis idem dicere non licebit: tametsi necessitas moralis veniat ex prædicatis necessarijs Dei? Si vrgeas. Si Deus metaphysicè nō posset omittere prędicta genera superiora, indigeret metaphysicè ipsis indigētia metaphysica dicente imperfectionem: ergo non potens moraliter ea omittere indiget moraliter ipsis indigentia dicente imperfectionem. Respōsio est. Connexio metaphysica Dei cum eorum generum productione, (tametsi fingas, eam connexionem non esse cum ipsis tanquam cum perficientibus Deum, & augentibus fœlicitatem ipsius) dicere imperfectionem, quia penitus euertit dominium Dei ad impedienda talia genera limitatè perfecta. At vero connexio moralis cum productione talium generum (quæ potius est dicenda connexio, quàm *indigentia*: hæc enim quādam inopiam significat) non dicit imperfectionem: nam, etsi solum relinquat dominium physicum ad omissionem eorum generum; non autem moralem potestatem ad eandem omissionem: hoc sane non est aliud, quàm relinquere diuinam libertatem miro fœdere conciliatam cum summa bonitate, idque procul est ab omni imperfectione.

68 Ex dictis fit. Quamuis creaturæ quasi nihil sint coram Deo, iuxta illud Isaiæ 40. 17. *Omnes gentes, quasi non sint, sic sunt coram eo, & quasi nihilum reputatæ sunt ei.* Et Sapient. 11. *Tāquam momentum staterę sic est ante te orbis terrę, & tanquam gutta roris antelucani.* Et Iob 22. 3. *Quid prodest Deo, si iustus fueris? Aut quid ei cōferes, si immaculata fuerit vita tua?* Item Iob 35. 6. *Si peccaueris, quid ei nocebis?... Porrò, si iuste egeris, quid donabis ei, aut quid de manu tua accipiet?* Quamuis, inquam, hæc ita sint: & quāuis magnis assueti contemnere parua soleant; tamen hæc solùm probant, Deum sloci pendere bona creata respectiuè ad se ipsum, propriamque commoditatem, ac beatitudinem: cœterum quia bona creata, præsertim alijs incompensabilia, magnum quid sunt respectiuè ad ipsas creaturas, aliundèque summa est diuina bonitas independenter à proprijs commodis in aliorum bona, prout ipsis meliora, ac meliora sunt, magis, ac magis propendens, mirum non est, his omnibus pēsatis, necessitatem moralem quandoque consurgere. Quemadmodū, si creatura sanctissima, nariuique geni ad omnem honestatem, seorsim à proprijs cōmodis vehementer propensi, certissimè sciret conuersionem alienam nihil ipsi prodesse; morali tamen impelle-

tur necessitate ad alienam conuersionem procurandam.

69 Fit secundò, quomodo intelligenda sint nonnulla PP. testimonia, quæ videri possunt apud P. Aldrete iam citatum, in quibus significatur, Deum facere posse facillimè quidquid voluerit; cum tamen, iuxta nos, non appareat, quomodo Deus facillimè possit impedire superiora genera: si enim necessitatē moralem habet, vt ea genera producat, non est ipsi facillimum ea impedire: sicut quia nobis est moraliter necessarium in diuturno tramite fragilis huius vitæ venialitèr interdum peccare, nō est facillimum diu abstinere ab omni peccato veniali. Quamobrem nostra sententia cohærere non videtur cum illo, quod de Deo dicitur Sapientiæ 12. *Subest tibi, cum volueris, posse.* Ex dictis, inquam, maximè num. 64. prædicta explicanda sunt, quatenus Deus potest omittere productionem eorum generum summa facilitate in genere excludēdi omnem virium fatigationē, omnemque molestiam, & in genere excludendi omnem indigentiam alieni auxilij, quo propriarū virium debilitas suppleatur, & subleuetur: cum quibus non opponitur, Deum habere in ordine ad productionem eorum generum magnam quādam inclinationem plurimùm reuocantem ab opposito. Quia vero necessitas illa moralis ad peccandum venialitèr, quæ in hoc statu naturæ lapsæ datur, vinci omni ex parte nequit, nisi per magnum laborem, passionumque mortificationem; & ex nostrā debilitate magnopere diuinâ ope, eâque extraordinariâ indigemus, ideo non mirum, quòd ea necessitas moralis faciat absolute difficillimum non peccare venialitèr, sequlque accidat in nostro casu.

70 Obijcies quartò. Ponamus id, quod nobis est certum, nempè possibilem esse; non verò existentem, aut extituram creaturam perfectiorem omnibus productis, & producendis. Tunc sic. Deus decreuit non cōpensare carentiam eius creaturæ per positionem alterius creaturæ æqualis, vel superioris. Nam alioquī extitura esset creatura perfectior omnibus extituris, quod est implicatorium. At ex suppositione talis decreti non tenetur Deus necessitate morali talē creaturam producere: nam cum de facto fiat, vel faciendum sit, quod Deo est moraliter necessarium, sequeretur, prædictā creaturam existere, vel extiturā esse, siquidem eius carentia non compensatur productione superioris, vel æqualis: constat autem sequelam esse absurdam, quippè alioquin existeret, vel extitura esset creatura perfectior cunctis existentibus, & extituris: ergo

non

non tenetur Deus necessitate morali ad ponendum in re genera superiora, de quibus loquimur. Probatur hæc consequentia. Quia, sicut hæc genera sunt *absolutè* incompensabilia per positionem alterius rei contingentis; ita incompensabilis est illa creatura *ex suppositione* assignatâ. Sed hoc vltimum non arguit necessitatem moralem ex suppositione: ergo neque primum necessitatem moralem absolutam.

71 Respondeo, concessis præmissis, negatur consequentia: & similiter ad probationem, concessis præmissis, negatur consequentia. Discrimen est: quia necessitas moralis absoluta ad prædicta genera superiora non inuoluit implicationem, ac de cætero plurimùm commendat bonitatem diuinam sine dispendio diuinarum perfectionum. Inuoluit autem implicationem necessitas moralis ad producendũ creaturam aliquam in indiuiduo ex suppositione compensationis non faciendæ per productionem æqualis, vel superioris: ea enim necessitas esset necessariò frustranda. Cum enim sint possibiles in infinitum creaturæ perfectiores, & perfectiores, neque possint existere infinitæ cathegorematicè, necesse est, vt, acceptâ tota collectione creaturarum existentium, relinquatur alia creatura perfectior inducta, quæ neque in se neque in æquiualenti detur in rerum naturâ.

72 Fixum ergo maneat, non esse fundamentum sufficiens, vt adstruatur necessitas moralis Dei ad aliquam creaturam, eam creaturam esse prædiram æstimabilitate incompensabili ex suppositione, nempè, ex suppositione, quòd non sit compensanda, tametsi æstimabilitas absolutè incompensabilis fundet sufficientèr necessitatem moralem. Hinc plurima, quæ hinc inde iactãtur contra necessitatem moralem Dei ad optimũ, non pugnant contra nostram sententiã; an pugnent contra alios, ipsi viderint. *Primò* namque, tametsi sit necessitas moralis ad vnionẽ hypostaticam naturæ intellectualis finitæ cum Deo; non tamen ad vnionem hypostaticam trium personarum. Nam æstimabilitas, quæ addit vnio Patris, & Spiritus Sancti supra vnionem Verbi, compensabilis est (esto reipsa compensatio non fiat) per alias vniones Verbi ad alias naturas, cum quibus Pater, & Spiritus Sanctus excogitentur vniri. ¶ *Secundò*. Non propterea datur in Deo necessitas moralis, vt vniones Verbi multiplicentur: quia ex vna parte multiplicari non possunt in infinitum; & aliunde fundari nequit moralis necessitas vsque ad duas potius, quàm tres; vel tres potius,

tius, quàm duas. Recolantur dicta in 2. 3. & 4. assertione.

73 *Tertiò.* Neque Deo inest moralis necessitas ad multitudinem prædictarum vnionum in genere saltèm acceptam, quâuis non in numero determinato duarum, vel trium, &c. quia multitudo compensabilis est per vnicam æquiualentem pluribus. Si dicas, dandam esse saltem necessitatem moralem ad multitudinem formalitèr, vel æquiualenter sumptam, quia hoc disiũctum, vel quasi genus incompensabile est: hoc sanè negãdum non erit; inde namque solum inferes, vnionem hypostaticã Verbi habere infra se duas saltèm vniones hypostaticas imperfectiores, quibus simul sumptis ipsa æquiualeat; in quo non est inconueniens. *Quartò.* Non fuit Deo mordicitèr necessarium cõdere hunc orbem determinatè: quia complexum alterius mundi possibilis perfectioris simùl cum carentiâ huius compensaret, & superaret productionem istius. *Quintò.* Tametsi pœnitentia reproborum, omnium æterna salus, hæresum extirpatio, propagatio fidei, diuinæque gloriæ inter gentes sint obiecta meliora, quàm carentiæ ipsorum; optimè stat in nostris principijs, non esse Deo moraliter necessaria: quippe cui integrum est, his omnibus omissis, ponere alia non minus bona, neque minus ad diuinam gloriam conducentia. Hæc, multis alijs consimilibus omissis, notasse sufficiat, ex quibus constat; plura, quæ alij, maximè P. Arriaga, obijciunt P. Granado, contra nos non esse, quia ferè semper in mediũ producuntur extrema, quibus alia perfectiora, ipsis opposita possunt produci. Necessitas autem moralis, quam defendimus, est ad extrema, quæ absolutè, & simpliciter nullis alijs cõpensari queunt.

CAP. VIII.

Expediuntur, quæ supersunt.

74 ARgumentum in hâc re commune, quod ex orationibus fidelium ducitur, nõ pugnat contra nos. Sumitur illud ex eò, quòd sit frustraneum petere ab aliquo, quod ipsi est necessarium moraliter. Si ergo sit Deo moraliter necessarium præstare; quæ ipsi glorioſiora sunt, frustraneum erit id à Deo petere: communis autem fidelium vsus eum orationis modũ laudabilitèr obseruat. Hoc, inquam, contra nos nõ est. *Primò.* Quia oratio communitèr non funditur pro eo, quod existant genera, quæ nõ sũt *absolutè* perfectionis incompensabilis, ideòque moraliter necessaria; sed pro eo, quòd res illæ dentur, quas Deus videt hîc, & nunc so-

fore expediētiores ad suam gloriam. Eiusmodi autem res, etsi de facto, si non producerentur, compensandæ non essent per alias glorioſiores Deo; sic tamen possent compēlari potestate absoluta, ideoque non sunt moraliter necessariæ, vt ex dictis constat. *Secundo.* Quæ sunt Deo moraliter necessaria, saltem quoad aliqua prædicata generica, vtiliter petuntur, tùm contractius sumpta, tù etiam secundū alias circumstantias, nam hac ratione non sunt moraliter necessaria. Sic, licèt admittamus, necessarium esse moraliter genus vnionis hypostaticæ Dei cum creatura; vnire tamen in humana carne non est moraliter necessarium; sicut neque vniri hoc potius tempore, quam alio. Vnde locus manet ad petendam Incarnationem, necnon accelerationē, iuxta illud, *Veni, & noli tardare. Tertio.* Plerunque licquēdo, quādo fideles orationes fundunt, vel nostræ opinionis non meminere, vel probabilem solùm, ac formidolosum assensum dant: quare, cum tunc vel nullo modo ipsis constet, vel certo non constet moralis necessitas rei, quam petunt, oratio ex ea necessitate morali non impeditur, neque fit inutilis, cum sit actus Deo placens, quo protestatur homo suam indigentiam, & honesta desideria, Deoque submittitur, suamque in ipso collocat spem. Demum vtile est à Deo petere, quòd tale donum concedat, si glorioſius id sit Deo, quàm negare, quia forsan ipsa oratione fiet glorioſius. Hoc igitur argumento prætermisso.

75 Obijciunt alij quinto, nostram sententiam in eam incidere, quæ nobis displicuit cap. 2. Nam, si Deus omitteret productionem generum superiorum, quæ assignauimus, non esset Deus: ergo talis productio non solùm est moraliter necessaria; sed etiam metaphysicè. Consequentia patet ex loc. cit. Antecedens probatur. Si omitteret eam productionem, deficeret necessitas moralis ad ipsam: quia iam non esset infallibilis existentia talis productionis, & consequenter neque moraliter necessaria: est enim de ratione moraliter necessarij infallibiliter euenire. At necessitas moralis ad eam productionem est idem, ac ipse Deus: quia, si Deus omitteret eam productionem, non esset Deus. At in primis, vt bene viderunt docti RR. hoc argumentū nimis probat, scilicèt, neque in creaturis dari posse necessitatem moralem ad aliquid coniungibilem, saltèm metaphysicè, cum illius contradictorio: quia necessitas importans infallibilitatem omnimodam, vt aliquid eueniat, neque metaphysicè coniungibilis est cum eo, vt non eueniat. ¶ Deinde. Negatur sequela. Ad probationem dicatur. Casu, quo talis productio

moralitèr necessaria omitteretur, non deficeret ea necessitas moralis; sed cum illa coniungeretur oppositum illius, ad quod necessitat. Hæc autem coniunctio non est metaphysicè impossibilis quia, tametsi sit metaphysice impossibile coniungi non euentum cum infallibilitate metaphysica euentus; non tamen cum infallibilitate morali. Fateor, impossibilem esse moraliter eam coniunctionem, quam sequi dicimus ex defectu rei moralitèr necessariæ: sed, cum huius rei defectus sit etiam impossibilis moraliter, nihil aliud inde habetur, quàm ex vno moralitèr impossibili sequi aliud: in quo non est inconueniens.

76 At replicabis subtilitèr. Benè inspectis rerum naturis, &, vt aiunt, per se loquendo, impossibilis est euidentia moralis de non-existentia Dei, vel prædicatorum necessariò conuenientium Deo: hæc enim negari duntaxat possunt ex ignorantiâ, finistrâque naturarū inspectione. At, ſi esset prædicatū necessariū Dei necessitas moralis ad productionē prædictorū generū, possibilis esset, per se, euidētia moralis de non-existentiâ prædicati necessariò conuenientis Deo, nempè, de non-existentiâ eius necessitatis: ergo hæc necessitas non est prædicatum necessarium Dei. Minor probatur: quia possibile est, saltem physicè, Deum omittere productionem talium generum. At per se, & ex natura rei sequitur euidenter moraliter ex hac omissione, prædicatum necessarium Dei, nempè prædictam necessitatem moralem non dari: ergo, &c. Probatur minor. Nam ab opposito consequentis ad oppositum antecedētis est optima illatio, vt Dialecticis est notissimum: vnde, quâ euidentiâ patet consequens, posito antecedente, eâdem patet defectus antecedentis, posito defectu consequentis. At euidentèr moraliter ex necessitate morali ad prædictam productionem infertur ea productio: ergo euidentèr moraliter ex defectu talis productionis infertur defectus eius necessitatis: sicut, quia ex necessitate physica euentus sequitur euidenter physicè existentia euentus; conuersim ex non-existentia euentus sequitur euidentèr physicè non-existentia physicæ necessitatis.

77 Vt clarè percipiatur huius sophismatis solutio, obseruandū est, antecedens, quod infallibilitate morali connectitur cū consequente, fundare consequentis euidentiam moralem, non absolutè; sed sub conditione, quod non cognoscatur euidenter cōtradictorium cōsequentis. V.g. necessitas moralis circa productionem effectus A. fundat euidentiam moralem de existentiâ talis effectus, non absolutè; sed sub

sub conditione, quòd aliunde non sit euidens non-existentia talis effectus: quæ quidē non-existētia, sicut dari potest *physicè*, stante prædicta necessitate morali; ita, eadem necessitate stante, potest esse euidens. Ratio huius notationis est. Nam antecedens fundare euidentiam moralem consequentis est fundare cōsequentis iudicium; ita, vt iudicium cōtradictorij solùm per magnam imprudentiā fieri possit. Vt autem iudicium contradictorij solùm per magnam imprudentiam fieri possit, requiritur, tanquam cōditio, quòd existentia contradictorij non sit aliunde euidens. Vbi secundò notandum est magnum discrimen, quod inuenitur, si cum consequente comparetur antecedens metaphysicè connexum cum illo; vel moralitèr duntaxat connexum. Cum enim, stante antecedente metaphysicè connexo cum consequente, non possit vlla vera ratione dari contradictorium consequentis, nulla potentia dari tunc potest vera euidentia de contradictorio consequentis, quæ impediat consequentis euidentiam, quam fundat antecedens metaphysicè cōnexum cum illo. At verò quia, stante antecedente putè moraliter connexo cum consequente, potest dari physicè, & metaphysicè contradictorium consequētis, ideo tunc dari potest potestate physica circa contradictorium consequentis euidentia vera impediens euidentiam consequentis.

78 Obseruo rursus. Sicut necessitas moralis Dei ad productionem generum superiorum fundat, quantum est ex se, moralem euidentiam talis productionis, si non adsit impedimentum (vt adesse potest physicè) euidentiæ scilicet de non-existentia talis productionis; ita conuersim non-existentia talis productionis fundat, quantum est ex se, moralem euidentiam de nō-existentia talis necessitatis, si nō adsit impedimentum euidentiæ de existentia talis necessitatis. Non tamen negari potest id discriminis hîc reperiri, quòd, posita ea necessitate morali Dei ad prædictam productionem, potest potestate physica citra rerū ignorationem haberi euidentia vera de non existentia talis productionis. Nam ea necessitas, quamuis non moralitèr; bene tamen physicè componibilis est cum non-existentia talis productionis, & cōsequentèr cum vera euidentia de tali non existentia. At verò, positâ non-existentia talis productionis nequit, adhuc physicè, haberi euidentia vera de non-existentia prædictæ necessitatis moralis diuinæ; quia sicut physicè impossibile est, nō existere in Deo talem necessitatem; ita similitèr est physicè impos.

bile cognoscere euidenter vera euidentia non exposita falsitati, talem necessitatem non existere in Deo.

79 Denique noto. Habitudo connexionis, quæ datur inter antecedens, & consequens ex ipso illatum, petit quidem, quod ex defectu consequentis accepto quatenus est ex se, non minori euidentia sequatur defectus antecedentis, quàm ex antecedente consequens. Si enim *ex se* antecedens est taliter, vel taliter inseparabile à consequente, similiter *ex se* defectus consequentis pariter erit inseparabilis à defectu antecedentis, vt consideranti patebit. Non tamen ea habitudo postulat, vt, posito antecedẽte, non detur aliunde impedimentum obstans euidentiæ consequentis; neque postulat, vt, posito defectu consequentis, non detur aliundè impedimentum prohibens euidentiam circa defectum antecedentis. Nam interdum antecedens non connectitur strictissimè, & metaphysicè cum consequente; sed ita duntaxat, vt defectus consequẽtis sit bonum fundamentum, *non omnino absolutè* ad iudicandum defectum antecedentis; sed sub ea conditione, *si aliud non obster*, quod obstare potest, etiam illa connexione data, quæ strictissima non est. Sic, quia ignis applicatus passo benè dispositio connectitur sola naturali connexione; non vero essentiali cum combustione, certè defectus combustionis huius passi bene fundat, non esse ignem illi bene dispositio ad combustionem applicatum: hoc tamẽ bene fundat sub ea conditione *nisi aliud, quod clare appareat, obster*, vt obstitit in igne Babilonico applicato pueris illis; non tamen comburente.

80 Hinc ad argumentum positum num. 76 distinguenda est maior, concedendumque est, benè inspectis naturis rerum, non esse possibilem *absolutè, & simpliciter* eam euidentiam moralem, quia, Deo benè inspecto, apparebunt euidenter ipsius prædicata necessaria: cum quo nequit componi iudicare cum euidentia morali, talia prædicata non dari; negandum tamen est, quod non sit possibilis *secundùm quid* ea moralis euidentia, inspectis bene rerũ naturis, quia possibilis est quantum est ex parte fundamenti sufficienter inducentis euidentiam eam moralem, nisi aliud obster, vt potest obstare. Et enim non-existentia rei sumpta secundùm suam naturam fundat iudicium de non existentia necessitatis moralis ad eam rem, quod cohiberi prudenter non potest citra oppositam euidentiam de existentia talis necessitatis. Hinc distinguẽdo minorem, negatã, per se loquendo, & omnibus inspectis, possibilitate absolutè, & simpliciter

citèr eius euidentiæ moralis, & concessâ possibilitate secundùm quid, neganda est consequentia. Rursus ad probationem minoris, concessâ maiore, distinguo minorem. Sequitur, quantum est ex vi talis omissionis, si aliud non obstet, concedo minorem; absolutè, & simpliciter, nego: deindeque consequens distinguendum similiter est, concessâ possibilitate *secundùm quid*; negatâque possibilitate simpliciter talis euidentiæ. Demùm ad probationem subiunctam patet satis ex dictis: constat enim ex num. 79. quandiu connexio antecedentis cum consequente non est essentialis; sed naturalis, vel moralis, solùm requiri, quòd oppositum consequentis secundùm se spectatum fundet euidentiam de defectu antecedentis similem illi, quam antecedens fundat circa consequens; non tamen requiritur, quòd necunde possit ab extrinseco impediri existentia talis euidentiæ.

81 Demùm obijcies, quæ doctè ponderat P. Aldrete disput. 2. de Incarnat. contendens, nullam in Deo esse necessitatem moralem ad aliqua, adhuc ex suppositione aliorum. Primò: quia, si ad aliquid esset in Deo necessitas moralis, maximè ad explendum rerum naturalium exigentias, nempè, ad non violandum iura naturæ. Ad hoc autem non est in Deo talis necessitas. Nam ex B. August. locis adductis ab eo autore sup. sect. 2. num. 1. cuique naturale est, quod Deus naturæ conditor præstat: ipsaque miracula, quæ naturæ leges videntur inuertere, non sunt contra naturam, vt ait August. At hoc non est accipiendum, quasi non sint in rebus naturalibus quædam inclinationes innatæ, contra quas est priuatio bonorum, ad quæ propendent: id igitur accipiendum est, quatenus leges & exigentiæ naturæ nulla necessitate Deum ligant, vt ipsis acquiescat; sed potius Deum relinquunt plenissimè indifferentem, & facilem, vt non acquiescat. Id ipsum videre est apud Petrum Damian. & Chrisost. locis adductis ab eodem autore num. 2. & 3. ¶ Admissâ maiore (cum limitationibus, de quibus postea) negatur minor. Ad probationem ex B. August. respondetur. Quemadmodum iuxta aduersarios bifariam accipitur *naturale*. Primò, vt idē sit, quòd consonum exigentijs naturæ; & hoc modo non est naturale, quod Deus patrat contra exigentias naturæ. Secundò, vt idē sit, quod factum, nō necessitantibus ad oppositum naturæ legibus: & hoc pacto censent, Deo esse naturale quidquid ipsi est possibile; sic, iuxta nos, bifariam

accipitur *naturale*. Primò, vt idē. sit, quod consonum exigentijs naturæ, & hoc modo conuenimus cum aduersarijs non esse naturale, quod est cōtra eas exigentias. Secundò, vt idem sit, quod nō ita cōtraueniēs legibus naturæ, vt vitalium legum reddatur Deo illicitum, & irrationale; sed potius relinquatur honestissimè, & rationalissime factibile pro nutu Dei; imo & facile facilitate excludente virium defatigationem, & molestiam; non verò excludente magnam inclinationem ad oppositum. Consonat nostræ explicationi Augustin. in altero ex testimonijs adductis ab arguente, vbi ait: *Naturarum conditor nihil in miraculis contra naturam facit; nec quod nouum est consuetudine, repugnans est rationi*: vbi *contra naturam*, & *repugnans rationi* pro eodem vsurpantur. Similitèr accipiendi sunt alij Patres.

82 Secundò arguit num. 4. Nam, vt latè tractatur contra Vvicleſ. tom. 1. lib. 1. cap. 17. n. 17. eadem potestate, qua Deus potuit creaturas non condere, potuit iam conditas destruere, & annihilare, quanuis habeant naturalem exigentiam, vt conseruentur. At potestate physica, & morali potuit Deus creaturas non condere: ergo & conditas in nihilum redigere non obstante exigentia conseruationis. Respondeo. Potest Deus eâdem potestate physicâ creaturas non condere, conditasque annihilare; non tamen eadem potestate morali, *posita exigentia proxima, & absoluta conseruationis*. Ratio primi est: quia, vt nullam habuit necessitatem physicam primò condendi; ita neque conseruandi. Ratio secundi est: quia bonitas operis conseruandi, & exigentia proxima conseruationis simul sumptæ longè validius impellunt Deum ad conseruationem, quàm præcisè bonitas operis ad primam conditionem. Sic Deus eâdem potestate *absoluta*, quâ potuit animum rationalem non creare, potest annihilare; non tamen eâdem potestate *naturali*, quia talis animus est naturaliter immortalis. Dixi, *posita exigentia absoluta, & proxima*: quia, si tantum ponatur remota, & conditionata, certum est, non fundare necessitatem moralem. Vnde non est moraliter necessarium, ignem distātem ab hoc loco comburere hîc: nam ad exigentiam proximam, & absolutam comburendi requiritur indistantia. Neque amplius necesse est ad pugnandum contra Vvicleſ. quàm hîc dicta, vt patebit legenti dicta contra ipsum.

83 Tertio arguit à num. 5. (omitto, quæ satis in anterioribus soluimus) Tum, quia Deus facilè præstare potest, quæ non sunt huic vniuerso consona, vt ex

ex Tertuliano potuit hominem pennis ad volandum instruere, & ex Iustino plures soles condere. Tum quia, vt Concilia, PP. ac plerique Theologi testantur (Videantur apud ipsum à num. 6.) quòd Angeli, animique rationales persistant in suo *esse*, tribuendum est diuinæ misericordiæ, & gratiæ: quod non esset verum, si ea persistentia foret moraliter necessaria. At tales creaturæ non minus exigunt eam persistentiam, quàm exigit combustionem ignis applicatus passo rectè dispositò: ergo talis exigentia insufficiens est inducere necessitatem moralem. Tum, quia potuit Deus corpora simplicia tam cœlestia, quàm sublunaria annihilare, cœlorumque motus, & generationum seriem impedire, quamuis hæc sint contra exigentiam huius vniuersi. Tum quia, si ex hypothesi meritorum esset moraliter necessaria remuneratio, non esset in primis maximè gratiosa, ac deinde extra rem esset obligari ex iustitia, vel fidelitate ad remunerationem meritorum, vt si Deus promitteret terminum ex suppositione actionis; vel actionem ex suppositione causæ necessariæ proximè expeditæ ad agendum. Tum, quia dum PP. asserunt, creaturas illico perituras, si Deus suum regimen subtraheret, supponunt Dei potestatem ad talem subtractionem. Tum quia, vt plures ex PP. volunt, resurrectio hominum non est iuxta naturam; sed potius contra leges ipsius exigentis, vt casu, quo producantur individua, prodeant noua in lucem; non autem antiqua redeant: & tamen non est moraliter necessarium, non contingere resurrectionem. Omitto alia eiusdem difficultatis, & solutionis.

84 Ad primum ex num. præcedente respond. Potest facilè Deus, non solùm physicè; sed etiam moraliter nonnulla præstare non consona huic vniuerso, propterea quod huic vniuerso non sit indita ad exclusionem earum rerum tanta exigentia, quanta requiritur ad inducendam necessitatem moralem. Neque enim omnes exigentiæ innatæ sunt æqualis efficaciæ, sed aliæ minoris efficaciæ probabilitatem afferentes de consequutione rei petitæ; aliæ afferētes certitudinem moralem. Si enim ad conseruationem aquæ requirantur simpliciter sex gradus frigoris; at non requirantur simplicitèr sex gradus densitatis licet vtiles sint, vt securior sit conseruatio; quis dubitet, inclinationem aquę maiorem esse ad illud primum, quàm ad secundum? Iam se-

cundi responsio (prætermissis, quæ non mihi videntur adeo probabiles) est. Tametsi satis magna sit exigentia, quam ad suam conseruationem habent Angeli, & animæ rationales; non tamen efficaciæ sufficientis ad inducendam necessitatem moralem simpliciter. Nam ea exigentia summùm est tanta, quanta est in igne applicato passo rectè disposito ad comburendum: hæc autem non inducit necessitatem moralem simpliciter ad hoc, vt semper expleatur; quia, quod hoc modo est moraliter necessarium, nunquam non contingit: contigit autem in igne Babilonico non comburere passum rectè dispositum. Quoniam ergo prædicta exigẽtia ad conseruationẽ non reddit conseruationẽ moraliter necessariam simpliciter; sed valde probabilem, ideo non immeritò dicitur, eam conseruationẽ esse gratiosam, quæ laxiori multò ratione gratiosa dici posset, si ei omissio relinqueretur possibilis physicè purè.

85 Ad tertium respondendum est, sicut ad præcedentia: aptarique potest eadem solutio quinto, & sexto. Quod attinet ad quartum, fateor, mihi non esse omnino exploratum, an, positis meritis, ac demeritis condignis, sit moraliter necessaria semper, ac simpliciter remuneratio, & vindicatio; an nunquam, loquendo de nostris meritis, quæ iuxta præsentem prouidentiam dantur; an solum sit, ipsis attentis, valde probabilis; an moraliter necessaria, saltem vt in pluribus? Quis enim in hoc statu citra diuinæ reuelationis institutionem metiri possit quantitatem virtutis impulsiuæ rerum creatarum respectiuè ad diuinam voluntatem adeo nobis imperuiam? Quòd si remuneratio non est in singulari moraliter necessaria, patet, quamlibet in singulari manere valde gratiosam, iureque optimo posse promitti. Sin autem ea remuneratio sit semper in singulari moraliter necessaria, erit plurimùm gratiosa, saltem in radice meriti condigni, cum eiusmodi merita munificentissimè, per magnamque gratiam nobis Deus conferre dignetur: qua ratione iam memini, gloriam esse gratiam apud Augustinum. Potestque Deus promittere remunerationem. Tum, quia manet physicè negabilis ex suppositione meritorum. (Non sic terminus ex suppositione actionis. Non sic effectus ex suppositione causæ necessariæ proximè expeditæ paratum habentis diuinum concursum.) Tum quia, cum nobis non constet moralis necessitas remu-

remunerationis; sed plurimùm sit humanis opinionibus subiecta, sapienter, ac prouidè Deus eam remunerationem promittit, vt de eâ nos certiores facti, magis ad merendum accendamur.

DISPVT. XV.

An actus liberi Dei constituantur per prædicata Deo intrinseca, quæ sint idem adæquatè cum ipso?

EXplicatis actibus physicè, ac moralitèr necessarijs diuinæ voluntatis, aggredimur explicare liberos. Mysterium quidem adeò reconditum, vt Sapientissimi quique Theologi, qui quodammodo illud inuestigare tentarunt, experti satis sunt, vbi non exigua gloria est propriam imbecillitatem fateri, Deique maiestatem altissimam mirari. Quibus ego contentus huic insuperabili difficultati libentissimè cederem supponens potius, quàm exponens diuinam libertatem, nisi Iustinus Martyr in expositione ad fidem meum his verbis animum erexisset. *Non enim, quòd Deitas intelligentia nostra planè sit incomprehensibilis, propterea par est, nihil nos de ea omnino scrutari; sed in desidia vitæ huius consumere tempus. Proinde, iuxta mensuram à Domino cuilibet tributam, studiosè quisque cognitionem inuestigare debet.*

CAP. I.

Positis quibusdam certis, rei difficultas aperitur, pluriumque Theologorum placitum proponitur.

1 PRimò certum est ex fide diuinâ, Deum habere libertatem circa creaturas. Nam 1. ad Corinth. 12. ait Paulus: *Hæc autem omnia operatur vnus, & idem spiritus diuidens singulis, prout vult*: quod Ambrosius lib. 2. de fide ad Grat. cap. 3. interpretatur: *pro liberæ voluntatis arbitrio; non pro necessitatis obsequio.* Ad Rom. 9. tribuitur Deo propositum, & electio, quæ absque libertate non constant. Ad Ephes. 1. dicitur: *Qui operatur omnia secundùm consilium voluntatis suæ*: vbi plane libertas significatur, & quia consilium non est de necessarijs; & quia sic loquitur Paulus, vt ostendat, prædestinatos quasi sorte vocari ex solo proposito diuinæ voluntatis, in quo maximè libertas apparet.

2 *Secundò* idem constat lumine rationis. Tum, quia Deus nequit esse summè perfectus, nisi habeat potestatem ad ponendas creaturas, quia pollent aliquali bonitate; simulque potestatem ad impediendas, quia innumeris

imperfectionibus scatent. Stat autem libertas in eiusmodi potestate ponendi, & impediendi. Tum, quia oportet Deum summè bonum, non solùm esse optimum in genere naturæ; sed etiam moris. At moralis bonitas sine libertate non constat. Tum quia nulla gēs adeò barbara fuit, quæ nō curauerit inanium Deorum, quos adorabant, voluntatem flectere, vt auerterent malæ, bonaque desiderata concederent: id autem non præstarent, si non esset lumine naturę notum, libertatem esse de ratione Dei. Tum, quia creaturas non implicantes contradictionem, quas Deus non facit, sed in nihilo relinquit, efficere potest cum omnipotens sit. At Deum ita non facere, vt possit efficere, libertatem importat: ergo &c. Tandē, vt in re tam certa non immoremur, sic formo rationem D. Th. 1. p. quæst. 19. art. 3. Deus producit creaturas, vt ipsius omnipotentia manifestat. At non necessariò: ergo libere. Minor probatur. Vel enim hæc necessitas prouenit à bonitate ipsarū creaturarum necessariò rapiēte Deū, vt ipsas producat, vel à bonitate diuina? Non primum: quia limitata, & exigua bonitas creaturarum nequit ita captiuare voluntatem Dei, vt non possit se à productione creaturarum continere. Non secundum: quia, cum diuina bonitas non egeat creaturis; sed absque illis sit plenissima, & perfectissima, nequit Deus iure suæ bonitatis necessitate constringi ad productionem creaturarum. Nam eo iure solùm potest habere necessitatem producendi id, quod non producere bonitati prædictæ derogaret. Num vero volitiuum ita sit essentialitèr inseparabile à libero, vt implicet contradictionem volitiuum non liberum, disputamus in metaph. Interim videatur perdoctus P. Iulius Cæsar Recupitus tom. 2. de Deo lib. 1. q. 38. §. 14.

3 Inde certum est tertiò. Quando Deus efficacitèr decernit creaturam, ita decernere, vt possit non decernere. Nam alioquin non liberè; sed necessariò decerneret. Vbi nonnulli disputant, an hæc volitio libera possit dici contingens? Negant Bañez 1. p. quæst. 14. art. 13. dub. vltim. P. Molina ibidem, disputat. 10. P. Suarez disput. 30. metaph. num. 43. Aluarez disp. 27. de auxil. & alij. Mouētur. Tum, quia contingentia sonat indifferentiam ad esse, & non esse, vi cuius res contingens obnoxia est mutationi. At volitio Dei est immutabilis, vt infra exponetur. Tum, quia illa præcipuè dicuntur contingentia, quæ casu eueniunt præter prouidentiam, ac determinationem operantis. At non sic eueniunt Deo suæ liberæ volitiones. Affirmant P. Vazq.

Vazq. 1 p. disp. 79. num. 16. Bellarmin. lib. 3. de lib. arb. cap. 17. Salas 1. 2. tract. 3. disp. 1. num. 84. apud quos Scot. & alij. Contingens enim est, quod ita est, vt potuerit non esse. Talisque est volitio libera eo ipso, quòd libera. Quæstio sanè de nomine, in qua poterit quisque loqui, prout libuerit. Dicito, volitionem liberam esse contingentem, prout contingens opponitur necessario, & impossibili; non vero prout contingens accipitur pro mutabili, vel casuali.

4 His præmissis, præsens difficultas, eaque maxima est, quomodo diuina volitio possit esse libera? Vel enim decretum Dei de existentiâ mundi v.g. identificatur adæquatè cum ipso Deo; vel identificatur adæquatè cum aliquo creato; vel partim cum Deo, partimque cum aliquo creato? Nihil autem horum dici posse videtur. Non primum: quia, quod est adæquatè ipse Deus, non potest non existere: decretum autem liberum potest non existere. Non secũdum, vel tertium: quia decretum liberum Dei est æternum. Non autem est æternum; sed temporale, & incipiens, siue id, quod adæquatè est quid creatum; siue quod est complexum ex increato, & creato. Ecce difficultatem nunquam satis solutã, vel soluendam.

5 Nonnulli, qui in rebus veris quietem inuenire non potuerunt, eam in chymæris quæsiuere primo aspectu. Dicunt enim, actum liberum Dei in ratione liberi compleri per respectum rationis, qui citra imperfectionem Dei potest adesse, & abesse. Sic apud P. Ruiz disput. 11. sect. 3. plures, & grauissimi Autores. Ideo dixi *primo aspectu*; quia non est credibile tot, ac tantos viros hæc verba sumere, prout aliquibus sonant, nimirũ, actum liberum cõstitui per quãdam habitudinem ad obiectum, quæ reuera non existit; sed ab intellectu increato, vel creato confingitur existere. Forsan hæc habitudo sensum alium subit inferius tradendum. Nam, vt optimè notant plerique Theologi nostri temporis, certissimum est Deum non constitui libere volentem per formalem, & actualem respectum confictum; quia Deus liberè vult, nullo intellectu quicquam fingente. Vel enim iste respectus fingitur ab intellectu creato, vel à diuino? Non à creato, quia Deus liberè vult, nihil cogitante creatura. Non à diuino. Tum, quia Deus non fingit. Tum, quia ea cognitio, per quam fingit, vel est necessaria; vel potens non esse. Si primum: iam decretum liberum non erit liberum; sed necessarium. Si secundum: eadem difficultas, quæ erat in decreto, vt explicaretur eius defectibilitas,

manebit in ea cognitione: cuius defectibilitas si per alium respectum rationis explicetur, abibimus in infinitum, Deusque non poterit liberè velle, nisi formatis infinitis figmentis. Si autem eius cognitionis defectibilitas explicetur independenter ab habitudinibus confictis; cur non similiter defectibilitas volitionis liberæ?

6 Si dicas, vtrobique defectibilitatem explicandam, non per respectum rationis formalem, & actualem; sed fundamentalem, id est, per fundamentum, vt ille formetur ab intellectu, statim apparebit, hanc sententiam incidere in alias mox explicandas. Vel enim hoc fundamentum est adæquatè intrinsecum Deo, vel adæquatè extrinsecum; vel partim intrinsecum, & partim extrinsecum? Quodcunque istorum eligatur, est incidere in sententias, quas referemus. Prima est, actus liberos Dei esse Deo adæquatè intrinsecos, & nequaquam intrinsecè constituí, siue adæquatè, siue inadæquatè, siue vt à forma liberè volendi, siue vt ab aliquo intrinsecè incluso in concreto *libere volentis* per aliquid extra Deum, adeo vt, nulla varietate posita extra Deum; sed omnibus rebus Deo extrinsecis, eodem modo se habentibus, possit Deus habere diuersa decreta libera. Sic sentiunt Caietan. 1 p. quæst. 19. art. 2. & 3. P. Suarez in metaph. disput. 30. sect. 9. à num. 35. P. Didacus Ruiz de Voluntate, disput. 11. sect. 3. Tanner. tom. 1. disput. 2. quæst. 10. dub. 4. Aluiz disput. 6. sect. 3. Raynaud. in Theologia naturali distinct. 8. quæst. 2. art. 4. Mærat. 1. part. disput. 32. sect. 3. Martin. 1. part. disputat. 14. sect. 4. Galpar Hurtad. disput. 3. de Volunt; difficult. 2. Ioannes à S. Thom. 1. p. tom. 2. disput. 4. artic. 4. P. Ripalda in manuscr. de Voluntate Dei, disput 8. P. Fonseca tom. 3. metaphys. lib. 7. capit. 8. quæstione 4. sectione 4. & 5. & quæstione 5. section. 4. P. Salas 1. 2. quæstione 6. artic. 3. disputatione 1. sect. 8. numero 101. Henriquez libro vltim. de fine hominis, capite 3. num. 2. in glossa litt. A. P. Zuñiga disputatione 9. de Trinitate, dub. 6. numero 4. & dub. 7. memb. 2. numero 2. agens de Scientia visionis. Franciscus de Lugo lib. 1. de Deo vno, disput. 27. capit. 2. numero 9. P. Ioannes Præpositus prim. parte, quæstione 19. articul. 3. dub. 5. à numero 32. apud quos Gregorius Naparrete, Cabrera, P. Valentia, P. Albertin. & plures alij, quos innumeri Recentiores sequuntur.

Vt

7 Vt hæc sententia eneruet rationem propositam n. 4. multipliciter explicatur. Afferam explicationes scitu digniores, ad quas reuocari posse videtur quicquid in hac via potest excogitari. Asseruit Caietanus, actum liberum Dei esse formalitatem Deo intrinsecam, & realiter defectibilem. Verumtamen, si deesset Deo (vt potuit) velle producere hunc mundum, deesset Deo aliquid reale intrinsecum; non tamen tunc deesset *simpliciter* aliqua perfectio; sed aliqua perfectio *voluntaria, & omnino libera*: hoc autem additum, vt ait Caietan. *est conditio diminuens rationem perfectionis*: quippe oppositum eius actus, nempe, Deum nolle producere hunc mundum, est æqualis perfectio. Propterea Deus nolens producere hunc mundum non esset minus perfectus, quàm modo est; sed loco volitionis, quam nunc habet, nolitionem haberet oppositam perfectione parem. Hanc sententiam graui censura perstringunt alij Theologi, vt referunt P. Fasol. 1. p. quæst. 19. art. 3. dubit. 6. num. 38. P. Ruiz disp. 13. de Volunt. sect. 1. Nam Bañez illam appellat non benè sonantē. Medina, ab omnibus reprobatam. Fonseca, aliquanto audaciorem, & parum tutam. Molina, parum in fide securam, piarumque aurium offensiuam. Valentia, meritò ab omnibus reiectam, vt absurdam. Suarez, non dignè sentientem de Deo, & nullo modo probandam. Vazquez, nulla ratione defensabilem. Eam quoque damnant Arrub. Machin. Nauarrete, & Salas.

8 Sunt tamen graues Doctores, qui sententiam Caietani, & ad sensum probabilem vocant, & ab omni censurâ vindicant. Videri possunt P. Granado 1. p. controuer. 3. disput. 5. tract. 3. sect. 1. P. Martin. supra, sect. 3. & 4. Ioannes a S. Thoma hîc, disput 4. art. 4. num. 16. Nazarius artic. 2. §. *Sciendum*. Ego quidem de more à censuris abstineo, maximè cum mihi non sit omnino indubitata Caietani mens, tantusque Doctor, præsertim in dubio, præsumendus est bonus. Non possum non adnotare, Caietanum non expressisse clarè, an hæc perfectio, quam vocat voluntariam, liberam, secundùm quid, & extensiuam, identificetur verè, propriè, ac realiter cum Deo, an distinguatur? Et hæc fuit occasio, cur ab aliquibus citetur, ac si posuerit illam realiter identificatam cum Deo; realiter tamen defectibilem. Ita communiter citatur à nouioribus Theoll. At P. Arriaga de Voluntate, disputatione 28. sect. 5. citat Caietanum, quasi

quasi senserit, eam perfectionem esse realiter Deo superadditam, & ab ipso ex natura rei distinctã. ¶ Secundò asseruit P. Fonseca, quem sequitur P. Salas, & nouissimè plures Recentiores ex nostris, actum liberum Dei esse formalitatem Deo intrinsecam re uera defectibilem; quæ tamen ratione sui neque perfectionem, neque imperfectionem entitatiuam importat; sed quandam extensionem, respectum, habitudinem, terminationem, & applicationem liberam (qui omnes termini idem significant) perfectionis necessariæ, scilicet, necessarij amoris, ad obiecta creata; non tamen, siue apud Fonsecam, aut Salas expositam video vel identitatem realem, vel distinctionem realem eius extensionis, vel terminationis liberæ comparatæ cum prædicatis necessarijs Dei.

9 Propterea. *Tertiò* Recentiores dissertis verbis exprimũt, eam terminationẽ realiter simpliciter identificari cum perfectione diuina necessariâ; distingui tamen ab illâ virtualiter intrinsecè, ad modum, quo personalitates distinguuntur ab essentia Dei. Nam quemadmodum essentia diuina, & filiatio sic intimè coniunguntur, vt ea intimitas vsque ad realem simpliciter identitatem accedat, diuinaque infinitudo præstat, vt illæ formalitates cum ea identitate componere possint virtutem ad suscipienda prædicata contradictoria, ideoque essentia suscipit prædicatum *non-producere*; filiatio verò prædicatum *producere*; ita similiter essentia Dei, & actus liber adeò strictè coniunguntur, vt ea coniunctio veram identitatem pertingat; de cætero tamen, propter distinctionem virtualem earum formalitatum, essentia diuina suscipit prædicatum non potentis deficere; at verò volitio libera suscipit prædicatum potentis deficere. Neque enim magis pugnat cum identitate extremorum alterum posse deficere, & alterum non; quàm alterum produci, & alterum non. At virtualis distinctio conciliat cum identitate posteriora prædicata: ergo & priora. Ideo autem, quamuis actus liber, vt virtualiter distinctus ab essentia Dei possit deficere, nulla Dei perfectio deficere potest; quia talis actus, vt sic distinctus, non importat perfectionem: de quo infra.

10 *Quartò* Subtilissimi Theologi, suppositâ distinctione virtuali intrinsecâ, eo modo, quo plures eam admittunt (quam tamen ipsi sic intellectam acerrimè impugnant) componunt aliter, nullam esse in actibus liberis Dei defectibilitatem, quæ dicat imperfectionem, quamuis ipsi actus liberi, etiam vt virtualiter distincti ab essentiâ dicant perfectio,

fectionē, eaque perfectio posit aliquâ ratione deficere. Id, quod acutè sic explicant. Nam ratione distinctionis virtualis, quam plures admittunt inter intellectionem necessariam, & amorē necessarium, sanè à parte rei, & independentèr à nostris conceptibus verificatur, intellectionem necessariam *non esse* principium Spiritus Sancti, quanuis realiter identificetur cum eo principio, nempè, cum amore necessario. Tunc sic. Non magis pugnare possunt *deesse*, & *esse*, *deficere*, & *manere*, quàm *non esse hoc*, & *idē tificari cum hoc*. At in Deo ratione infinitatis, & eminentiæ diuinæ ponitur prædicatum, quod virtualis distinctio vocatur, iure cuius *non esse hoc* componitur cū perfectione identitatis cum hoc: & ly *non est hoc* secludit imperfectionē distinctionis, quia sic non est hoc, vt idētificetur cum hoc: ergo in Deo ratione infinitatis poni poterit quædam eminētia, quā voca, vt libuerit, iure cuius deficere perfectionem liberam componatur cum perfectione manendi, quia scilicet sic deest, vt sit; sic deficit, vt maneat.

11 *Quintò* ijdem cogitationem aliam subijciunt pro concordia perfectionis liberæ cum indefectibilitate suppositi quodam principio pluribus iam cōmuni, nimirum, contradictoriū formale diuinæ volitionis esse nolitionem oppotam, adeò, vtsi sicut rem creatam deficere non est aliud, quàm redigi in nihilū; ita volitionem diuinam deficere non sit aliud, quàm redigi in nolitionem: non enim Deus potest alitèr non-velle liberè, quàm positiuè nolendo liberè. Hoc posito, notant, rem, quando deest, transire in identitatem cum suo cōtradictorio formali: v.g. *Angelus* cum *Non-Angelo*. Non enim aliud est deficere, quàm *esse nihil*, ita, vt sicut hæc propositio: *Angelus est existens* (iuxta veram sententiam de identitate essentiæ, & existentiæ) non affirmat, Angelū esse subiectum, supra quod cadat aliqua existentia accidentalis; sed Angelum identificari cum existentia; similitèr hæc propositio: *Angelus est nihil* non affirmat de Angelo denominationem aliquam accidentalem ab ipso distinctam; sed idētitatem cum nihilo. Id, quod hac ratione explicatur.

12 Sicut essentia entis positiui identificatur cum sua existentia simplicitèr; ita essentia nihili identificatur cum sua non-existentia simplicitèr. At essentia entis positiui (quæ præcisè in esse essentiæ non est aliquid simplicitèr; sed simplicitèr nihil) redditur aliquid simpliciter per positiuam existentiam secum identificatam: ergo essentia nihili (quæ præcisè in esse essentiæ non est nihil simplicitèr; sed simplicitèr ali-

aliquid) reddetur simplicitèr nihil per nihileitatem, & non-existentiam secum identificatam. Quod nō ita intelligendum volunt, quasi in hac propositione: *Angelus est nihil* per ly *nihil* significetur aliquod obiectum absolutè, & per se affirmabile; sed syncathegorematicè, scilicet sic: *Angelus non est aliquid*. Sic in hâc propositione: *Nihil corrumpit Deum*, si ly *Nihil* accipiatur cathegorematicè, nēpè, vt quoddam obiectum per se significatū, à quo oriatur corruptio Dei, falsissima propositio est. Si autem accipiatur syncathegorematicè, id est: *Non est aliquid corrumpens Deum*, verissima propositio est. Confirmatur hæc doctrina. Nam loquendo de Angelo A. qui semper maneat purè possibilis, falsa est hæc propositio in sensu identitatis: *Angelus A. non est nihil*: ergo in sensu identitatis hæc est vera: *Angelus A. est nihil*.

13 Ex quibus infertur primò. Quando deest volitio diuina libera, transit in identitatem cum nolitione; conuersimque de nolitione dicendum est. Ratio est: quia, cum aliquid deest, transit in identitatem cum suo contradictorio formali, id est, cum suo nihilo. At, vt ponimus, contradictorium formale volitionis est nolitio: ergo, quando illa deest, transit in identitatem cum hâc. Infertur secundo, perfectionem volitionis esse liberam, & indefectibilem: *Liberam* quidem: quia ita existit, vt possit, transeūdo in identitatem cum suo contradictorio, non reddere Deum volentem: *Indefectibilem*: quia non potest deesse, quod non potest non manere idēntificatū cum aliquo. At in nullo euentu potest volitio non manere identificata cum aliquo. Nam quando præstat denominationem volētis, manet identificata cum ipsa volitione; quando autem non præstat eam denominationem, manet identificata cum nolitione. Alia, quæ addunt in solutione obiectionis, quam sibi opponunt, dabimus opportunius infra.

14 Ijdem *sextò* dicunt, defendi posse indefectibilitatem volitionis liberæ, si dicamus, nō posse deesse *absolutè*; sed *respectiuè*, id est, non posse deesse ab essentia; sed à nolitione. Declaratur. Illud deest ab aliquo, quod ab eo distinguitur. At volitio libera, tametsi distinguatur à nolitione, cum quâ est inconiungibilis, & consequenter inidentificabilis, non potest ab essentia diuina distingui: sicut enim ab essentia Petri distingui nequit eius existentia; quia, quando hęc exercetur, non potest non identificari cum essentia; ita volitio libera Dei distingui nequit ab essentia Dei; quia, quando exercetur ea volitio, nequit non identificari

cum

cum essentia Dei: ergo quanuis libera volitio deesse possit à nolitione; non tamen ab essentia Dei. Sic Paternitas deesse potest à Filiatione, & conuersim: quia quælibet ab aliâ distinguitur; neutra tamen deesse potest ab essentiâ Dei, quia essentia Dei à neutrâ illarum distingui potest. Sic vbicatio Complutensis, & Madritensis sibi mutuo localiter desunt, quia mutuo distant non penetratæ localiter; non tamen localiter desunt ab immensitate Dei: hæc enim cum vtralibet ipsarum penetratur localiter. Sic duratio hodierna, & crastina sibi mutuo desunt temporaliter, quia mutuo distant non penetratæ temporaliter; non tamen temporaliter desunt ab æternitate Dei: hæc enim cum vtralibet ipsarum temporaliter penetratur. Vide, si placet, quæ diximus tract. de Scientia Dei; disp. 14. cap. 3. num. 16.

15. *Septimo* alij, quorum mieminit P. Herice disput. 16. cap. 6. & inter plures ex nostris celebratissimos audio, cogitationem aliam tradidere, quam apud ipsos videre non licuit. At ex aliorum relatione sic eam intelligo. Volitio diuina necessaria pro signo indifferentiæ, vt Deus libere velit, vel nolit producere mundum, habet in suâ potestate, quod volitio libera mundi existat, & non existat. Hinc eiusmodi volitio libera pro eo signo indifferens est, vt sit ens diuinum necessarium, vel potius ens chymæricum. (quemadmodum nostra volitio libera, eo ipso quod pro signo libertatis in actu primo sit indifferens ad existendum, & non existendum, indifferens est, vt sit aliquid, vel nihil.) Etenim, si volitio libera Dei existat, existet semper, immutabiliter, & non potens deficere, quod est esse ens diuinum: hæc autem impotentia deficiendi constat optimè cum libertate, quia est impotentia ex suppositione ipsius volitionis liberæ, vt existentis. Si autem ea volitio non existat, iam ex hac suppositione, neque vnquam existet, neque vnquam existere poterit, neque erit ens diuinum, de cuius essentiali ratione est actualiter existere; neque erit ens creatum. Nam de ratione creati, est posse identificari cum creatura; nequit autem volitio libera Dei identificari cum creatura: quod autem nequit existere, & neque Deus est, neque creatum, chymæra est. Hinc duo componuntur. Primum: libertas Dei. Secundum: indefectibilitas. *Libertas*: quia constitutum habet Deus in sua potestate determinare existentiam, & non-existentiam prædictæ volitionis: determinatâ autem

autem existētiā, volitio erit ens diuinum necessarium; at determinatā non-existentia, erit ens chymæricum. *Indefectibilitas*, quia perfectio diuinæ indefectibilitatis non aliud postulat, quā nihil diuinū posse deficere. Iuxta hanc autem cogitationem pro signo, quo datur, volitionem liberam deficere, non deficit aliquid diuinum; sed aliquid chymæricum. Pro signo autem, quo datur indifferentia libertatis, vt ea volitio existat, & non existat, talis volitio non est ens diuinum; sed quid indifferens, vt sit ens diuinum, vel chymæricum.

16 *Octauò* P. Suarez citatus num. 6. pluresque alij ibidem adducti censent, volitionem liberam Dei esse omnino indistinctam à perfectione volitionis necessariæ adæquatè identificatæ cum Deo: ea verò necessaria volitio, quæ quoad entitatem est omnino necessaria, est ratione suæ eminentiæ libera, & defectibilis quoad terminationem ad obiecta creata, quoad exhibēdū Deo effectum formalem, ac denominationem volentis ea obiecta, quibus terminis idem significatur. Iam verò denominationem istam, & effectū formalem, ait Suar. sup. num. 46. esse quid reale necessarium quoad totum suū esse; non verò quoad terminationem ad creaturam. Vnde communiter ita Doctor Eximius intelligitur, quasi eam denominationem, ac terminationem contingentem adæquatè identificet cum entitate necessariā Dei: si enim illa terminatio importat intrinsecè necessariam entitatem Dei, & nullam aliam entitatem creatam includit, manifestum videtur, identificari adæquatè cum prædicta entitate. Hanc autem identitatem ipse Suarius clarè non exprimit. Eandem sententiam tenet Ioannes à S. Thoma disp. 4 art. 4. nisi quòd se explicat his verbis, quæ, nescio, an veriorem claritatem, an obscuritatem afferant: *Potius importat* (volitio libera) *summam, & absolutam independentiam à creaturis, & summam subiectionem creaturarum ab ipsa, ideòque non tam respicit illas, vt obiecta, quàm vt effectus inadæquatos, contingentes, & sibi non necessarios.*

17 *Nonò* RR. nostri Complutenses ferè nihil inter se, & à P. Zuñiga dissidentes, cuius opinionem commemorat supra P. Herice, cap. 7. dicunt, volitionē liberam esse contingentem, & defectibilem, non quidem realiter formaliter; sed realiter virtualiter: & hinc potest in ordine ad diuersas denominationes volendi, ac nolendi se gerere, ac si realiter formaliter deficeret: quemadmodū formalitates diuinæ, quæ realiter formaliter sunt vnum quid simplicissimū, ge-

gerunt se ratione distinctionis virtualis in ordine ad suscipiendum prædicata contradictoria, ac si essent realiter formaliter plures. Considerant ergo, volitionem diuinam necessariam infinitam esse in genere essendi, ac volendi, adeo, vt vi suæ simplicissimæ entitatis sit sufficiens forma volendi, ac nolendi cuncta volibilia, & nolibilia, cunctisque modis, quibus decenter volitionem, ac nolitionem terminare queūt. Quod autem ea volitio determinetur ad præstandū potius munus decernendi mundum, quàm nolendi, venit ex libertate Dei exhibentis ei volitioni existentiam virtualem in ordine ad denominationem decernendi; & eandem existentiam virtualem negantis in ordine ad denominationem nolendi.

218 Propterea sic disponunt rationis signa. In primo signo Deus existit instructus eâ volitione, quam diximus esse infinitam in genere volendi. In eo signo talis volitio denominat Deū amantem necessario se ipsum. Nam ad hanc denominationem non aliud requiritur, quàm eam volitionem existere in Deo per identitatem. Rursus in eo signo nondum intelligitur Deus, siue cum denominatione decernendi mundum, siue mundum nolendi: quia, tametsi ad eiusmodi denominationes nihil reale formale requiratur præter id, quod existit in eo primo signo; tamen ad alteram denominationem vna existentia virtualis requiritur, & ad alteram altera opposita, quarum nulla exercetur pro eo signo libertatis; sed ea, quam maluerit Deus, exercebitur pro sequente signo determinationis. Hinc pro sequente signo, vbi Deus denominatur potius decernens, quàm nolens mundū, tribuit volitioni necessariæ virtualem existentiam in ordine ad denominationem decernendi; negat verò in ordine ad denominationem nolendi. Quocirca (aiunt) quanuis pro secundo signo nihil adueniat realiter, quod realiter non præextiterit in primo; tamen virtualiter aduenit totus actus in ordine ad denominationem decernendi mundum: quippè ratione contingentiæ virtualis se gerit, ac si aduenire. Porrò, quia contingentia virtualis est equialēter cōtingētia realis simpliciter; & ex alia parte, si decretum mundi posset simpliciter esse, ac deesse, posset iam exhibere, & iam non exhibere denominationem decernendi, non mirum, quòd idem possit ratione contingentiæ virtualis. Demum, sicut in prædicatis diuinis, quorum perfectio postulat identitatem realem simpliciter, nullam dicit imperfectionem dari in ipsis iure infinitatis diuinæ distinctionem virtua-

tualem, quâ in ordine ad suscipienda prædicata contradictoria se gerere possint, ac si distinguâtur; ita in amore necessario, cuius perfectio postulat indefectibilitatem realem simpliciter, nullam dicet imperfectionem, quod iure infinitatis Dei contingentiam virtualem habeat, quâ in ordine ad varias denominationes gerere se possit, ac si deficiat.

19 Decimò, & vltimò P. Ripalda sup. sect. 8. docet, ad hoc, vt Deus constituatur decernens liberè creationem mũdi, necesse esse, talem volitionem distingui virtualiter intrinsecè ab ipso Deo. Nam Deus, vt habens eam notitiam, per quam dirigitur ad actum liberum, habet independenter à nostris conceptibus præcedentiam aliquam ad talem actum, ac proinde præcedẽtiam, saltèm virtualem, quæ sine distinctione virtuali non cõstat. Secundò docet, potestatem liberam Dei, vt velit, & non velit, nõ in eo stare, quòd talis volitio possit existere, ac deficere; sed in eo, quòd Deus possit pro suâ libertate præstare, talem volitionẽ distingui virtualitèr ab ipso Deo: & in hoc euentu denominabit Deum decernentem creare; vel identificari virtualiter cum ipso Deo: & in hoc euentu denominabitur Deus nolens creare. Hoc autem stat optimè cùm immutabilitate, & indefectibilitate perfectionis diuinæ. Sicut enim Deo nulla inest siue mutatio, siue imperfectio, propterea quod alia prædicata identificentur, & alia virtualitèr distinguantur ab essentia Dei; ita pariter euenìet, quanuis eadem volitio pro libito Dei possit iam identificari, iam virtualiter à Deo distingui.

CAP. II.

Iudicium de sententijs propositis.

20 OMnia hęc, nisi reducantur ad proponenda disput. 17. difficillima sunt. Quapropter. Assero primò. Volitio libera non consistit in realitate Deo superaddita intrinsecè, & ab ipso Deo realitèr distincta. Hæc assertio est contra Caietanum, vrà nonnullis videturintelligi. Non tamen credam, eum fuisse sensum grauissimi viri. Sẽsus tamen fuit cuiusdam Vorstij Caluinistæ, cuius meminit P. Becanus de Volun. Dei, cap. 11. q. 4. num. 1. Prætermissis argumentis petitis ex rationibus accidentis, compositionis, perfectionis aduentiriæ repugnantibus Deo: hæc enim quodammodo forsàn eludi, & infringi possent in vnione hypostaticâ, quæ iuxta plures afficit intrinsecè Verbum; non immutat, non accidentat, vt sic loquar; non facit in diuinis strictam compositionem, non denique Verbum perficit, quod nimi-

mirũ in omni genere perfectionis ita plenum inuenit, vt incrementi sit incapax: his, inquam, argumentis omissis, & in sua probabilitate relictis, hæc sit vnica nostræ conclusionis probatio. Nulla creatura existit ab æterno. At actus liberi Dei existũt ab æterno: ergo non sunt creaturæ: essent autem creaturæ, si non esset vera nostra assertio: ergo vera est. Prior consequentia patet. Maior definita est in cap. firmitèr de summa Trinit. ideoque dixit optimè D. Tho. infra quæst. 61. art. 2. *Solus Deus est ab æterno: hoc enim fides catholica indubitanter tenet, & omne contrarium est, sicut hæreticum, refutandum.* Minor constat ex illis verbis ad Ephes. 1. *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem*, pluribusque alijs patebit ex dicẽdis. Iam verò subsumptũ, nempè, actum liberum Dei fore creaturam, si non esset vera nostra assertio, patet. Nam creatura non est aliud, quàm realitas à Deo distincta defectibilis, & in rerum naturâ posita pro libertate Dei, ideoque PP. contra Arrianos putabant, sequi optimè Verbum diuinum esse creaturã, si, vt arbitrabantur Arriani, realitas esset distincta à Deo generante posita, potensque nõ poni pro libertate Dei.

21 Assero secundò. Actus liber Dei non est formalitas identificata simplicitèr, & absolutè cum Deo; & tamen realitèr defectibilis. Probatur. Nihil realitèr defectibile est simplicitèr infinitè perfectum. Sed omne simpliciter, & absolutè identificatũ cum Deo est simplicitèr infinitè perfectum: ergo non est realitèr defectibile. Minor, & consequẽtia patet. Maior autem videretur omnibus patẽtissima ex terminis, nisi præsentis quæstionis difficultatibus obruti conati de industria fuissent semetipsos fallere. Probemus tamen illam, & explicemus diuersimode; tametsi mihi appareat omni explicatione clarior. *Primò.* Quia, quod non est summum in genere entis realis, non est simplicitèr infinitè perfectũ entitatiuè. Patet autem, defectibile realiter nõ esse summũ in genere entis realis: quia, sicut esse ens reale est esse aptũ ad existẽdũ, ita esse summè ens reale est nullum euentũ esse possibilẽ, in quo non possit existere: at possibilis est euentus, in quo realiter defectibile non possit existere, quippè possibile est deficere, nequitque existere in euentu, quo deficiat. *Secundò.* Quod alicui subiectũ est, adeò, vt pro illius arbitrio possit esse nihil, non est simpliciter infinitè perfectum. Nam quis nõ videat, omnẽ subiectionẽ, & inferioritatem esse contra perfectionem simpliciter infinitam rei subiectæ, & inferioris; & aliunde esse subiectionem, & inferioritatem

posse esse nihil pro nutu alicuius? Omne autem realiter defectibile sic alicui subiectum est, vt pro illius arbitrio possit esse nihil.

22 *Tertiò.* Quod non est infinitum simpliciter, & absolutè in genere æterni, nō est absolutè, & simpliciter infinitè perfectū. Nam alioquin ex perfectione Dei simpliciter infinitâ non satis argueretur Dei æternitas. At decretum, v. g. condendi mundū nequit esse absolutè, & simpliciter infinitum in genere æterni, si accipiatur secundùm eam formalitatem, secundùm quam est realiter defectibile: ergo secundùm eam formalitatem non est absolutè, & simpliciter infinitè perfectum. Minor probatur. Eo ipso, quod possibilis sit duratio, cui sit impossibile formalitatem aliquam coexistere, non est simpliciter infinita talis formalitas in genere æternæ. Talis autem duratio possibilis est: quia possibile est, Deum efficaciter nolle condere hunc mundum; & impossibile est formalitatem liberam decreti efficacis de condendo mundo coexistere durationi talis nolitionis. Et quidem, sicut est imperfectio potentiæ productiuæ possibilē esse creaturam, quam producere nequeat, ita est imperfectio durantis in genere durantis possibilem esse durationem, cum quâ nequeat durative penetrari.

23 *Quartò* idem patet in immensitate. Nequit enim decretum efficax condendi hunc mūdum esse infinite simpliciter immensum: & vt magis eluceant argumenti vires, ponamus, tali decreto simul decerni non fieri alium mundum. Non enim est simpliciter infinite immensum, quod ab ipsius amplitudine locali non constituitur penetrabile cum omnibus vbicationibus possibilibus. Tale autem decretum non ita penetrabile est: quia neque penetrari potest cum vbicatione nolitionis de condendo hoc mundo, vt præsentem reddente talem nolitionē; suntque possibiles innumeræ aliæ vbicationes, cum quibus impossibile est penetrari tale decretū, nempè, omnes vbicationes possibiles se ipsis essentialiter affixæ creaturis possibilibus alterius mundi. ¶ Confirmatur. Nam ex terminis ipsis videtur clarissimum, non minus; sed plus pugnare cum perfectione rei simpliciter infinitâ potestas, vt nunquā existat, nunquam durer, nunquā alicubi sit; quàm potestas, vt non existat postea, postquam extitit antea; & vt non existat hic, postquam extitit alibi. At, fatentibus aduersarijs, potestas ad hæc posteriora pugnat cum perfectione rei simpliciter infinitæ: ergo pariter potestas ad illud prius. Eò autem ipso, quòd liberum decretum Dei sit defectibi-

le,

le, potestas in Deo datur, vt nũquam, nullibique existat; sicut nunquam, nullibique existit efficax huius mundi nolitio.

24 Inde. *Quintò*. Tale decretum secundùm formalitatẽ defectibilem non potest esse simpliciter infinitum in genere omnipotentis, & consequenter non erit simpliciter infinitum in omni genere, proindeque non erit absolutè infinitum; sed limitabitur ex carentiâ summæ perfectionis in tali genere. Antecedens patet. Nam ad infinitatem omnipotentis spectat ex suppositione, quod aliquid efficiatur, ipsum efficere; posseque absolutè facere, quod potest absolutè fieri. Nod sic se habet prædictum decretum secundùm formalitatem defectibilẽ. Nam alter mundus, cunctæque creaturæ componentes ipsum, quãuis ex suppositione, quæ nunc datur, vel, vt dici solet, rebus, vt nunc, non sint possibiles; bene tamen absolutè: & tamen formalitas defectibilis eius decreti non habet potestatem absolutam, vt illas efficiat. Nam ea formalitas est essentialitèr incomposibilis cum eis creaturis: nihilque est absolutè factiuũ eius rei, cũ quâ coexistere repugnat illi ex suis intrinsecis.

¶ Hinc. *Sextò*. Non erit ea formalitas simpliciter infinitè perfecta in genere intellectualis. Nam ad intellectuale simpliciter infinitum in eo genere spectat, ex suppositione, quòd aliqua veritas detur, ipsam intelligere, posseque absolute iudicare quanlibet veritatem absolutè dabilem. Non ita se habet defectibilis formalitas prædicti decreti liberi: tametsi namque, licet non *ex suppositione*; benè tamen *absolutè* possibilia sint nolle efficaciter condere hunc mundum, velle efficaciter condere alium, dari creaturas alterius mundi; tamen defectibilis formalitas decreti, de quo loquimur, quippè quæ est essentialiter incomposibilis cum his rebus, incapax est, vt intelligat per iudicium verum, eas dari; cum tamen ipsę sint *absolutè* capaces, vt dentur. Iam quis credat, esse per verissimam identitatem ens absolutè, & simpliciter infinite perfectum, quod potest esse nihil, & quod hinc habet annexas incapacitates, tum, vt in omni euentu possibili existat; tum, vt omnem durationem possibilem ambiat; tum, vt omnem locum possibilẽ occupet; tum, vt omne factibile efficiat; tum, vt omne vere intelligibile intelligat actu vero; tum plures alias incapacitates, quas iam, vt credo, facile quisque obseruabit?

25 Alijs argumentis satis efficacibus probari solet assertio nostra. Tum, quia volitio libera secundũ suã formalitatẽ defectibilem potest nõ esse in Deo, proin-

deque separari à Deo: cum igitur nihil melius demonstret distinctionē realem, quàm separabilitas, patet, eam volitionē secūdū suā formalitatē defectibilē, non esse realiter identificatā cū Deo; sed ab ipso realiter distinctā. Tū, quia ex terminis valde durū apparet, Deū posse esse, quod nunc non est; posseque non esse, quod nunc est. Patet autem hæc sequi, si Deus possit, vt ex aduersarijs potest, identificari cum nolitione mundi, cum quâ nunc non identificatur; & non identificari cum volitione, cum quâ nunc identificatur. Tum, quia valde difficile est cōponere, actus liberos esse defectibiles pro libertate Dei; & tamen nō esse creaturas. Nam, vt obseruat P. Ruiz disp. 13. de Volunt. sect. 1. PP. & Cōcilia, quando contra Arrianos probabant, Filium Dei non esse creaturam, assumebant, vt principium, illum nō esse liberè productum à Patre. Contrà Arriani, vt probarent esse creaturam; aiebant productum esse liberè. Mihi sufficiunt alia, quæ confecimus, argumenta, his relictis in suis viribus, quæ vel abusu distinctionis virtualis, vel quibusdam excogitatis conditionibus ad rationem *creati*, quæ actibus liberis non adaptentur, forsitan possent vtcunque eludi. An verò probationes factæ quidquā suarum virium amittant in opinione putantium, actus liberos non dicere formaliter ratione sui perfectionē entitatiuam expendemus disp. 18.

26 Ex dictis in duabus statutis assertionibus cōstat *primò*, actus liberos Dei ponendos non esse in illis extensionibus, & terminationibus siue superadditis essentiæ diuinæ, & ab eâ realiter absolutè distinctis, siue cum illâ realiter absolutè identificatis, quas ex P. Fonseca referebamus n. 8. Nam argumenta facta id persuadent, vt ea recolenti constabit. *Secundò* constat, cōtra modū dicendi positum n. 9. essentiam diuinam, & actum liberum non posse esse formalitates identificatas realiter simpliciter, ac deinde sic se habentes, vt beneficio distinctionis virtualis de altera indefectibilitas; ac de altera defectibilitas verificetur. Nam dato, quod ratione distinctionis virtualis competere possint formalitatibus diuinis prædicata contradictoria, quæ non importent imperfectionem; non tamen possunt competere, quæ illam importent; defectibilitatem autem dicere imperfectionem euicimus satis. Vnde obiter colliges, etiam in diuinis pugnare cū identitate simpliciter alicui⁹ prædicati cum Deo separabilitatem quoad existentiam eius prædicati ab ipso Deo: quippè omne separabile quoad existentiā à Deo est imperfectum, & nihil imperfectum est Deus.

27 Ter-

27 *Tertiò* constat, admissa distinctione virtuali intrinseca (quæ num alicubi sit admittenda, non decerno) reijciendam esse cogitationem, quam afferebamus num. 10. quæ tradita videtur ad inuidiam cõciliandam prædictæ distinctioni. Nam, ea distinctione virtuali admissa inter intellectionem, v.g. & amorem, qui est principium Spiritus Sancti, ita verificandum est, intellectionem *non esse* principium Spir. S. vt ly *non esse*, *&c.* non sufficiat ad veram, & propriam distinctionem realem intellectionis ab eo principio; sed aliquid aliud exigatur. Nam alioquin iam ea distinctio non esset admittenda; sed vt dissona nostræ fidei reijcienda. Si ergo *deficere nunc* nolitionem efficacem mundi ponendum sit ratione alicuius virtualitatis simili proportione; ac ponitur, intellectionē *nõ esse* principium Sp. S. ita ponendum erit, vt ex his duobus *deficere talem nolitionem*; *existere ipsam*, hoc vltimum duntaxat ponatur verè, & propriè; primum verò impropriè, secundùm quid, ac diminutè. Nam sicut vera distinctio intellectionis diuinæ à principio Sp. S. est imperfectio repugnans Deo; identitas autem perfectio necessaria; ita *verè deficere* est imperfectio repugnans enti diuino; *existere* autē perfectio ipsi essentialis. At implicatoriū manifestè est in Deo, rebus vt nunc, verè, & propriè existere id, quod est nolle efficacitèr existentiā mūdi, idque solū impropriè deesse. Nā alioquin verè mundus non existeret nunc: ergo virtualitas, quæ fingatur cum proportione ad distinctionē virtualē, implicatoria est ad rem præsentē. Vnde aliud est, eā cogitationē euincere, secludēdā esse distinctionē virtualem; & de hoc nō agimus nunc; aliud verò; an, ea admissâ, prēscindendo ab absurdis, quę ex illa sequantur, ac proinde, præscindēdo ab eo, quod inferat veram distinctionem realem, complanet mysterium diuinæ libertatis: & hoc non probat ea speculatio.

28 Explicatur. Vel, hac virtualitate posita, manet nolitio mūdi in ratione cõstituentis Deum adæquatè, & absolutè nolentem existentiā mūdi; vel in hac ratione purè, putèque deficit? Si hoc vltimū: ergo meritis eius virtualitatis nō abstergitur imperfectio deficiēdi, quæ stat in nō-existentia sine existētia, & consequētèr ea virtualitas nihil declarat libertatis mysteriū. Si primū: ergo ea virtualitas intruditur ad ingentē imperfectionē Dei, nempè ad hoc, vt sibi sit in suis voluntatib⁹ cõtrarius, simul simplicitèr volēs, & simplicitèr nolēs existētiā mūdi. Tūc sic. Vel distinctio virtualis affert Deo imperfectionē; vel nō affert? Si nō affert: ergo, tametsi posit illa admitti, quia nō affert imperfectionē, oportebit

illam aliam virtualitatem reijcere propter oppositam rationē. Sin ea distinctio imperfectionem affert, ipsa certè simul cum illa alia virtualitate reijcienda erit, quia neutra est vsui; sed damno. Quamobrem ea speculatio non præstat, quòd, admissâ sine absurdis distinctione virtuali, possit aliud simile in re nostrâ admitti, quod mysteriū libertatis explanet; sed summū præstat, quòd, admissa quadā absurdissima distinctione virtuali, poterit aliud perabsurdum admitti in libertatis mysterio. Hoc autem quid ad rem?

29 *Quartò* insufficiens est, & falsa speculatio posita n. 11. & 12. adhuc ex suppositione, quòd contradictoriū formale volitionis sit nolitio, & vice versâ. Insufficiens quidem. Nam, quādo volitio manet conuersa per identitatem in nolitionem, vel manet in ratione constituentis Deū volētem modo, quo daretur, si nō esset conuersa in nolitionem; vel non? Si primum: quādo Deus est nolens producere mundum, nō minus, aut alitèr erit volens ipsum producere, quàm nunc. Si postremum: ergo ratio constituendi Deum volentem nō manet tunc sub ea ratione, modoq; quibus antea; sed impeditis hac ratione, & modo; & venientib⁹ alijs: ergo ea ratio, & modus ita defectibiles erunt, vt nō semper indefectibilitèr existant, iamque redibunt argumenta de imperfectione formalitatis defectibilis. ¶ Falsa etiam est ea speculatio. Id vt clarè intelligas, præ oculis habere oportet triplicem sensum, quem reddere potest propositio, quæ de Angelo A. non existente asserit, *esse nihil*. Primus est enuntians, eum Angelum idētificari *negatiuè* cum nihilo, id est, non identificari *exercitè* cum aliquo: & hic sensus est verissimus. Nam alioquin Angelus non existens existeret: quippè nihil aliud est existere, quàm identificari exercitè cum aliquo.

30 Secundus sensus est, eum Angelum *positiuè*, & *exercitè* identificari cum nihilo: & hic sensus est falsissimus, siue nihilum sumatur materialitèr, siue sumatur pro ipsa nihilcitate, id est, pro ratione formali, vel quasi formali, quâ est nihil. Ratio prioris manifesta est. Quia nihilum materialitèr acceptum est ipsa entitas Angeli non existentis, qui per non-existentiam denominatur nihil, siue non existens. At falsissimum est dicere, Angelum non existentem identificari positiuè, & exercitè cum suâ entitate, quippè hoc est existere, quod non competit non existenti: ergo, nihilo accepto materialitèr, falsissimum est dicere, Angelum eum nō existentem identificari positiuè, & exercitè cum nihilo. Ratio posterio-

rioris est. Quia nihileitas; id est, ratio, vel quasi ratio formalis, quâ talis Angelus est nihil, vel est positiuum impedimentum entitatis eius Angeli cum eâ entitate essentialiter incomposibile, quo eius rei *esse* denominatur impeditum; vel nihil est per se, & vt loquuntur RR. cathegorematicè significabile, & affirmabile; sed solùm negando de tali Angelo, quòd sit aliquid, hoc modo. *Talis Angelus non est exercitè aliquid.* Si dicatur primũ: ergo falsò dicitur, talem Angelum identificari positiuè, & exercitè cum suâ nihileitate: quia nulla res intimè coniungitur per identitatem, id est, per strictissimam inter reliquas coniunctionẽ cum illo, quod essentialitèr est inconiungibile cum ipsa. Quamobrẽ, quando dicatur, contradictoriũ formale alicuius rei esse quid positiuum incomposibile essentialitèr cum ea re, dicendũ consequentèr est, eam rem ad nihilũ redactam non abire in identitatem cum suo cõtradictorio formali; sed ab eo extrinsecus denominari opposito modo, ac in statu existentiæ à suo *esse* intrinseco constituitur.

31 Sin dicatur secundum. Sanè nihileitas non poterit accipi, ac significari vt extremum, cum quo res non existens affirmetur identificari positiuè, & in exercitio; sed tantùm dici poterit, talem rem identificari negatiuè cum nihilo, quod eòdẽ recidit, ac dicere, non esse exercitè aliquid. Et quidem nihil aliud videtur velle RR. si legantur, quæ retulimus ex ipsis num. 12. Hinc tamen constat, vel ipsorum speculationem esse falsam; vel ad præsens institutum inutilem. Erit falsa, si rem nõ existentem affirment identificari positiuè cum nihilo, vel nihileitate. Erit ad præsens inutilis, si præcisè velint, rẽ non existentem non identificari positiuè, & in exercitio cum aliquo. Quia libera Dei volitio, de qua est noster sermo, verè non manet, verè nõ existit, nisi reuera positiuè, & in exercitio identificetur cum aliquo. At, quando deficit, nõ sic identificatur cum aliquo: ergo tunc non manet, & existit verè; cum tamen ad huius oppositum defendendum tradita fuerit ea cogitatio. ¶ Dixi, falsum esse, quòd Angelus, v.g. non existens identificetur *exercitè* cũ aliquo. Nam verum est, identificari cum aliquo, id est cum se ipso *signatè in mente Dei*. Hoc enim non est aliud, quàm simplicem intelligentiam diuinam necessariam terminari ad Angelum non existentem intelligentiâ non discretiua in mente Dei eius Angeli à se ipso, vt iam sæpè pluribus in locis explicuimus.

32 Hinc, quæ n. 12. afferebãtur, non vrgent. Benè quidẽ verũ est, quòd sicut id, quod non erat, & postea est, identificatur postea

positiuè, & in exercitio cum aliquo, cum antea non sic identificaretur; ita, quod antea erat, & postea est, nō identificatur positiuè, & in exercitio cum aliquo, cum antea identificaretur. Falsū autem est, rem, quæ redditur nō existens, identificari positiuè, & in exercitio cum non-existentia sui; sicut res, quæ redditur existens, identificatur positiuè, & in exercitio cū sua existētia. Quia, cum nulla res possit identificari positiuè cum eo, cum quo ipsa res est inconiungibilis, & sit inconiungibilis cum sui non-existentia, nequit identificari cum hac. Benè tamen potest res idētificari cum sua existentia, quia res non est oppositua suæ existentiæ; &, vt existat, non eget affici alio; sed præcisè secum exercitè identificari, de quo in Met. Demùm, propositiones cōtradictoriæ positæ n. 12. fine nobis non nocent. Dicimus enim, in sensu identitatis eam propositionem loquentem de Angelo A. purè possibili: *Angelus A. non est nihil*, id est, nō idētificatur cū nihilo, aliter, & alitèr esse falsam, & verā; & similitèr cōtradictoriā ipsi respondentē. Ea propositio est vera, si recidat in hanc: *Angelus A non identificatur positiuè, & exercitè cum nihilo*: hæc autem est falsa: *Angelus A. identificatur positiuè, & exercitè cum nihilo*. Rursus ea propositio est falsa, si recidat in hanc: *Angelus A. non idētificatur signatè cum nihilo*. Nam Angelus A. identificatur signatè cū se ipso, & ipse est nō existens, id est, nihil. Quapropter hæc est vera: *Angelus A. idētificatur signatè cum nihilo*.

CAP. III.

Idem institutum prosequimur.

33 QVintò non magis satisfacit speculatio tradita n. 14. *Primò*. Quia volitio libera, etiā quando existit, nō identificatur cum essentiā Dei; quia, etiā quando existit, nō est tam perfecta, quā Deus: quippè, adhuc tūc, nō est tam ens, tam æterna, tam immēsa, tam intellectualis, &c. quàm Deus, vt constat ex cap. 2. *Secūdò*. Quia terminus ille *deesse ab alio* stat vel positiuè, vel negatiuè. Deesse positiuè quoad entitatem ab aliquo est positiue existere sine idētitate cum illo. Deesse positiuè quoad vbicationē ab aliquo est positiuè existere sine coniunctione penetratiuâ localiter cum illo. Deesse positiuè quoad durationem ab aliquo est positiuè existere sine coniūctione penetratiuâ duratiuè cum illo. Cæterum deesse negatiuè ab aliquo vel quoad entitatem, vel quoad vbitatem, vel quoad durationem est non existere coniunctum vel identicè, vel localitèr, vel duratiue cum illo: ergo sicut existentia potest deesse negatiuè ab essentiâ; quia potest exi-

existentia non exerceri, & sic nō existere cum identitate cum essētiâ: & sicut vbicatio Cōplutēsis potest deesse negatiuè ab immensitate; quia talis vbicatio potest non existere, & sic non existere penetrata cum immensitate quoad locum: & sicut mea duratio hodierna potest deesse negatiuè ab æternitate; quia ea duratio potest non existere, & sic non existere simul duratiuè cum æternitate; ita volitio libera Dei poterit deesse negatiuè ab essentia Dei; quia potest ea volitio non existere, & sic non existere identificata cum essentia. At volitionem absolutè deficere non est positiue deesse ab essentia Dei, id est, eam volitionem existere disiunctam ab essentia; sed eam deficere est negatiuè deesse ab essentia Dei, id est, non existere coniunctam cū essentia, vel cum alio. Deest ergo volitio, non obstante speculatione, de quâ agimus, quātum sufficit, vt absolutè deficiat.

34 *Sextò* non satisfacit opinio posita num. 15. *Primò*. Quia prior impugnatio contra cogitationem aliam posita num. 33. æquè hîc vrget. *Secundò*. Chymæricum est, quod nulla potestate absolutè valet existere, non quod potest absolutè existere; solumque non potest existere ex quâdam positione liberâ: nam, quod absolutè potest existere, est absolutè posibile, proindeque non chymæricum. At nunc datur in Deo absoluta potestas ad nolendum mundum; licet non ad nolendum ex suppositione, quæ nunc datur: quippè Deus nunc vult mundum liberè, nempè, cum potestate nolendi, tametsi sine potestate coniungendi nolitionem cum volitione: ergo, quanuis hæc coniunctio nunc, & semper sit impossibilis; tamen nunc, & semper possibilis absolutè est, proindeque non chymærica ea ipsa nolitio, quæ nunc non datur. ¶ *Septimo*. Sententia P. Suarez, quam dedimus num. 16. vt communiter intelligitur, nempè, identificans absolutè cum Deo liberam terminationem, habitudinem, applicationem, denominationem, effectum formalem volentis, subiectionem, quâ creaturas volitas sibi subijcit diuina volitio summè, & absolutè independens ab ipsis, vt loquitur Ioan. à S. Tho. reijcitur facilè. Tum, quia ea terminatio, habitudo, denominatio, subiectio &c. quanuis non secundùm entitatem; benè tamen secūdùm eas rationes possunt deficere: ergo secundùm has rationes non identificantur cum summa perfectione Dei; quia secundùm formalitatem defectibilem nequeunt esse tam entia, tam æternæ, tam immensæ, tam intellectuales, ac Deus; ac proinde nequeunt esse simpliciter infinitæ, & identificatæ

tæ cum infinito simplicitèr.

35 Tum, quia commune contrà eam sententiam argumentum mihi semper videtur demonstratiuum. Nam effectus formalis volēdi producere creaturas potest deficere quoad terminationem efficacem ad ipsas, vt est absolutè, & in hâc sententia certissimum. Peto nunc. Vel hoc est posse deficere quoad formalitatem Deo intrinsecam identice; vel *præcisè, ac solùm* quoad aliquid extrinsecum Deo? Si primū: formalitas aliqua identicè intrinseca Deo erit imperfecta. Nam omnis formalitas defectibilis est imperfecta, vt patet ex cap 2. At aliqua formalitas identicè intrinseca Deo est defectibilis: ergo imperfecta. Si secundum: ergo aliquid Deo extrinsecum non est adæquatè extra eam terminationem; sed intrinsecè inclusum in ipsa, quod negat hæc sententia contra discutiendam disp. 16. Probatur. Nihil potest deficere, deficiente *præcisè, ac solùm*, quod est adæquate extra ipsum: quia nihil potest deficere, nisi ipsum deficiat, nihilque est extra se ipsum. At ea terminatio, vt ais, potest deficere, deficiēte *solùm, ac præcisè*, quod est extrinsecum Deo: ergo tale extrinsecum non est adæquatè extra eam terminationem; sed intrinsecè inclusum in ipsa.

36 Autores, quibus hæc sententia placet, solent se protegere pluribus exemplis. *Primò*: quia relatio similitudinis, quam habet albedo A. ad albedinem B. est adæquatè intrinseca identicè albedini A; & tamen deficit, sola deficiente albedine B. extrinseca albedini A. *Secundò*. Filiatio adoptiua est idem cum gratia habituali; & tamen deficit ea filiatio, secluſa solū carentia vnionis hypostaticæ extrinseca gratiæ. *Tertiò*: veritas actus asserentis, Petrum currere est intrinseca per identitatem ei actui; deficit tamen solo defectu cursus Petri. *Quartò* addit P. Ribas. Intellectus noster est intrinsecè per identitatem vis intuitiua obiectorum existentium; tamen, donec obiecta existant, non denominatur potens ipsa obiecta intueri, eaque denominatio perit solo defectu existentiæ talium obiectorum. ¶ Hæc minimè vrgent. *Non primum*. Quia relatio similitudinis non est sola albedo similis alteri; sed complexum ex vtraque. Binarium autem, vt binarium, satis deficit solo defectu alterius ex vnitatibus, quas claudit. *Non secundum*. Quia filiatio adoptiua, vt constituens filium adoptiuum, claudit essentialitèr gratiam habitualem, & carentiam vnionis hypostaticæ. Quid ni ergo deficiat, vt constituens eum effectum formalem ex solo defectu talis carentiæ? *Non tertium*. Quia, si ve-

veritas eius actus est ab eo separabilis, non identificatur cum actu; sed claudit ipsum actum, & cursum Petri, vnde non mirum deficere, solo deficiente tali cursu; vel claudit ipsum actū, aliquidque aliud actui extrinsecum, & connexum cum cursu, & tunc veritas deficiet non solo defectu cursus; sed defectu illius extrinseci cum cursu connexi, & intrinsecè complentis ipsam veritatem. *Non quartum.* Quia non sola perfectio intrinseca intellectus constituit denominationem, & effectum formalem potentis proximè intueri; sed etiam existentia obiectorum, vel aliud connexum cum ea existētia. Vnde, his deficientibus, denominatio deficiet; non autem, manentibus omnibus constitutiuis intrinsecis ipsius. Mitto alia, quæ vel sunt eiusdem difficultatis, in qua versamur, vt exemplum petitum ex scientia visionis diuina, vel nullas addunt vires iam propositis.

37 *Septimò.* Sententia proposita num. 17. difficultatem non minuit; sed, vt ipsius Autores benè norunt, solùm addit verborum latibula, quibus argumenta quodammodo obscurentur. A lijs tamen omissis, propono contra illam, quod statim se offert, & nunquam soluitur. Nam sicut modò Deo deficit, non solum virtualitèr; sed formalissimè denominatio; vel, quod idem est, effectus formalis nolentis efficacitèr condere mundum; ita defectibilis est, non solùm virtualitèr; sed etiam formalissimè denominatio volentis efficacitèr condere mūdum. At ea denominatio est realitèr identificata cum Deo: ergo realitèr identificatum cum Deo est, non solùm virtualitèr; sed etiam formalissimè defectibile: in quo stat tota difficultas præcedentium opinionum. Consequentia tenet. Maior est aduersariorum, eaque verissima, quia Deus non solum potest se gerere, ac si non esset volens efficacitèr condere mundum; sed verè, propriè, ac simplicitèr potest non esse sic volens; vt modò nō est oppositò modo nolens. Minor etiam est aduersariorum. Nam alioquin ea denominatio clauderet aliquid non identificatum realitèr simplicitèr cum Deo. ¶ Confirmatur primò. Nam iuxta aduersarios inter impugnandas aliorū sentētias, separabile ab alio, modo, quo separabile est, non est identificatum cum illo. At volitio diuina secundùm denominationem volendi efficacitèr mundum est separabilis ab entitate necessaria Dei: ergo secundùm eam denominationē, cuiuscūque realitatis diminutæ; vel non diminutæ sit, non est idem cum Deo, saltem simili modo; ac carentiæ nullius entitatis non sunt idem cum Deo.

Deo. Secundò: quia, vt constabit recolenti superiora, volitio Dei secundùm eam denominationem nequit esse tam ens, tam æterna, immensa, & intellectualis, quàm Deus: ergo vt sic nequit esse Deus.

38 Dicunt, eam denominationem posse deficere formalitèr; non tamen defectu prædicati formalis diuini; sed solo defectu prædicati virtualis. Ratio est. Nam ea denominatio claudit formalitèr (id est, in suo essentiali conceptu obiectiuo) duo. *Primum*, existentiam formalem volitionis necessariæ. *Secundum*, existentiam virtualem eiusdem volitionis necessariæ in ordine ad denominationem liberam. Cum igitur complexum, vel quasi cõplexum, formalitèr, & essentialitèr claudens duo, satis deficiat formalitèr, & essentialitèr solo defectu alterius è duobus, patet, eam denominationẽ satis deficere formalitèr solo defectu prædictæ existentiæ virtualis. Addunt nonnulli pro solutione confirmationis ex separabilitate petitæ, prædictam denominationem posse à Deo separari, & in eo non esse solo defectu, solaque separatione virtuali alicuius à Deo, nimirum, volitionis necessariæ in ordine ad exhibendam eam denominationem; non vero separatione, vel defectu reali formali alicuius à Deo. Vnde nullius arguitur realis formalis distinctio à Deo; sed præcise distinctio virtualis alicuius prædicati à Deo, scilicet, eius denominationis.

39 Auditis verbis, euoluamus res. Contra sic primò. Nam semper manet in sua vi, volitionem secundùm eam denominationem nõ posse esse tam ens, æternam, immensam, & intellectualem, quàm Deum, & consequentèr non esse infinitè simplicitèr perfectam, & identicè Deum. Secundò argumentabor, si prius monuero, quod certùm sit. Prædicatum, quod de aliquo subiecto dicitur præcisè cum hoc addito *virtualitèr*, tam abest, vt iuxta proprietatem suæ rationis verificetur de subiecto, quòd potiùs verificetur oppositum absolutè, simplicitèr, & sine addito diminuente proprietatem suæ rationis. Hinc, quia de personalitate Patris dici potest, ab essentia diuina esse realitèr distinctam præcisè cum hoc addito *virtualitèr*, verificatur de tali personalitate absolutissime, ac proprijssimè, quin sit opus vllatenus limitare propositionem, personalitatem Patris esse realitèr indistinctam, atque identificatam cum essentia Dei. ¶ Iam sic. Antecedentèr, & absolutè loquendo, non solùm est Deo possibile verificatiuum huius propositionis. * Effectus formalis volendi efficacitèr mundũ abest *virtualitèr* à Deo. * Sed etiam

etiam verificatiuum huius ✻ Effectus formalis volendi efficaciter mundum abest simpliciter, & plusquam virtualiter a Deo. ✻ Nam alioquin, iuxta nuper dicta, necessaria prorsus veritas esset; non contingens, & libera, existere in Deo simpliciter, & in omni proprietate formalem effectum volendi efficaciter mundum. Vnde sic argumentor.

40 Quoties absolutè, simpliciter, & proprie, & sine limitatione diminuente proprietatem deficiendi potest abesse effectus formalis, abesse potest simpliciter, proprie, & plusquam virtualiter aliquid eius effectus formalis, siue abstit ratione defectus, qui dicatur defectus virtualis volitionis necessariæ Dei in ordine ad eum effectum præstandum; siue ratione alterius defectus. At, vt manifestum est ex num. 39. effectus formalis volendi efficaciter mundum potuit à Deo abesse absolutè, simpliciter, &c. ergo aliquid ipsius potuit abesse simpliciter, proprie, & plusquam virtualiter ratione defectus, quem appelles, vt libuerit. Id autem aliquid eius effectus formalis est, iuxta aduersarios, identificatū cum Deo: ergo aliquid identificatum cum Deo potest abesse simpliciter, proprie, & plusquam virtualiter, quod neque posse concedi patet ex dictis, neque aduersarij concedere audent. ¶ Confirmātur hæc omnia. Nam, loquendo de effectu formali, qui nunc deest plusquam virtualiter, nolendi mundum condere: peto ab aduersarijs, an nunc propriè, ac simpliciter existat entitas nolitionis, simulque propriè, ac simpliciter se gerat tanquam existens in Deo in ratione nolitionis, & in ordine ad exhibendum effectum formalem nolentis; an non? Si primum: erit nunc Deus simpliciter, & proprijssimè nolens condere mundum. Nullus enim, vt credo, percipere poterit dari in Deo, simpliciter, ac proprijssimè nolitionem de conditione mūdi, non solùm quoad entitatem; sed etiam quoad se gerendum tanquam existentem in ratione nolitionis, & in ordine ad præstandum effectum formalem nolentis; non tamen dari simpliciter, ac proprijssimè talem effectum. Si dicatur secundum: ergo nunc deficit simpliciter, ac proprijssimè, proindeque plusquam virtualiter id saltem, quod est entitatem nolitionis *se gerere, vt existentem in ordine ad eum effectum præstandum*: hoc autem est prædicatum in aliquo genere formale; & in aliquo genere virtuale. *Formale* in genere æquiualentiæ ad existentiam in ordine ad præstandum eum effectum. *Virtuale* in genere existentiæ in ordine ad præstandum eum effectum. Nam alioquin illud

illud prædicatum non esset *se gerere, &c.* sed se gerere, ac si se gereret, qui esset ridiculus verborum lusus, & infinita processio æquialētiarum: ergo, cum nūc simpliciter, ac proprijssimè deficiat ly *se gerere, &c.* simpliciter, ac proprijssimè, proindeq; pluſquam virtualiter deficit prædicatum formale Dei; ſicut deficeret prædicatum formale Dei, ſi deficeret virtualis diſtinctio inter eſſentiam, & relationes: licet enim ea diſtinctio quid virtuale ſit in genere diſtinctionis, quia non eſt vera, & propria diſtinctio, ſed huic æquivalens quoad aliquid; tamen eſt quid formale in genere capacitatis ad ſuſcipienda prædicata contradictoria quia propriè eſt talis capacitas; & non ſolùm ei æquivalet.

41 Tandem non minus eſt difficilis opinio tradita num. 19. Si enim decretum conſtituitur in ratione liberi per diſtinctionē virtualem ipſius ab eſſentiâ diuina, quæ diſtinctio deficere poteſt pro libertate Dei ponentis loco eius diſtinctionis identitatem virtualem ipſi oppoſitam, ſtatim exurgit quæſtio: an ea diſtinctio virtualis (quæ in aliquo genere eſt prædicatum formale Dei, vt ex dictis in re ſimili num. 40. patet) ſit prædicatum identificatum realitèr cum Deo; an non? Si hoc: iam contrà quàm intendit P. Ripalda, actus liber Dei conſtituitur in ratione liberi per aliquid non-idem cum Deo. Sin illud: ergo, cum ea diſtinctio ſit defectibilis per identitatem ſibi oppoſitam, primò ſine his circuitionibus, & ambagibus magis implicatis; dici poſſet, volitionem eſſe defectibilem per nolitionem ſibi oppoſitam. Secundò, tale prædicatum erit identificatum realiter cum Deo, vt ſupponis; & non erit: quia, vt probatum eſt, defectibile non eſt idem cum Deo. Tertiò, cum ea diſtinctio virtualis, licet ſit quid virtuale in genere diſtinctionis; tamen abſolute ſit prædicatū formale Dei, & idem cum Deo, necnon defectibile, neceſſe eſt incidat P. Ripal. in impugnationes, quibus ipſe Caietanum, & alios impetit. Ad hæc. Nolitioni efficaci mundi non ſolùm conuenire poteſt; ſed actu conuenit aptitudo, vt virtualiter diſtinguatur ab eſſentia Dei. Nam, per te, indifferētia diuinæ libertatis ſtat in ea aptidine. At eſſentiæ Dei actu conuenit ineptitudo, vt diſtinguatur virtualiter à ſe ipsa: ergo nihil nunc deeſt tali nolitioni, vt diſtinguatur virtualiter ab eſſentia; & conſequenter, iuxta tua principia, nihil illi deerit, quominus nunc exhibeat Deo effectū formalem efficaciter nolentis exiſtentiam mundi. Parco alijs, quæ facile addideris.

DIS-

DISPVT. XVI.

De constitutione actuum liberorum Dei per complementa extrinseca Deo.

VIdimus summam difficultatem in constitutione actuum liberorum Dei adæquate per intrinseca, & identificata cum Deo. Videamus, an sit planior per distincta, & extrinseca.

CAP. I.

Iudicium de sententia Aureoli.

1 AVreolus in 1. distinct. 47. quæst. vnic. art. 1. & seqq. alijsque in locis: *Primò* remouet à Deo formalitatem omnem, & habitudinem intrinsecam ita liberam, & contingentem, vt potuerit nō esse in Deo. Nam quidquid est in Deo, *illud est necessarium simpliciter, & absolutè, cum sit ipsemet Deus; quidquid autem est Deus, de necessitate absoluta est Deus.* Hinc *secundò* excludit à Deo determinationē omnem ipsi intrinsecam ad productionem externam creaturarum. Nam ea determinatio, vt pote Deus ipse, esset simpliciter, & absolute necessaria, & consequenter sic necessaria esset exterior productio creaturarum: quidquid enim necessario sequitur ex aliquo absolute necessario, est necessarium absolute. Ideo *tertiò* nullum affectū Deo intrinsecum tribuit in ordine ad creaturas, nisi complacentiæ simplicis necessariæ: *in quantùm sibi complacet in sua essentia, & per consequens in omni entitate creabili, & creata*: per quam cōplacentiam non manet determinatus ad productionem præ non productione; sed æqualiter indifferens ad vtramliber. Hinc *quartò* libertas omnis, & indifferentia conuenit Deo, non quatenùs volenti *ad intra*; sed quatenus agenti *ad extra*: quæ quidem indifferentia determinatur immediate per actionem externam; non per volitionem internam præuie determinantem ad externam.

2 Cum quibus *quintò* consiare ait, Deum producere creaturas voluntarie, & libere, *quia complacentèr producit, & cum dominio, ac potestate, ita, vt possit eas non producere.* Pro cuius luce duplex affert exemplum. Primū petitur ab euentu impossibili, in quo ignis haberet in sua potestate ignire, & non ignire præsentem stupam. Tunc enim ignire libere, tametsi non per actum præuium; sed immediate per ignefactionem se ad ipsum determinaret. Quærenti autem

cur

cur ignis igniret, cum posset non ignire, respondetur aptissimè, quia vtrumque habet in potestate, vel etiam, quia vult: *non quòd velle exprimeret aliquem actum determinantem; sed secundùm plenitudinem potestatis.* Secundum exemplum petitur ex eo, quòd reipsâ contingit in libertate nostræ voluntatis in ordine ad actus immediatè liberos; quos quidem nostra voluntas dicitur producere liberè, & quia vult, vbi (ne in infinitum abeamus) non significatur alius actus prævie determinans; sed potestatiua vis, ac dominium. *Vnde*, acutè ait, *tali modo respondendi magis causa excluditur, & quæstio repellitur, quàm causa detur.* Nam sensus responsionis est, *quòd actus ille est in pleno dominio voluntatis, & ideo non est quærenda causa, quare voluntas eliciat talem actum, nisi quia ita vult, hoc est, quia illud est in suo dominio, & potestate.*

3 Omissis, quæ hîc ingeniosè, & ex veritate dicuntur, assertio nostra sit. Libertas Dei non est duntaxat ad producendum ad extra creaturas; sed verè, & proprie ad volendum ipsas. Hæc assertio est contra Aureol. cuius sententiã accipiũt seuerè Theologi alij. Ariminensis, & Capreolus eam vocant absurdam. Fonseca, & Salas meritò ab alijs Theologis reiectam, vt parum consonam diuinis scripturis, & in se valde absurdam. Zumel omnino fugiendam, & scripturis repugnantem. P. Suarez, & Gonçalez, nullo modo defendi posse iuxta principia fidei. P. Ruiz ait, nostram assertionem negari non posse sine errore. P. Fasolus dixit, piè potius, quàm vere laborasse P. Vazq. (vt & RR. laborant) in reuocanda ad bonum sensum sententiâ Aureoli. Probationibus illis assertionis nostræ prætermissis, quas meo, & aliorum iudicio Aureolus eneruaret facilè. Probatur primò. Testimonia sacræ Scripturæ sunt propriè, & strictè accipienda, maximè quando sic ab Ecclesiâ, & PP. accipiuntur. At non possent sic accipi; sed solùm metaphoricè, si libertas Dei esset præcisè ad actiones ad extra: ergo nõ est præcisè ad illas. Maior homini catholico debet esse certa. Minor probatur multiplicitèr. Tum, quia Psal. 113. dicitur: *Omnia, quæcunque voluit, fecit.* Sensus autem nõ est, ea omnia fecisse, quæ simplici complacentia necessariâ amauit. Nam alioquin omnia possibilia fecisset: ergo sensus est, omnia fecisse, quæ liberâ, & efficaci volitione fecisse decreuit.

4 Tum, quia 1. Corinth. 12. dicitur: *Diuidens singulis, prout vult.* At non prout vult complacentiâ necessaria, quia cum hæc respectu omnium sit æqualis, omnibus æqualitèr dona sua distribuisset: ergo prout vult effica-

caci volitione libera. Tum, quia dicitur ad Roman. 9. *Cuius vult miseretur, & quem vult, indurat*: ergo respectu vnius volitionem misericordem habet; & non respectu alterius. Cum igitur necessaria complacentia detur respectu omnium, patet, eam volitionem misericordem non esse complacentiam necessariam; sed affectum liberum, eò vel maxime, quòd misericordia efficax sit citra dubium libera; vtque non esset dubium, ibi agi de misericordia efficaci, statim subditur: *Voluntati eius quis resistet?* Tum, quia non solùm est excellentia diuinæ potentiæ non posse ipsi, vt agenti, resistere; sed etiam excellentia diuinæ voluntatis non posse ipsi resistere, vt decernenti. Quapropter dicitur Esther 13. 9. *Non est, qui possit tuæ resistere voluntati, si decreueris saluare Israel*: & Genes. 50. 19. *Num Dei possumus resistere voluntati?* Est ergo aliquis affectus in Deo sic circa rem amatam efficax, vt nequeat componi cum carentiâ rei amatæ. Is autem affectus non est complacentia simplex necessaria, vt patet: ergo decretum efficax liberum, iuxta illud *si decreueris, &c.*

5 Dicent. Tunc solùm testimonia sacræ Scripturæ esse propriè, & strictè capienda, quando ratio euidens non excludit eam acceptionem propriam. Hic autem casus excludit. Nam euidentissimum apparet, omne intrinsecum, maximè per identitatem, Deo summè necessario non esse liberum; sed necessarium. Vnde, cum volitio diuina sit Deo per identitatem intrinseca, euidentissimum apparet, non quidem eam; sed solam actionem exteriorem contingentem posse esse Deo liberam. At contra est. Nam, vt solidè, ac prudentèr obseruant doctissimi, & amicissimi RR. quando testimonia Scripturæ non sunt rara; sed frequentissima, & iuxta proprietatem sermonis ab Ecclesia accipiuntur, propriè à Catholicis accipienda sunt, estque deponendum, vt fallacissimum, proprium iudicium, quanuis euidens alioquin appareat: secus magna ruina fidei Catholicæ immineret, ansaque præberetur hæreticis, vt totam Scripturam ad sua peruersa dogmata detorqueant. Propterea Ioachimo Abbati damnato in capit. Damnamus de summa Trinitate non licuit, propter difficultatem mysterij Trinitatis naturale lumen superantis, interpretari pluralitatem personarum in vna essentia de vnitate collectionis, vel vniformitatis. Porrò testimonia Scripturæ de volitionibus liberis Dei frequentissima sunt, vt patet ex dictis, viderique potest apud P. Ruiz

de Volunt. disp. 7. sect. 3. Deinde ex communi vsu Ecclesiæ accipi non metaphoricè; sed propriè satis ex eo cõstat, quòd, vt idem Ruiz obseruat disput. 11. sect. 1. quemadmodum tristitia, pœnitentia, ira, & similes affectus, quia solùm metaphoricè competunt Deo, verius de ipso negantur, quàm affirmantur; ita verius negaretur, quàm affirmaretur, Deum liberè, & efficacitèr *velle* creaturas, si tale *velle* metaphoricè duntaxat Deo conueniret: quod citra dubium absonum est.

6. *Secundò* probatur nostra conclusio, Si enim vera non esset, sequeretur, Deum non magis amare humanitatem Christi Domini, Beatissimam Virginem, & prædestinatos, quàm Iudam, & reprobos: quod intolerabile absurdum est. Itaque quanuis magis alijs, quàm alijs impenderet; non magis alios, quam alios amaret. Nam, iuxta aduersarios, non est inæqualitas in amore simplicis complacentiæ necessariæ terminatæ ad bona possibilia, quæ in eo statu possibilitatis respectu omniũ sunt æqualia: neque inæqualitas est in amore libero; quia, iuxta ipsos, amor liber propriè acceptus est falsæ suppositionis: ergo, &c. ¶ *Tertiò*. Nullum exercitium diuinæ libertatis esset, aut esse posset æternum: id, quod Scripturis contradicere patebit ex dicendis in hac disput. & alioquin Deus non posset ab æterno bene moraliter se habere. Sequela probatur. Nam, ex aduersarijs, nihil est exercitium libertatis præter actiones externas. Hæ autem non sunt æternæ; sed in tempore incipientes. *Quartò* adimitur Deo moralitas omnis honesta, quippe quæ consistit in amore libero honestatis propter ipsam virtutis honestatem.

7. Tãdem. Vel euentus creati sic existunt, vt secundùm existentiam exercitam certissimè Deo innotescant; vel sic, vt ignorentur à Deo? Hoc vltimum est sacrilegum, & contra fidem: & quî, quæso, Deus merita, ac demerita ignorans, illa iustè remuneret; & hæc puniat? Primum ergo dicendum. Tunc sic. Sicut amor liber defectibilis est; ita scientia certa euentuum creatorum defectibilis est: quippè tales euentus deesse potuerunt, & tunc deesset quoque certa ipsorum notitia. At eius scientiæ defectibilitas insufficiens ratio est, vt ea scientia negetur Deo: ergo insufficiens ratio est defectibilitas amoris liberi, vt is amor negetur Deo. Et quidem, admissâ scientia contingente, quisque videt, cassa reddi cuncta motiua negandi amorem. Scio, Aureolum in 1. distinct. 38. art. 1. § *Tertia propositio*, sæpèque alibi putasse, scientiam omnem, quam

quam Deus habet de creaturis siue possibilibus, siue existentibus non terminari ad ipsas formaliter: sed solùm eminenter, seu æquipollenter, quatenus terminatur ad diuinam essentiam, quæ est similitudo eminens, & exemplar plusquam æquipollens earundem. Ideo putat, totam scientiam, quam Deus habet creaturarum, esse ipsi Deo intrinsecam, quippe cui essentia diuina summè intrinseca est. De hac tamen Aureoli cogitatione satis egimus tract. de Scientia Dei, disput. 8. cap. 1. Et verò, si per hanc scientiam creaturarum Deus certissimè, clarissimèque videt existentiam contingentem exercitam creaturarum, ea visio defectibilis erit, vt patet ex nuper dictis: & siue dicatur adæquatè intrinseca Deo (quod dici non posse iuxta Aureoli principia constat ex his, quæ ex ipso subiunximus num. 1.) siue extrinseca; siue partim intrinseca, & partim extrinseca, idem absque maiore difficultate dicendum erit de volitione libera. Si autem Deus non videt vere, & propriè existentiam exercitam creaturarum, incidet Aureoli opinio in errorem minimè tolerandum.

(.·.)

CAP. II.

Proponitur opinio constituens actus liberos Dei partim per intrinseca Deo; partim per extrinseca.

8 AVtores huius sententiæ pluribus conueniunt cũ Aureolo. Primò docent, omnem formalitatem intrinsecam Deo prorsus esse necessariam. Hinc secundò docent, Deum operantem ad extra non habere prius natura actum internum, qui fit intrinsecè determinatio Dei ad actiones exteriores. Nã alioquin actiones istæ non essent contingentes; sed necessariæ, vt bene arguit Aureolus citatus cap. 1. Hinc tertiò docent, determinationem Dei ad operationem ad extra non esse adæquate distinctam ab eâ operatione; sed illam intrinsecè, saltem ex parte, claudere. Quartò hinc docent, nullum actum diuinum præcisè spectatum secundùm formalitates Deo intrinsecas esse efficacem respectu creaturarum, vnde actus diuinus sic præcisè spectatus non est aliud, quàm infinita delectatio Dei de se ipso, simplexque complacentia, eaque necessaria circa creaturas possibiles. In his conueniunt cum Aureolo Doctores infra citandi. Addunt tamen contra ipsum,

sum, omni contingentiâ intrinsecâ à Deo seclusâ, Deum nihilominus vero, ac proprio amore, eoque efficaci, ac libero creaturas prosequi. Addunt secundò, eum amorem *in esse efficacis, & liberi* includere essentialitèr aliquid extra Deum: quia talis amor *in esse efficacis, & liberi* est defectibilis, solumque id, quod extra Deum est, defectibile est.

9 Addunt tertiò, actum necessarium Dei, quo Deus amat necessario se ipsum, necnon necessario complacet in omni bono possibili, infinitam, summam, & omnem perfectionem habere in ratione amoris omnium decentèr amabilium, cōplerique in esse amoris liberi, & efficacis circa existentiam Petri v. g. vel per ipsam existentiam Petri, vt nonnulli volunt, vel per externam productionem actualem Petri, vt sentiunt P. Arrub. P. Torres, P. Herice, & alij. Hoc autem complementum amoris in esse liberi, & efficacis, quod amori, quatenus in his rationibus accepto, intrinsecum est, iuxta omnes sectatores huius opinionis, vult Basilius Pontius intrare in recto, vt aiunt, in eum amorē, quatenus efficacē, & liberū. Communitèr tamen alij censent, intrare in obliquo, vel, vt loquuntur docti RR. intrare tanquam partiale constitutiuum concreti, siue formalis effectus *volentis libere, & efficaciter Petrum*; non tamen esse partem intrinsecam liberæ, & efficacis volitionis sumptæ in abstracto. Itaque tota forma denominans Deum liberè, & efficaciter volentem est actus necessarius, & intrinsecus Dei, licet in concretum *sic volentis* ingrediatur actio exterior, quâ producitur Petrus: quemadmodum tota forma, quæ reddit animum amantem Deum est pondus, vel qualitas affectiua intrinsecè animo vnita; tamen, quia nequit talem effectum animo exhibere, remotâ cognitione bonitatis diuinæ, ideo in effectū formalē amantis sumpti in concreto intrat etiam ea cognitio.

10 Sequuntur hanc opinionem grauissimi Theologi P. Vazquez 1. p. disput. 80. cap. 2. P. Arrub. disput. 54. à cap. 3. P. Alarcon de Volunt. disp. 4. cap. 8. P. Fasolus quæst. 19. artic. 3. P. Herice disput. 16. cap. 10. P. Granado tract. 3. de Voluntate Dei, disput. 5. sect. 3. P. Hemelm. tit. 7. disp. 3. cap. 6. apud quos Capreol. Deza. Ferrar. Zumel. Basilius Legion. P. Torres. P. Gilies. P. Salazar, & alij plurimi. His adde Auersa, prima parte, quæstion. 19. sect. 11. Pascualigum de

de Deo, disp. 32. sect. 9. P. Raynaud. in naturali Theologia, dist. 8. q. 2. art. 4. num. 85. P. Amicũ disput. 14. sect. 3. à num. 82. vbi præter citatos Altisiodor. & Alens. P. Recupitus tom. 2. de Deo, tract. 2. quæst. 9. cap. 2. P. Franciscus Vander-VeKen in libro aureo de simplicitate, & libertate diuina. Tenet nouissime hanc sententiam, & miro acumine præ reliquis illustrat doctissimus, & amicissimus P. Quiros tom. 1. in 1. p. quem propediem expectamus, tractat. de Voluntate Dei. Mihi sanè, vt verum fatear, difficilis est hæc opinio propter vnum, vel aliud argumentum, quod expeditè forsan subtiliores alij dissoluent. At, quia inter nostros Complutenses magno plausu communitèr recipitur, plura contra illam soluere nitar partim in hac disput. partim opportunius in seqq.

11 *Primò* arguitur. Nequit Deus reddi volens producere creaturam per id, quod nullatenus est volitio diuina. Actio autem creata nullatenus est volitio diuina: quippè talis actio est extrinseca Deo; secus volitio diuina, quæ cum sit actus vitalis Dei, oportet esse intrinsecam, & in Deo viuente immanentem: ergo nullatenus Deus potest reddi volens per actionem creatam. Confirmatur. Nam alius est effectus formalis volentis liberè producere creaturam; & alius effectus formalis producentis eas ad extra. Nam alioqui solus effectus formalis producentis ad extra conueniret Deo liberè, quod esset incidere in sententiam Aureoli impugnatam cap. 1. Non essent autem alius, & alius, iuxta propositam sententiam, iuxta quam concretum *Dei producentis* importat entitatem necessariam Dei, productionemque contingentem; nihilque aliud importat concretum *Dei liberè volentis*.

¶ Ad argumentum responderi poterit sic. Nequit Deus reddi volens *tanquam per volitionem formalem* per id, quod non est volitio; bene tamen tanquam per complementum intrinsecum concreti *liberè volentis*: quo posteriori modo se habet actio creata respectiuè ad effectum formalem *liberè volentis*. Sic in nobis in effectu formali *amantis* clauditur nostrum *esse*, vnio amoris nobiscum, & iuxta notata num. 9. notitia obiecti; nihilque horum est amor.

12 Ad confirmationem dicetur. Quanuis effectus formalis *Dei producentis ad extra*, & effectus formalis *Dei liberè volentis* non sint alius, & alius ex parte rerum; sed ex modo significandi; magnum tamen esse discrimen inter Aureolum, &

hanc sententiam. Nam eadem res, quas Aureolus non identificat cum vero, & proprio effectu formali libere volendi; sed solùm cum metaphorico, hæc sententia identificat cum vero, & proprio effectu formali libere volendi. Sic magnum est discrimen inter asserentes, duas albedines se ipsis præcisè esse similes; & asserentes, non sic; sed per modum superadditum: nam similitudinem, quam alij identificant cum binario albedinum, alij distinguunt.

13 Arguitur secundò. Nam iuxta hanc sententiam non esset Deo liberum velle efficacitèr creaturas; sed præcisè producere illas. At sequela videtur absurda ex dictis contra Aureolum. Probatur tamen. In concreto volendi efficacitèr creaturas duo præcisè includuntur. Primum, entitas necessaria Dei. Secundum, productio exterior creaturarum. At primum, vtpote omnino necessarium, non est liberum: ergo sola supereſt productio exterior, quæ sit libera. Respondebitur sic. Tametsi necessarium *esse* Dei secundùm se sumptum non sit liberum Deo; non tamen sola productio exterior secundùm se sumpta est Deo libera; sed etiam liberum est, quòd *esse* necessarium Dei coniunctim se habeat cum productione exteriori; cumque in ea coniunctione stet, Deum velle efficacitèr creaturam, patet, id esse liberum Deo. Sic non solum nobis est liber amor boni sumptus in abstracto; sed liberum etiam est, quòd simus volentes bonum, quippè remuneramur, quia sumus volentes bonum; & tamen in eo concreto volentium bonum includitur nostrum *esse*, cognitioque boni, quæ secundùm se non sunt nobis libera. Sic non solùm nobis est liberum velle comedere carnes; sed etiam hoc se habere coniunctiue cum notitia prohibitionis, ideo enim, vt peccatores punimur; tamen ea notitia non solet nobis esse libera.

14 At contra hanc solutionem est tertium argumentum. Decretum liberum, & efficax creaturæ est causa creaturæ. At causa non includit intrinsece effectum; sed ad ipsum præit prioritate naturæ: ergo tale decretum non includit intrinsecè creaturam, Cætera patent præter maiorem; quæ tamen certa est, quia Deus libere causat creaturas, idque est ipsas causare per decretum liberum, & efficax. Confirmatur primò. Nam in sensu causali potius est verũ, Deũ producere creaturas, quoniam id libere decernit; quàm id libere decernere, quia producit creaturas. Oppositum autem contingeret in hac sen-

ten-

tentiâ: potius enim est verum dari constitutum, quia dantur constitutiua; quàm dari constitutiua, quia datur constitutum, quippe partes potius sunt causa totius, quàm totum partium. At constitutiuum decreti in esse liberi est productio creaturæ; decretum autem constitutum est ex eâ productione in esse liberi: ergo potius est verum, Deum decernere liberè creaturam, quia producit illam; quàm è contra. Confirmatur secundo. Nam de volitione liberâ loquuntur Scripturæ tanquam de distincta adæquatè à productione exteriori, quam causat: ergo non includit illam productionem. Antecedens probatur ex locis adductis cap. 1. *Omnia, quæcumque voluit, fecit* ✻ *Diuidens singulis, prout vult.* Adde Exodi 33. *Miserebor cui voluero, & clemens ero, inquem mihi placuerit.* Eccles. 39. *Si enim Dominus magnus voluerit, spiritu intelligentiæ replebit illum.* Iob. 1. *Quia tu Domine, sicut voluisti, fecisti.* Porrò sermonem hîc esse de volitione libera, & efficaci patet ex cap. 1. numero 3. quia Deus non facit quæcunque vult per simplicem complacentiam.

15 Respondent aliqui ex doctrinâ P. Arrub. actionem distingui à termino, & ad ipsum præire prioritate naturæ: ideoque volitio Dei constituta in ratione liberæ, non quidem per existentiam termini; sed per actionem, causat existentiam creaturæ, distinguitur adæquatè ab ipsâ, & ad eandem præcedit prioritate naturæ. Sed huic solutioni acquiescere non possum. Tum, quia in Philosophiâ probabilius existimaui, actionem non præcedere; sed concomitari terminum. Tum, quia ibidem sensi, sicut actiones se ipsis sine processione intermedia procedunt ab agentibus; ita possibiles esse terminos se ipsis procedentes à suis principijs, & in his terminis instaurabitur difficultas. Tum, quia ipsa actio creata est quid creatum, & non procedens à Deo per aliam actionem; sed per se ipsam: ergo proposita difficultas non vitatur; sed à termino ad actionem transfertur.

16 Ideo ad argumentum dicetur sic. Decretum liberum, & efficax producendi creaturam potest sumi duplicitèr. *Primò* materialitèr secundùm suam entitatem. *Secundò* formaliter quatenus liberum, & efficax. Primo modo est in actu primo, &, vt aiunt, vt *quod* causa creaturæ, & adæquate distinctum non solùm à creatura; sed etiam ab ipsius productione: est enim, vt sic sumptum, ipsa entitas necessaria diuinæ volitioni. Secundo modo acceptum est causa, quatenus in

actu secundo exercens munus causandi creaturam, ipsiusque productionem: eo autem modo non est opus adæquate distingui ab ipsa productione causata. Nam causa, quatenus in actu secundo exercens munus causandi ipsam actionem, constituitur per ipsam actionem; non per aliud præuium, & consequenter in ratione exercentis tale munus non distinguitur adæquate ab ipsa actione causata.

¶ Ad primam confirmationem dicetur; aliter, & aliter esse veras has propositiones: *Deus producit creaturam, quia libere vult eam producere.* Item: *libere vult eam producere, quia producit.* Prior est vera, quatenus actus internus Dei, qui per ipsam productionem creaturæ constituitur in ratione liberi, causat efficienter creaturam, constituiturque in actu secundo causans eandem per ipsam productionem, quâ constituitur in esse liberi. Posterior est vera, quatenus ea ipsa productio completiuè, & in obliquo constituit Deum in ratione volentis libere creaturam producere. Ideo autem non absque iure prior potissimum censetur vera; quia id, quod ex parte antecedentis principaliter, & in recto importatur, nempe, interna volitio Dei, est vera causa illius, quod principaliter, & in recto importatur ex parte consequentis, nempe, productionis creaturæ. At in posteriori propositione contingit oppositum. Vt argumentum instetur, præ oculis habeto has duas propositiones, in quibus idem accidit, proportione seruata. *Causa efficiens producit actionem, quia est ipsam eliciens.* Item. *Quia existit actio, causa efficiens est ipsam eliciens.*

17 Ad secundam confirmationem, loquendo de volitione libera, vt liberâ, negabitur antecedens. Ad probationem dicetur, in eis quidem locis agi de volitione libera, & efficaci. Deinde in illis aliud supponi, aliudque affirmari. Supponitur, esse in Deo non solùm nonetaphoricè; sed propriissimè volitiones liberas, & efficaces; idque libenter amplectitur hæc sententia contra Aureolum. Asseritur, ea, quæ Deus vult his volitionibus liberis, & efficacibus, fieri certissimè; quod etiam est verissimum iuxta hanc sententiam. Cæterum ea testimonia non significant, actiones externas esse extra adæquatum constitutiuum talium volitionum in ratione liberarū, & efficacium. ¶ Sed ecce iam contra hanc solutionem quartum argumentum, cui plurimū fidunt RR. Nam, vt constat ex locis Scripturæ supra positis, efficacia diuinæ voluntatis commendatur, vt potentissima, cui nemo resistere potest. At ea cōmendatio nugatoria esset, si volitio

Etio diuina constitueretur in ratione efficacis per ipsã effectionem rei, quã vult: ergo non ita cõstituitur. Minor probatur: nã, eâ constitutione datâ non aliud esset dicere, Deũ facere quæcunque vult efficaciter, quã facere quæcunq; facit: item non aliud erit dicere, eius voluntatẽ, vt efficacẽ, nõ posse cõponi cum carentiâ effectus, quem vult, quàm eius volitionẽ, vt habentẽ effectum, non posse cõponi cũ carẽtia effectus. Hæc autẽ dirigere in cõmendatione diuinã nugatoriũ est: nec no cuique creaturę commune facere, quæ facit; & commune cuiq; velleri, quòd ipsius volitio, vt habens effectũ, non possit cõponi cum carentia effectus.

18 Confirmatur primò. Quia similiter nugatoriũ esset cõmendare infallibilitatẽ diuinæ scientiæ circa futuritionẽ rerum. Nã ea infallibilitas in eo stat, vt Deus, quatenus asserẽs futuritionẽ rei, non possit cõponi cum non-futuritione: cũque Deus in ratione asserentis futuritionẽ constituatur partim per ipsam futuritionẽ, illud quidẽ non erit aliud, ac dicere, Deũ, vt coniunctũ cum futuritione, nõ posse cõponi cũ non-futuritione Hoc autem, & cuique nostrum cõmune est, idque dicere nugari potius est, quã Deũ laudare. Confirmatur secũdo. Nam hæc sententia non magis concedere Deo videtur scientiam futurorum, quàm hæretici propterea cum Vviclef damnati, quòd eam negauerint. Nã illi cõcedebant scientiã necessariã possibilũ, futuritionẽque creaturarũ, quas denuo produci videbant. At hæc sententia nõ aliud, quã id cõcedit in scientia futurorum. Vt igitur ab hæreticis eam scientiã negantibus discernatur, opus est admittere scientiã futurorum à scientia necessariã, & â futuritione rerum distinctam.

19 In primis argumentũ instatur contra omnes. Nam, iuxta omnes, efficacia diuinæ volitionis in eo stat, vt volitio efficax non possit coniungi cum non-effectione rei, quam vult: sicut autem irrisoria videtur esse cõmendatio Dei, quâ nihil aliud effertur, quàm Deum facere, quæcunque facit; ita etiam, quâ non alia excellentia elucet, quam Deum facere quæcunque vult eo actu, qui non potest cõponi cum eo, quòd non fiant: & sicut omni efficienti commune est facere, quæ facit; ita cuique volenti commune est ea fieri, quæ ipse vult actu incõponibili cum eo, quòd non fiant Hinc autem videtur sublucere vera argumenti solutio. Sicut enim, iuxta aduersarios, bifariam possumus loqui de decretis diuinis efficacibus. *Primò* sic. Quæcumque Deus decernit decreto incompossibili cum eo, quòd non fiant, fiunt. *Secundò* sic. Deus pro dominio suę liber-

tatis

tatis habere potest circa quæcunque decenter amabilia volitionem absolutam huius naturæ * Decerno, vt hoc fiat * eaque volitio talis est, vt plenè constituta in sua ratione (siue constitutio sit per prædicata adæquatè intrinseca Deo, siue partim ab extrinseco) vt nulla vi possit cóponi cum non-effectione rei, quam decernit: ita, iuxta hanc sententiã, eo duplici modo possumus loqui de decretis diuinis efficacibus; & sicut, iuxta aduersarios, prior locutio non est commendatoria; sed nugatoria; contra verò posterior; ita etiam iuxta hanc sententiam: & sicut locutio priori similis forsan potest ex veritate dirigi ad omnem volentem; secus posterior, iuxta aduersarios; ita pariter, iuxta hãc sententiam.

20 Nec te moueat contra hanc opinionem modus ille, quo Scripturæ loquuntur de Deo * Fiet hoc, si Deus voluerit * Non enim hoc sonat, volitionẽ Dei, vt efficacem, & liberam adæquatè distingui ab effectione talis rei; sed indicat, eam effectionem pro dominio, ac libertate Dei volentis exerceri. Simile contingit in exemplo satis communi petito ex nostra libertate, propter quam iure dicimus * *Amabimus, si nobis placeat* * cum tamen placere, & amare non distinguantur, ne abeamus in infinitum. Idem videre est in exẽplo appositio, quo P. Amicus vtitur. * Cõcurret Deus in actu secundo ad amorem liberum creaturæ, si hæc se determinet * Vbi non significatur huius determinationis, & illius concursus distinctio; sed creaturæ libertas exprimitur. ¶ Ex dictis patet ad primam confirmationẽ, Nam diuinam scientiam de infallibilitate laudari, nõ in eo stat, vt dicamus, eam, vt coniunctam cum obiecto, quod asserit, non posse ab illo, vt per ipsam asseritur, separari; sed in eo, vt dicamus, quòd separari nequit ab obiecto, quod asserit, quatenus per ipsam asseritur, quouis tandem modo in ratione sic asserentis constituatur, de quo non curat ea commendatoria locutio. Vide dicta ad argumentum.

21 Secunda confirmatio minus vrget, vt colligitur ex dictis in re simili num. 12, & elegantèr præ alijs obseruat P. Vander. VeKen. sup. disp. 5. num. 6. Nam per errorem, quoad rem ipsam aliquid negare, non fit præcisè omnimodis negãdo res, in quibus illud aliquid physicè stat; sed etiam fit negando eis rebus, de cætero concessis, identitatem cum prædicatis, cum quibus realitèr identificantur. Sic, si vera est sententia, quæ ponit relationem similitudinis in coexistentia similium, profectò, qui duas albedines videns affirmat

mat coexistentiam ipsarum; negat tamen ei coexistentiæ rationem similitudinis vnius albedinis cum altera, certè non omnino negat res, quas importat similitudo identificata cum ea coexistentia; circa hanc tamen errat quoad rem ipsam; quia ex mala rei inspectione negat ipsi prædicatum, cum quo re ipsa identificatur. Similiter, qui diceret sic * Sunt in Deo cuncta, quæ vera Deitas exposcit * si deinde ex mala introspectione Dei negaret vnitatem in essentiâ, & Trinitatem in personis, erraret ab dubio quoad rem ipsam in Theologiâ, & fide. Cuius notissimæ rei cuique iam suppetent innumera exempla. Dicatur ergo in præsenti, Vviclef, & alios concessisse res illas, in quibus physicè stat diuina scientia futurorum; errasse tamen quoad rem ipsam in articulo talis scientiæ, iureque optimo damnatos esse, quia eis ipsis rebus, quas concedebant, negabant identitatem cum scientia futurorum, negantes pariter talem scientiam in alijs prædicatis diuinis consistere.

(*)

CAP. III.

Eadem sententia vindicatur ab alijs argumentis.

22 QVintò arguitur: quia negari non possunt specialiores Dei affectus circa alias creaturas, quàm circa alias, iuxta illud *Iacob dilexi; Esau autem odio habui.* Et quis neget specialiorem Dei amorem circa humanitatem Christi, quàm circa humanitatem Iudę? Non autem constare videtur cum hâc sententiâ hęc specialitas affectuum: quia, seclusis effectibus ad extra, solùm supereſt simplex complacentia necessaria, quæ respectiuè ad humanitatem Christi, & Iudæ æqualis est. Respondebitur. Deus specialius, & præstantius amat humanitatem Christi, quàm Iudæ, eo ipso quòd illi tribuat potius, quàm Iudæ præstantiora bona, cã enim præstantiorum bonorum collatione simul cum volitione internâ necessaria cõ stituitur Deus specialius, ac præstantius amans humanitatem Christi, quàm Iudæ. Ratio est: quia ad specialitatem, & excessum vnius concreti comparati cum alio non est opus, vt speciale, & excedẽs, sit speciale, ac maius quoad omnia sua constitutiua, quàm alterũ; sed sat est, eam specialitatem, & excessum esse ratione alicuius partis. Cum igitur

tur, iuxta hanc sententiam, Deus, quatenus *amās* humanitati Christi vnionem hypostaticam, constituatur partim per collationem vnionis hypost. &, vt *amans* humanitati Iudæ carentiam vnionis, constituatur partim per hanc carentiam, satis erit specialitas, & excessus petitus ex collatione vnionis, vt Deus sit specialiter, magisque amans humanitatem Christi, quàm Iudæ; tametsi prædicta concreta conueniant prorsus in interna volitione Dei, per quam partim constituuntur. Cuius rei innumera suppetunt exempla; sufficiat tamen vnum indicare. Si enim Petrus, & Paulus heri commiserint furtū æqualis malitiæ; quod tamen hodie condonatum fuerit Petro; & non condonatum Paulo, proculdubio Paulus ratione peccati præteriti, vt non condonati, specialius, magisque peccator est, quàm Petrus: nimirum, quia, licet accepto huiusmodi concreto, in quo stat peccatum habituale: *Actus malus præteritus non condonatus*, vterque conueniant in præteritione actus æqualiter praui; plurimùm tamen in condonatione discrepant.

23 *Sextò* arguitur. Nam hæc sententia videtur Deo negare scientiam liberam de futuris, & existentibus contingenter, quod est absurdum. Probatur. Visio, per quam Deus videt Petrum, v.g. liberè amaturum esse Deū, non est præcisè scientia necessaria Dei, quippè quæ non magis connectitur cum prædicto amore libero, quàm cum eius carētia; cum tamen ea visio connectatur cum tali amore libero. Sed neque talis visio est ea scientia necessaria, vt coniuncta cum eo amore libero; vel, quod in idem recidit in hac sententia, vt connotatiuè includens eum amorem liberum: igitur ea visio nihil est. Minor probatur. *Primò*: quia, cum amor liber creatus nullâ ratione sit repræsentatio diuina ipsius amoris, nullâ ratione visio ipsius includit illū; sed adæquatè distinguitur ab ipso. *Secundò*. Nam alioqui, cur similitèr nō dicetur, in nobis cognitionem obiecti, vt possibilis, simul acceptam cum existentia obiecti esse cognitionem obiecti, vt existentis? ¶ Confirmatur primò. Quia PP. & Theoll. visa semper fuit difficilis concordia scientiæ visionis diuinæ de actibus liberis creatis cum libertate istorum. At iuxta hanc sententiam esset facillima, proindeque tanta facilitas eam reddet de falsitate suspectam. Ea nimia facilitas patet: nam scientia visionis de actu libero constat ex duobus. Primò, ex scientia Dei necessaria, quæ cum sit penitus indifferens ad talem actum, eiusque omissionem, facillimum est non pugnare cum libertate. Secun-

cundò, ex ipso actu, vt liberè exercito. Quid autem clarius, & facilius, quàm actum, vt liberè exercitum, non excludere libertatem sui? Confirmatur secundò. Quia, Deo videnteTetrum esse peccaturum, existit *intra ipsum Deum* securitas, & certitudo de futuritione talis peccati. At ea securitas, & certitudo connectitur essentialiter cum futuritione peccati: ergo tunc existit intra Deum aliquid connexum essentialiter cum futuritione peccati. At omne connexum essentialiter cum futuritione peccati est defectibile, sicut ipsa futuritio peccati: ergo præter prædicata necessaria Dei, quædam aliæ formalitates detectibiles existunt intra Deum.

24 Hæc videntur vrgentiora, quàm alia; sed adhuc non conuincunt. Argumenti responsio hæc erit. Illa visio sumpta in abstracto est ipsa scientia necessaria, quæ Deum cognoscit, cunctaque possibilia, vt talia. At accepta in concreto, quatenus denominans Deum videntem amorem liberum, quem Petrus exercet, claudit intrinsecè completiuè, ac de connotato talem actionem liberam amandi. Ad primam minoris probationem dicetur. Tametsi prædicta actio libera amandi nulla ratione sit diuina repræsentatio in abstracto sumpta eius amoris; nihil tamen prohibet, quominus sit completiuum intrinsecum Dei, quatenus videntis talem amorem: quemadmodum, etsi anima rationalis, & vnio ponderis affectiui circa obiectum, id est, amoris, nulla ratione sint ipse amor in abstracto sumptus, nihil vetat, quominus sint completiua intrinseca huius conc reti: *Anima rationalis amans.* Ad secundam probationem dicetur, cognitionem creatam rei, vt possibilis, cum sit valde limitata in ratione cognitionis, adhuc in abstracto sumptæ, non esse mirum insufficientem esse, non aduenien te noua notitia, etiam in abstracto sumpta, ad videndam rem, vt existentem; & tamen oppositum propter oppositam rationem in Deo contingere. Adde: non implicat cognitio creata, quæ diuersum concretum cognoscentis cõstituat absque nouæ cognitionis accessione, solo aliquo aduenient e, quod cognitio non est. Nam, iuxta sententiam mihi veram, quæ censet, posse idem iudicium internum migrare de vero in falsum, hoc iudicium: *Petrus sedet de præsenti*, iam hoc, iam illud instans significat ex præcisa variatione instantium sine noua repræsentationis in abstracto sumptæ accessione

25 Ad primã confirmati onẽ dicet:

dicetur, difficultatem eius concordiæ semper vigere. Tum, quia quod solùm est facilè ex suppositione valde difficili, manet absolutè valde difficile. At, quanuis facilis sit ea concordia ex suppositione, quòd scientia visionis constituatur eo modo, quem defendit hęc sententia; talis tamen constitutio tàm iuxta illius impugnatores, quàm protectores difficilis est, etsi alijs sit probabilior, quàm alijs. Tum, quia sæpè quod sub vnâ luce videtur facilè, sub alia videtur difficile: idque contingit hîc. Ea enim cõcordia facilis apparet, diligentèr euolutis constitutiuis eius scientiæ: at apparet difficilis, si attendamus eam scientiã, vtcunque tandem constitutam, oportere infallibilẽ esse ab æterno circa liberos actus succedentes temporalitèr post istam, quo destrui videtur contingentia, vt existant, & non existant in tempore. Quòd si eiusmodi infallibilitas æterna componi non possit cum modo, quo cõstituit talem scientiam hæc sententia, erit quidem bonum argumentũ contra ipsam, de quo capit. 4. semel tamen admissis, quæ admitti debent, difficultas eius cõcordiæ perstat. ¶ Ad secundã confirmationem dicetur, existere tunc *intra Deum* certitudinem illam, & securitatem acceptam pro cognitione reddente Deum certum, & securum de tali euentu; non tamen certitudine accepta pro cunctis constitutiuis tam in obliquo, quàm in recto importatis, quibus ea cognitio constituitur in esse certæ in actu secundo de tali euentu: quemadmodum existit intra Deum immensitas coexistens omni vbicationi reali, & æternitas coexistens omni durationi reali; non tamen existunt intra Deum omnia, quæ in obliquo constituunt eas perfectiones in ratione coexistentium eis vbicationibus, & durationibus: nam istarum existentia intrat in constitutionem talis coexistentiæ, eaque existentia non est intra Deum; sed extra.

26 *Septimò* arguit ingeniosus Recentior. Nam hæc sententia remouet irrationabilitèr à Deo scientiam liberam indirectam obiecti cogniti in medio essentialitèr connexo cum ipso. V. g. non poterit Deus cognoscere creaturam, vt actualitèr existentem, in ipsa productione actuali creaturæ essentialitèr cõnexa cum existentia creaturæ. Probatur. Quia cognitio diuina de tali productione nihil habet, quod sit in genere repræsentationis indirectus respectus intentionalis ad creaturam, vt actualitèr existentem. Nam cognitio diuina necessaria præcisè sumpta non respicit creaturam, vt actualitèr existentem; sed tãtum vt possibilem. Deinde, vt coniuncta

iuncta cum productione actuali, addit duntaxat ipsam productionem, quæ non est respectus intentionalis mediatus, & indirectus ad creaturam; sed physicus, immediatus, & directus. Confirmatur, & explicatur. Demus, intuitionem albedinis constitui partim per ipsam albedinem in ratione talis intuitionis. Tunc sic. Licet albedo sit respectus immediatus physicus ad subiectum; tamen quia non est respectus ad illud in genere repræsentatiuo, & intentionali, non constituit eam visionem indirectè repræsentantem subiectum; quā tamen constituit in ratione intuitionis circa albedinem. At productio creaturæ, licet sit respectus immediatus physicus ad creaturam; non tamen est respectus ad ipsam in genere repræsentatiuo, & intentionali: ergo non constituit cognitionem diuinam in ratione cognoscentis indirectè creaturam, vt existentem; quanuis eam cognitionem constituat in ratione cognoscentis immediatè ipsam productionem.

27 Argumenti responsio erit. sicut in constitutiuis seorsim, ac distributiuè sumptis huius concreti: *Anima rationalis amans Deum* nihil est, quod sit *animam rationalem amare Deum*; coniunctum tamen ex amore, vnione illius cum animâ, & ipsâ anima, vt cognoscente bonitatem diuinam, est animam rationalem amare Deum; ita, licet in constitutiuis singillatim acceptis huius concreti: *Deus videns productionem creaturæ* nihil sit, quod Deum reddat cognoscētem indirectè creaturam in connexione productionis cum ipsâ creaturâ; coniunctum tamen ex diuinâ cognitione necessariâ, & infinitâ, & ex productione creaturæ reddit Deum cognoscentē indirectè creaturā: nam ea cognitio iure suæ infinitatis habet, vt per productionem creaturæ compleatur vltimò in ratione cognoscentis eam productionē, quantùm cognoscibilis est, & consequenter cognitione referente ipsam ad creaturam tanquam ad terminum sui respectus, & connexionis. Neque obstat, eam productionem esse respectum physicum directum, & immediatum ad creaturam: sicut enim vnio materiæ primæ cum anima rationali se ipsam reddit essentialitèr affixam, & vnitam animo; at materiam primam reddit accidentalitèr vnitam animo; sic ea productio potest se ipsam reddere respicientē physicè immediatè, ac directè creaturam productam; & tamē reddere cognitioni diuinæ formalem effectum respicientis intentionaliter, mediate, & indirectè creaturam productām.

¶ Ad confirmationem patet ex dictis in re simili num. 24.

Ta-

Tametsi namque diuina cognitio iure suæ infinitatis complectatur per obiectū in ratione cognoscentis ipsum immediatè; indirectè autem terminos, quos respicit, importunè id adscribetur, siue in vniuersum, siue in casu particulari cognitioni creatæ, finitæ, & limitatæ, donec in aliquo casu rationibus vrgentibus euincatur.

28 *Octauò* arguitur. Non solùm est intrinsecus Deo actus necessarius, quo Deus se ipsum amat, & in creaturis possibilibus complacet; sed etiam totus effectus formalis amantis se ipsum, & complacentis in eis creaturis: ergo non solùm est intrinsecus Deo actus, quo liberè amat: sed etiam totus effectus formalis liberè amantis. Antecedens est certum quoad priorem partem: nam quoad posteriorem non ignoro, plures ex discipulis P. Vazquez complere complacentiam necessariam possibilium ex actu Dei interno, & ex quâdam possibilitate necessariâ Deo extrinsecâ, quam ego nunquam percipere valeo. Consequentia probatur. Tum, quia testimonia Scripturæ tam exprimunt amorem liberum, quàm necessariū: ergo eodem modo sunt intelligenda de vtroque; ac proinde, si vnius effectus formalis est adæquatè intrinsecus, etiam alterius. Tum, quia iuxta illud ad Ephes. 2. 4. *Deus autem (qui diues est in misericordia) propter nimiam charitatem suam, qua dilexit nos, & c.* non solum proponitur liber effectus formalis volentis; sed ipsa forma, ipse amor, & ipsa charitas, quæ tanquam gratiosa, misericors, & actionis gratiarum materia prædicatur. At forma volendi, amor, & charitas est adæquatè intrinseca Deo: ergo iam aliquid liberum est adæquatè intrinsecum Deo; consequenterque non erit, cur totus effectus formalis volentis non sit omnino intrinsecus.

29 Concesso antecedente, negabitur consequentia. Ad primam probationem dicetur. Tametsi Scriptura eodem tenore verborum de amore necessario, ac de amore libero loquatur; aduersarij tamen discrimen agnoscunt inter effectum formalem amandi necessariò, & effectum formalem amandi liberè, quòd prior est indefectibilis; posteriorque defectibilis. Quid ni ergo discrimen aliud iuxta hanc sententiam assignetur, quòd prior est adæquatè intrinsecus, posteriorque partim intrinsecus, & partim extrinsecus? Et sicut ipsi Scripturæ locutionibus eiusdem tenoris satisfaciunt, nō quia effectus formales vtrique respondentes omnino sint similes; sed quia, sicut amor necessarius, non quidem metaphoricè, sed proprijssimè reddit Deum amātem necessariò; liber similitèr, non me-

metaphoricè, sed proprijssimè reddit amantē liberè; cur minus hæc sētētia satisfaciet dicēs, etiā amorem liberū medio illo, quo liber est, siue sit intrinsecū; siue extrinsecum, non quidem metaphoricè; sed proprijssimè exhibere Deo formalem effectum amantis liberè? Ad secundam probationem dicetur. Sicut iuxta plurium opinionē (vt omittā alia exempla) cognitio iure merito dicitur vera, quanuis non sit vera præcisè ex suis intrinsecis, propterea quòd coniuncta cum certis extrinsecis constituit intellectum in ratione cognoscētis verè; sic diuinus amor iure optimo dicetur liber, misericors, & gratiosus (omni remota improprietate, vt in exēplo cognitionis veræ) quanuis nō præcisè ex suis intrinsecis eiusmodi denominationes sortiatur, eo quòd, vt coniuncta cum extrinsecis, cōstituit Deum liberè, misericorditèr, & gratiosè diligentem nos.

30 *Nonò* arguitur. Forma, per quā constituitur Deus volens efficacitèr creaturā, est amor necessarius Dei, ipseque amor est forma, per quā cōstituitur Deus nolens efficacitèr creaturā. Præterea. Scientia necessaria Dei est forma, per quā Deus cōstituitur assentiens existentiæ rerum, nec non dissentiens ipsarū existētiæ. Sunt igitur in Deo affectus, & notitiæ oppositę, nēpè, volitio efficax, & efficax nolitio: assensus, ac dissensus. ¶ Respondebitur. Sunt in Deo tales affectus, & notitiæ, non quâ ratione opponuntur; sed quâ ratione non opponuntur. Sunt quidē in Deo sumpti, & sumptæ secundū suū *esse*: & hac ratione non sunt res oppositæ; sed ipsa entitas simplicissima Dei. Opponuntur tamē quoad effectus formales efficacitèr volendi, ac nolendi creaturam: assentiendi, ac dissentiētiendi ipsius existentiæ: & eiusmodi effectus formales nec intra, nec extra Deum simul sunt. Nam cōpletiuè important oppositā: alius produci creaturam; alius non produci. ¶ Si vrgeas, formam non inesse naturalitèr subiecto, quandiu nequit illi exhibere suum effectum formalē: at forma nolendi efficacitèr nequit nunc exhibere Deo formalem effectum nolentis efficacitèr mundum: ergo nequit nunc inesse Deo naturalitèr. Respondebitur. Indiuisa forma, quæ pro diuersitate cōditionum diuersos potest effectus formales præstare, inest naturalitèr subiecto, etiā quādiu impedita est, quominus vnū præster, maximè si expedita sit, vt exhibeat aliū. Sic habitualis gratia, quæ naturā rationalem, prout fuerit, vel nō fuerit vnita hypostaticè cū Deo, potest reddere filiam adoptiuā Dei, naturalitèr inest humanitati Christi D. quanuis ea gratia

ratione vnionis hyp. sit impedita, quominus eam humanitatē reddat filiam adoptiuā; est enim expedita, vt eandem reddat sanctam. Sic igitur idem indiuisus amor diuinus, & intellectio Deo nunc naturaliter cōpetunt: nam ipsi præstant effectum formalē volentis, & scientis existentiam mundi; tametsi nunc impediātur, quominus tribuant effectū formalem nolentis existentiam, & eidem dissentientis.

31 *Decimò* arguitur. Nam in hāc sententia sequitur, non posse Deum, semel patefactis rebus externis, libera sua celare consilia, quippè quæ nihil aliud Deo addunt præter res externas: hæc autem est imperfectio, quæ neque in nobis quidem reperitur, qui post nostras actiones externas manifestas, tegere possumus, quibus eas consilijs, & intentionibus exerceamus. Respondebitur. Nunquam pertinet ad perfectionem agentis liberi, quà liberi, vt eius consilia libera iam patefacta, quatenus libera sunt, maneant adhuc occulta, quippè quod est implicatorium. Vt tamen communiter Theologi statuunt tract. de Angelis, ad perfectionē dominij libertatis pertinet, vt determinationes immediatè liberæ non pateant alijs, nisi ex consensu domini, donec dentur alia indicia non immediatè libera, quibus notæ fiant. Hinc primò: cum in nobis, adhuc positis actionibus externis, non sint indicia, quæ sufficiant ostendere quibus consilijs exerceantur, etiam positis eis actionibus, manet in sua vi secreti ius. Secundò, cum in Deo, iuxta hanc sententiam, ipsæ actiones externę immediatè, & formaliter libere exerceātur, ius integrū in Deo manet, vt nisi de consensu ipsius non patefiāt, in quo excedit perfectio iuris diuini, in ordine ad secretum, ius creatū. Quòd si aliquæ actiones diuinæ sint essentialiter manifestantes se ipsas alijs creaturis rationalibus, constituunt etiam determinationem liberam Dei de manifestatione ipsarū, ideòque manifestatio est ex consensu Dei.

32 *Vndecimò* arguunt. Quia iuxta cōmunem sensum Theologorum, prius est Deum decernere efficaciter existentiā mundi, quàm videre mundum existentem. At hoc est falsum iuxta hanc sententiam: ergo &c. Minor probatur. Quia pro eo signo, quo datur Deum decernere efficaciter existentiā mundi, datur futura productio mundi, daturque existens scientia diuina simplicis intelligentiæ dirigens Deum ad tale decretum. At visio mundi, vt existentis, non est aliud, iuxta hanc sententiam, quàm ea scientia simplicis intelligentiæ simul cum productione futura mundi: ergo

go ea vno datur pro illo priori; non pro posteriori. Confirmatur: quia non potius Deus videret mundum existere, quia decreuit existere, quàm conuersim: quippe non potius præit decretum efficax producendi mundum ad scientiam visionis circa ipsum, quàm ea scientia ad decretum. Nam, vt probatum est, hi actus non seruant ordinem prioris, & posterioris; sed comitantèr se habent. Confirmatur secundò. Nam in ea sententia idem erit Deum decernere productionē mundi, & gaudere de productione iam exercita, imò & videre productionē iam exercitam: sunt enim eadē cōstitutiua eius decreti, gaudij, & visionis, nimirum, entitas necessaria Dei, connotatâ productione mundi.

33 Hoc argumentum cum suis confirmationibus parum vrgebit, si recolantur, quæ diximus disp. 8. capit. 3. & locis ibi notatis. Ex quibus ad argumentum respondebitur, decretum efficax producendi mundū non esse prius *ordine intrinseco ex parte rerum*, quàm scientiam visionis de existentia mundi, vt benè probat argumentum; prius tamen esse *ordine extrinseco ex parte nostri modi concipiendi*, quatenus in hac causali * Quia Deus decernit mundum producere, videt mundum à se decernente productum esse * processio fit ab antecedēte notioris intelligentiæ ad consequens intelligentiæ ignotioris: contingit autem oppositum, formatâ causali inuerso ordine. Vnde patet ad primam confirmationem. Ad secundam dicetur. Sicut nullum inconueniens esse duximus; sed tanquam probabilissimum defendimus loco cit. eandem indiuisam formalitatem esse simul decretum efficax producendi creaturam, determinationem Dei ad hoc decretum, scientiam visionis eiusdem, necnon gaudium de eodem, vt exercito; sic in re præsenti non est cur inconueniens; sed probabilissimum censeatur, omnia illa, quorum confirmatio meminit, idem prorsus esse re ipsa, maximè cum ea, quæ cōtra esse possunt, soluta sint in re simili loco notato.

34 *Duodecimò* arguitur. Quia ex hâc sententiâ sequeretur, Deum non minus amare peccatum, quàm bonum opus. Nihil enim aliud est Deū amare creaturam, quàm entitas Dei necessaria, & illa creatura existens: ergo non aliud erit Deum amare peccatum, quàm eadem entitas Dei, & peccatum existens. Vnde vlterius fieret contra Cōcilium Tridentinum, Deum non minus esse causam propriè, & per se peccati, quàm boni operis. Nam ea causalitas pro-

pria, & per se peccati, eò præcisè potest adimi à Deo, aliàs concurrente immediatè ad materiale peccati, quia cõcurrit cum displicentiâ quasi coactus, determinatusque ab arbitrio creato prauo, veluti rapiente concursum diuinum, inuito Deo, vt loquitur Anselmus, quem citaui tract. de Prædestin. disp. 11. cap. 2. num. 24. At, vt probauimus, non sic Deus concurrit; sed potius amans peccatum: ergo &c. ¶ Respondebitur. Sicut in actu contritionis, qui est amor Dei, & odium peccati, non est idem esse amorem, & terminari ad peccatum, ac esse amorem peccati; ita in amore necessario Dei esse amorem coniunctum cum peccato non est idem, ac esse amorem peccati. Ratio est. Quia diuinus amor nõ est amor liber efficax omnium obiectorum eo ipso, quòd ea producuntur; sed eorum duntaxat, quæ sunt creaturæ honestè amabiles, cuiusmodi non sunt peccata. Vnde huic interrogationi P. Arriaga: Quid aliud haberet Deus, quàm nunc in hac sententia, si amaret efficacitèr peccatum? Respondet optimè P. Vander VeKen supra, num. 52. & 53. tũc vel peccatum, sua turpitudine exutâ, indueret honestatem, vel Deus suam naturam mutaret, adeò vt, qui nunc est amor solùm honestorum, tunc etiam esset amor inhonestorum, cumque in hac sententiã vtrumque sit impossibile, impossibile est, Deum amare peccatum.

35 Hinc non vrget, quod adiũgebatur de causalitate peccati. Tum quia, si arguenti sufficit ad excludendam à Deo causalitatem peccati, non concurrere decernendo; sed displicendo, iam est explicatum esse id verum in hac sententia. Tum quia, vt dixi disput. cit. de Prædestin. cap. 5. & vberius dicam, si Deo placeat tract. de peccatis, ideò, voluntate creata peccante, Deus non est causa peccati; quia, licet tunc detur concursus diuinus immediatus in abstracto sumptus; non tamen cum omnib⁹ requisitis, vt Deus absolutè, & simplicitèr denominetur concurrens. Id, quod ex dictis in hac disput. posset satis illustrati. Alia argumenta contra hanc sententiam petuntur, iam ex eo quòd, rebus extra Deum omnino inuariatis, possunt in Deo existere diuersa decreta libera; iam ex eo, quòd plures veritates Theologicæ videantur cum hac sententiâ inconciliabiles. Hæc tamen attingemus opportunius in seqq.

(*)

CAP.

CAP. IIII.

Quæ sint nobis in hac sententia difficiliora?

36 DVo sunt, quæ nobis semper hanc sententiam difficilem satis reddiderunt. *Primum* sumitur ex æternitate decretorum, notitiarumque contingentium Dei. *Secundum* ex actibus contingentibus circa veritates conditionatas cõtingentes. Vt primum efformem, præmitto, quod in Theologiâ negari non potest, nempè, Deum ab æterno habere actus liberos, vt nobis gratiosos, & gratitudine dignos, ideòque vt liberos, prout iæpè Scriptura, & PP. clamant. Ad Ephes. 1. *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem.* 2. ad Thimoth. 1. *Secundùm propositum suum, & gratiam, quæ data est nobis in Christo Iesu ante tempora sæcularia.* Act. 13. *Crediderunt quotquot erant præordinati ad vitam æternã.* De quo multa videri possunt apud Aug. de correp. & grat. de Præd. SS. & de bono perseu. Rursus: non incipit Deus in tempore scire cõtingentes euentus, qui temporalitèr accidunt; sed certò, & infallibilitèr prænoscit ab æterno, vt conspicuis Script. PP. que testimonijs veritas ista catholica constitit disput. 12. de Scientia, cap. 1. Primum igitur argumẽtum claritatis ergo sic formemus in scientia diuina futurorũ contingentium.

37 Ponamus, Petrum conuertendum esse cras, & argumentor sic. Deus, iuxta hanc sententiam, non potius ab æterno sciret, Petrum esse conuertendum cras, quàm oppositum. Probatur sequela, quæ ex suppositione facta sacrilega est. Vbi tam est forma sciendi Petrum non esse conuertendum, quàm forma sciendi Petrum esse cõuertendum, & præter illam formam nihil aliud est, non magis scitur alterum; quàm alterum. Fateor ingenij mei tarditatem, nihil clarius inuenio, quo possim hanc propositionẽ probare, vel explicare. At ab æterno tam est forma sciendi alterum ex illis, quàm alterum, & præter illam formam nihil aliud ab æterno est: ergo Deus non potius ab æterno scit, Petrum esse conuertendum cras, quàm oppositum. Minor patet. Nam ab æterno, iuxta hanc sententiam, sola est entitas necessaria Dei, quæ est scientia necessaria peræquè de se apta, vt Deus sciat, Petrum esse conuertendùm cras, & vt sciat oppositum. Omitto instantias, quibus argumenti vim tẽperare nituntur aduersarij. Nam omnibus in re simili occurrimus disput. 12. de Scientia, capit. 3. à numero 24.

38 Communis responsio est, præter entitatem necessariam Dei dari ab æterno futuritionẽ potius, quàm non-futuritionem talis conuersionis, eâque futuritione Deum constitui scientem potius Petrum esse conuertendum cras, quã oppositum. Sed contrà. Nam, vt cõstat ex tract. de Scientia, disp. 10. ea futuritio dupliciter potest intelligi. *Primò* sic, vt sit quædam forma cum eo essentialiter connexa, quòd Petrus neque nunc, neque antea conuertatur; sed postea. *Secundò*, vt nihil aliud sit, quàm aggregatum ex non-conuersione nunc, & similiter ante, & ex præsentiâ conuersionis postea: si futuritio primo modo intelligatur, non datur ab æterno. Nã ea forma nequit esse Deo, quippè qui minimè habet eam connexionem essentialem cum cõuersione: ergo est quid creatum: nihil autem creatum datur ab æterno: ergo &c. Iam, si futuritio secundo modo intelligatur, sanè, cum ab æterno non detur præsentia crastina conuersionis, non dabitur ab æterno talis futuritio adæquatè sumpta; sed præcisè quâ parte importat, neque nunc, neque antea Petrum conuerti. At hoc præcisè sumptum simul cum Deo, quippè quod stare cum eo potest, quòd neque cras conuertatur Petrus, non sufficit, vt Deus sciat, Petrum conuertendum esse cras: ergo semper conuincitur, Deũ ab æterno nõ hoc potius, quàm oppositum scire.

39 Nec valet, si dicas, eam scientiam compleri, non per quamlibet carentiam æternam conuersionis; sed, vt ait Fuster, per carentiam conuersionis æternam à parte ante, vt præcisè duraturam vsque ad tempus crastinum, in quo excluditur per conuersionem, quæ tunc datur. Hęc tamen verba videntur euanescere, si sensum enucleemus, eademque redibit difficultas. Nam conuersionis carentiam duraturam esse præcisè vsque ad tempus crastinum, nihil est aliud, nisi verbis ludere placeat, quàm Petrum antea, & antea non conuerti; & tamen conuerti cras. At ex his duobus hoc secundum non datur ab æterno; primum autem æquè indifferens est, vt Petrus conuertatur cras, & vt non conuertatur: ergo nihil assignatur, quo Deus ab æterno constituatur sciens potius conuersionem crastinam, quàm non-conuersionem. ¶ Nec valet, si dicas secundò, ipsum actum necessarium Dei esse, Deum denominandum, & constituendum esse ab æterno videntem potius conuersionem crastinam Petri, quàm non-conuersionem sub conditione, quòd illa detur potius, quàm hæc. Cum igitur conditionatum in absolutum

tran-

transeat, datâ conditione, fit, datâ in tempore conuersione crastina, Deum ab æterno constituisse videntem potius conuersionem crastinam, quàm non-conuersionem. Non, inquam, valet. Nam sub eâ cõditione, sub quâ nihil datur ab æterno vnius effectus formalis potius, quàm alterius, repugnat, ab æterno dari vnum effectum formalem præ altero. At sub conditione conuersionis exercitæ tempore crastino nihil ab æterno datur de formali effectu videntis conuersionem crastinam potius, quàm de formali effectu videntis non conuersionem, quia sub eâ conditione nihil ab æterno datur præter *esse* Dei necessarium, quod vtrique formali effectui commune est: ergo sub ea conditione repugnat, ab æterno dari effectum formalis videntis conuersionem præ formali effectu videntis oppositum.

40 Aliam solutionem meditatur acutus Recentior (quam in scriptis ipsius videre non licuit, ob idque forsan illustrius ab ipso proponetur, quàm à me referatur) petitam à principijs, in quibus vtrique conuenimus, quæ dedi tract. de Scientia Dei, disp. 15. scilicet, æternitatem diuinam esse formam vltimatè, & actualissime constituentem Deũ indiuisibilitèr durantem, ordineque durationis simultaneum, & indistantem respectiue ad omnia tempora successiua quantumlibet inter se distantia. Hinc, aiunt, scientiam diuinam, quæ profectò durat per ipsam æternitatem, per quam Deus, compleri semper, & ab æterno per conuersionem crastinam, quanuis hæc non existat semper, & ab æterno; sed in suo tempore. Nam, vt semper, & ab æterno compleatur per conuersionem crastinam satis est, quòd ab æterno, semperque duret per durationem simultaneam cum cõuersione crastina; sic autem ab æterno, semperque durat, propterea quòd duret per ipsam æternitatem intrinsecam Dei.

41 Sed hanc solutionem non tam rectè percipio, vt possim eam probare. Prius tamen moneo, quod hic Autor non negat; sed sapientèr fatetur, & exprimit, nempè, quanuis Deus, & prædicata diuina durent per formam ab omnibus durationibus temporalibus indistantem; nullatenus tamen res creatas durare tali formâ; sed præcisè per durationem propriam ab alijs durationibus distantem. Displicet igitur hæc solutio. *Primò*. Quia non minus erit verum, Deum ab æterno creare ad extra, quàm ab æterno scire actiones futuras in tempore. Consequens autem est absque dubio absur-

dum, iurèquè nègatur à Theoll. ex doctrina D. Tho. 1. p. quæst. 14. art. 15. ad 1. Probatur tamen, maximè si, vt plerique volunt, creatio actiua dicit in recto actum internum Dei connotantem de obliquo creatum aliquod complementum. Non minus in Deo est ab æterno, quod effectus formalis creantis ad extra importat de formali, quàm quod de formali importat effectus formalis scientis cõuersionem futuram. Item: non minus Deus semper, & ab æterno habet durationem indistantem à termino creato, quàm ab obiecto viso: ergo æquo iure verum est, Deum ab æterno creare ad extra, quàm ab æterno videre actiones futuras in tempore.

42 Ne tamen fiat recursus ad hoc, quòd creatio, quam *creans* importat de formali, est forma creata incipiens in tempore; at verò scientia, quam *sciens* importat de formali, est forma increata existens ab æterno. Confirmatur argumentum: quia non minus erit verum, Deum ab æterno deificare, ac sanctificare formalitèr humanitatem Christi, quàm ab æterno scire conuersionem futuram in tempore. Probatur sequela. Effectus formalis Dei sanctificãtis formaliter per prædicata diuina humanitatẽ Christi importat ex parte formæ prædicata diuina; cætera creata de materiali. Rursus: ea prædicata diuina existunt ab æterno. Tandem: durant per æternitatem indistantem à durationibus earum rerum creatarum, quibus prædictus effectus formalis completur. At his consimilia sunt, quæ verificant, Deum ab æterno scire conuersionem futuram: ergo non minus erit verum, Deum ab æterno deificare, sanctificareque formalitèr humanitatem Christi.

43 *Secundò* ad hominem. Nam, iuxta hunc Autorem, Deum odio habere peccatorem non est quid æternum, ne alioquin etiam nunc, quando D. Petrus iustus est, & beatus, perseueret Deus ipsum odio habens: ergo Deum scire conuersionem crastinam non est quid æternũ. Probatur consequentia. Tum quia, sicut per te illud primum importat intrinsecè connotatũ temporale incipiens, ac desinens in tempore, nempè, Petrũ existere in statu peccati; ita secundum importat intrinsecè simile connotatum, nempè, Petrũ cõuerti cras. Tũ quia, sicut forma sciendi conuersionem futuram est indistans respectu cuiusque temporis, quia est ipsa scientia necessaria Dei; sic forma odio habendi peccatorem, cum sit ipse actus necessarius voluntatis diuinæ, est indistans respectu

cuius-

cuiusquè tēmporis: ergo pari iure alter, & alter effectus formalis est tēporalis, vel æternus.

44 *Tertiò* à priori. Nam hîc sunt duo. *Primum*, actus necessarius scientiæ diuinæ. *Secundum*, conuersio, quæ cras exercetur. Primum durat existens semper, & ab æterno per indiuisibilem durationem complectentē omne tempus. Secundum per durationem temporalem incipientem, ac desinentem: ergo hoc secundum non existit ab æterno: & consequenter neque cōplexum includens primum, & secundum; sed præcisè illud primum: ergo Deus ab æterno nō potius videt conuersionem crastinam, quàm non-conuersionem, idemque argumētum eâdem vi redit. Nam, dato præcisè ab æterno, quod æquè indifferētèr se habet, vt videatur cōuersio, & vt videatur non-conuersio, non alia potius, quàm alia videtur ab æterno. ¶ Vrgetur. Vel enim ante tēpus crastinum, in quo Petrus conuertitur, existit circa conuersionem scientia diuina, vt infallibilitèr connexa cum conuersione crastinâ præ non-conuersione; vel tunc non existit sic prædicta scientia; sed præcisè secundùm se, quâ ratione indifferens est æqualitèr ad conuersionem, & non-cōuersionem? Si primum: certè, cum ea scientia nullius alterius ratione reddatur, in hac sententiâ, infallibiliter connexa cum conuersione crastinâ quàm ratione conuersionis crastinæ, fiet, non solùm scientiam diuinam secundùm se sumptam existere ante tempus crastinum; sed ipsam etiam conuersionem crastinam, quæ cras incipit, quod est implicatorium. Si dicatur primum: ergo Deus ante tempus crastinum non habet notitiam de conuersione crastina modo sufficiente, vt reueler, exercendam esse cras. Nam ad hoc reuelandum non potest Deus vti suâ scientiâ, quando ea est æquè indifferens, vt Petrus conuertatur, & non conuertatur cras. Quare Deus reuelare non poterit euentus futuros, antequam sint præsentes, quod cum fide catholicâ non constat.

45 Secundum argumentum, quod mihi semper difficile fuit, sumitur ex scientia conditionata veritatum cōtingentium cōditionalium, quam tutò negari non posse, vel innixam decretis diuinis actualitèr in Deo exercitis, vel independentèr ab illis cōstat ex tract. de Scientia Dei, disput. 19. Demus casum absolutè possibilem, nempe, Deum ex æternitate decernere nihil vnquā extra se producere: adhuc in eâ positione haberet hanc scientiā conditionatam. *Si talem rerum seriem condidissem, Petrumque vocassem auxilio A. ad meum amorem, ipse Petrus me amaret.* Hîc primo

primò est certum, hanc scientiã esse contingentem: nam, vt illam habuit Deus, potuit habere oppositam. Certum est secundò, Deum sic scire neque stare præcisè in ipso *esse* necessario Dei, neque in illo, vt cum eo coniuncto, quod nihil vnquam extra Deum produceudum sit: hæc enim indifferentia sunt, vt Deus non sic sciat; sed oppositò modo. Iam sic argumentor. Vel in casu, quo loquimur, verum est * Deus prædictam veritatem absolutè scit * sine vlla restrictione diminuente, & alienante rationem *absolutè sciendi* prædictã veritatem, vel id non est verum sine tali restrictione? Si hoc secundum: erit tunc absolutè, & simplicitèr verum, non scire Deum prædictam veritatem: quod tamen dici nequit. Quoties enim aliquid præcisè est verum cum addito alienante, eius contradictorium est absolutè, ac simplicitèr verum: ideoq; quia de homine picto præcisè verificatur, esse hominem cum hoc addito *pictum*, absolutè, & simplicitèr verificatur, non esse hominem. Si dicatur primum: arguo sic. Deum *absolutè* scire prædictam veritatem est aliquid *absolute dari*. At non est præcisè dari Deum absolutè, vel præcise secundùm se, vel vt nihil productum: ergo est aliquid absolutè dari non identificatum omnibus modis cum his. At non absolute dari aliquid extra Deũ: ergo dari absolutè quid nõ extra Deũ: ergo Deũ id scire, cum tamẽ sit cõtingens, cõstituitur per aliquid absolute existens contingens, & non extra Deum: quod hæc sententia studiosè refugit. Omitto solutiones, quæ adhiberi solent. Tum, quia non aptabuntur commodè huic argumẽto, prout à nobis est propositum. Tum, quia earum insufficientia facile patebit legenti, quæ diximus disp. 6. de Scientia, à num. 15. & disp. 10. à num. 21.

CAP. V.

Excluditur constitutio liberorum actuum per moralitates, & carentias.

46 SVnt Autores, qui hæc omnia componere student per nescio quas entitates morales medias inter physicas, & fictas distinctas moralitèr à Deo. Itaque, Deum decernere libere mundum nihil addit physicum supra entitatem necessariam Dei; bene tamen terminationem, & habitudinem quandã moralem contingentem, ratione cuius Deus constituitur liberè, & efficacitèr decernens mũdum. Licet autem inconueniens sit, aliquid physicum physicè distinctum à Deo existere ab æterno; non tamen aliquid morale moralitèr à Deo distinctum. His mo-

moralitatibus explicare contendit mysterium actuum liberorum Illustrissimus Ferdinandus de Salazar (& ni fallor P. Coninch) in defensione Immaculatæ Conceptionis, cap. 24. sect. 3. num. 47. & seqq. Et, licet plura sint, quibus specialis modus, quo in præsenti ponit prædictas moralitates hic Autor, impugnari possit, libenter illa præteribo. Tum, quia fere coincidunt cum illis, quæ dedimus tract. de Scientia, disp. 12. à num. 14. contra hunc Autorem, necnon contra Valentiam, Rainaud. Albertin. & Franciscum de Lugo. Tum, quia vniuersalis impugnatio cũcta satis euertit.

47 Hæc sententia displicet propter illa, quæ dedimus contra has medias entitatulas tract. de Sacramentis in genere, disp. 1. cap. 3. Vt hæc res intelligatur, & ne quis incautè decipiatur existimans, nouis vocibus respõdere semper noua obiecta. Præmitto, ens morale posse accipi, vel tanquam distinctum ab omnibus rebus physicis; vel tanquã idem cum aggregato quodam rerum physicarum, vt æquiualentium tertiæ alij rei in ordine ad aliquos effectus. Hoc posteriori modo passim, & iure quidem optimo, tam à Theologis, & Philosophis, quàm à Iurisconsultis admittitur, vt inter alios obseruat egregie P. Vander Ven Kem sup. disp. 2. cap. 6. num. 30. & 31. Sic Theologi moralem peccati actualis perseuerantiam, quâ peccatum in ratione habitualis constituitur, ponunt in actu præterito prauo simul cum non-condonatione diuinâ, quia hoc aggregatum rerum physicarum æquiualet existentiæ præsenti peccati in ordine ad diuinã vindictam lacessendam. Plura alia subinde occurrunt in Theologiâ. Sic Philosophi ponunt significationem vocum, valorem monetæ, obligationem legum, dignitatem regiam, nobilitatẽ, & similia in aggregato plurium rerum physicarum, quæ in ordine ad certos effectus perinde se habent, ac si in vocibus, *moneta* &c. vis aliqua intrinseca resideret eorum inductiua.

48 Sic Iurisconsulti suas moralitates explicant his duabus vocibus *perinde valere*. Vt quando Papa, facultate à se concessa; sed ex parte irrita, disponit, vt deinceps valeat, ac si nullum ab initio defectum habuisset. Rursus explicant *per fictionem iuris, quæ idem operatur, quod veritas*. Paria quippè sunt in iure *esse talem, & pro tali haberi*, vt esse realiter ciuem, filium, vel legitimum; & per legem, priuilegiũ, adoptionem iure ciuium, filiorum, vel legitimorum frui, vt notat Barbosa de Axiom. iuris axioma. 97. Eam tamen iuris fictionem, illud *perinde valere* non ipsi ponunt in aliquo euanido, & sub-

subuentaneo; sed in rebus physicis, nempè, Principum, aut Reip. di positionibus. Vnde similiter *perinde valere* Theologicum vel est in rebus physicis statuendum, vel commentitium est, de quo postea. Entia moralia priori modo accepta excogitantur, tanquam quid non habens realitatem physicam; sed aliud quid à realitate physica distinctū, quod nec tam solidum est, vt physicū sit; nec tam inane, vt sit purè cō. fictum.

49 Hoc præmisso, dicimus, si moralitates posteriori modo sumantur, non sufficere rei præsenti, nisi quid amplius dicatur; fictitiasque esse, si sumantur priori modo. *Primum* patet: quia sic sumptæ sunt ipsa entia physica. Vel igitur prædictæ moralitates constituentes actus liberos Dei præcisè dicunt ea, quæ sunt intra Deum, vel aliquid physicum extra Deum? Si primum: redeunt omnia posita disput. 15. contra sententias ibi discussas. Si postremum: incidit hæc sententia in eam, quæ complet actus liberos per complementa extrinseca, de qua sententia satis in hac disput. *Secundum* probo. Ens physicum, & reale est, quod non est impossibile, neque pure negatiuum; sed conformiter ad suā rationem obiectiuam affirmatiuè monstrabile. Neque hactenus intelligere potui, quibus alijs productio Angeli constituatur in ratione entis physici. At prædictæ moralitates hæc omnia sortiuntur: ergo cum non sint entia physica; tamen sortiuntur omnia constitutiua entis physici, quod est esse fictitias. Minor quoad primam, & secundam partem est aduersariorum: quoad tertiam patet ex prima, & secunda: quia possibile non-negatiuum est possibile affirmatiuum, quod in idem recidit, ac possibile conformitèr ad suam rationem obiectiuam affirmatiuè monstrabile.

50 Ad hæc. Eiusmodi moralitates vel intrinsecè sunt idem cum sua entitatula morali, vel non? Si secundum: cum nullo sunt idem; ac proinde, vel non sunt quid positiuum, indeque relabetur hæc sententia in carētias, de quibus postea; vel confictæ sunt, vt intendo. Si primū: ipsæ de se conformiter ad suam naturā affirmabiles erunt; quia, quod intrinsecè est idem cum subiecto, rectè de ipso affirmabile est: ipsæ autem sunt intrinsecè idem cum se ipsis. Confirmatur: quia imperceptibile est, actionem, quâ producitur Angelus, habere pondus physicum, & æstimationem sufficientem, vt non sit pure puteque moralis entitatula; sed entitas physica; & tamen determinationem Dei ad producendum Angelum non esse eius ponderis, & æstimationis. Dicere autem, nullas rerum, quan-

quantumuis magnarum productiones esse ens physicum; sed moralem entitatulam paradoxon est, in cuius impugnatione distineri non decet. Ad hæc. Deũ scire, nunquam iri productum Angelum B. possibilem, est quid essentialiter æternum, quippè quod conuenit Deo, & neque potest incipere, neque desinere. Quis autem credat, non habere sufficiens momentum ad rationẽ entis physici illud, quod possibile est, & affirmabile, & cui nulla alia duratio exactè adaptatur, quàm æternitas?

51 Nonnulli ex nostris Magistris Salmantinis, & quidem optimæ notæ, ingenijque præstantis censent, maximam huius mysterij difficultatem mitigari, constitutis ex parte actibus liberis Dei per quasdam carentias, in quas tota contingentia ipsorum reuocetur. Quod sic explicant. Ponunt *primò* cum alijs, volitionem necessariam Dei esse, quatenus est ex se, volitionem, & nolitionem omnium volibiliũ, ac nolibilium à Deo. *Secundò*. Hic actus ideo non præstat omnem suum effectum formalem, quoniam illi deest aliquod essentiale requisitum ad talem effectum: quod explicari potest innumeris exemplis in hac disput. positis. Pro cuius requisiti explicatione ponunt *tertiò*, possibiles esse quasdam carentias à Deo, & creaturis distinctas, quas vocant conditionatas, & virtuales. V.g. Deo deest nolle creare mũdum. At per quam carentiam? Certè per illam, vi cuius, præciso quouis alio, talis Dei nolitio destrueretur, si esset destructionis capax: quemadmodum inter essentiam, & paternitatem versatur quædam productio, vi cuius essentia Dei paternitatem produceret realiter simpliciter, si ea realitèr simplicitèr distingueretur ab essentia. Propterea talis carentia dicitur *conditionata*. Dici etiam potest *virtualis*, quia perinde impedit formalem effectum nolentis, ac si nolitionem realitèr destrueret. Sic peccatũ compositum diuinitus cum gratia destruit hanc virtualitèr, quia perinde impedit effectum formalem iusti, ac si realitèr eam destrueret.

52 Iam eiusmodi carentiæ, tametsi nihil realitèr absolute tollant, possunt esse prædicata mere negatiua à quolibet positiuo distincta. Tum, quia totum quasi *esse* ipsorum est impedire effectum formalem liberum diuinæ volitionis. Tum, quia plerique cẽsent, distinctionem realem Petri, & Pauli prædicatum esse merè negatiuum; quod tamen nullam veram existentiam tollit; sed impedit præcisè, quod alius de alio possit verè prædicari. Tum, quia vt existentia Dei nullam tollit veram carentiam Dei; & tamen est prædicatum pure

purè positiuũ ; ex opposito possibilis erit carentia, quæ nullam tollat veram existentiam ; & tamen sit prædicatum purè negatiuum. ¶ His positis dicunt, Deum , vt volentem condere mũdum, constitui quidem principalitèr per amorem necessarium : partim tamen , minusque principalitèr per prædictam carẽtiam nolitionis. Si autem nollet condere mundum, certè, vt sic nolens, constitueretur principaliter eodem amore necessario ; at partim, ac minus principaliter per similem carẽtiã. Quòd si possibile sit purè omittere velle, ac nolle, constituetur, vt sic omittens, per aliam similem carentiam volitionis , ac nolitionis. Hinc, quidquid positiui, ac voluntarij est in denominationibus volentis, nolentis, &c. prouenit ab amore necessario ; at quidquid in illis est indifferentiæ ad volendum, nolendum, & omittendum prouenit ex dictis carentijs, quarum aliam præ aliâ potest Deus habere pro suâ libertate.

53 Ex his euanescunt insuperabiles in alijs sententijs difficultates. Nam *primò*, tametsi Deo possit deficere formalis effectus decernentis mundum , non sequitur, posse quid deficere identificatum cum Deo. Talis enim effectus eatenus præcisè potest deficere, quatenus potest deficere carentia explicata , quæ non identificatur cum Deo. Sic æqualitas inter duas quantitates bicubitas, altera crescente, deficit ex præciso defectu crementi superuenientis quantitati crescenti. Cuius rei plura alia suppetunt exempla. *Secundo*. Non mutaretur Deus, quanuis illi deesset formalis effectus volẽtis ; & quasi loco ipsius adesset denominatio nolentis. Tunc enim non deesset Deo quidpiam intrinsecũ & aliud intrinsecum adesset ; sed deficiente vna carentia Deo extrinseca vnius effectus formalis completiua , adesset alia carentia paritèr extrinseca constituens effectus formalis oppositi nullo positiuo, & intrinseco accidente de nouo , aliter ac nobis contingere solet amittentibus prædicatum negatiuum per positiuum intrinsecum, v.g. cæcitate depulsa per aduenientem de nouo virtutem intrinsecam videndi. *Tertiò*. Nihil prohibet, quominus prædictæ carentiæ constituã Deum prius natura determinatum ad productionem creaturarum, quàm producentem. *Quartò*. Nihil prohibet esse æternas, & complentes effectus formales æternos. Tandem decreta diuina pure conditionata, notitiæque diuinæ similitèr conditionatæ constitui possunt prædictis carentijs. Propterea difficultates contra extrinseca complementa, quæ probabilitèr soluuntur, similem hîc solutionem admittunt

tunt; &, quæ ibi sunt insuperabiles, hîc absque magno negotio vincuntur.

54 Hęc sententia, quanuis pulchra, & ingeniosa sit, & pro tanta difficultate superanda non videatur parui pendenda, mihi nō probatur propter eadem fere motiua, quibus sententiam proximè reiectam deserui. Vt enim illa sententia verissimis entibus physicis nomen moralitatum indit; ita hæc vocat prædicata negatiua, quæ verissimè sunt positiua. Nam ens reale positiuum est: *possibile, quod conformitèr ad suam rationem obiectiuam est affirmatiuè monstrabile.* Totum autē hoc habet carentia completiua Dei in esse volentis: non enim ad modum puræ omissionis præcisè præstat, aut quasi præstat, Deū non esse nolentem; sed esse volentem in concreto: ergo illa tua carentia est verissimum ens positiuum nomine prædicati negatiui laruatum. Nō positiuum increatum, quia distinguis eam carentiam à Deo: ergo creatū: non temporale, quia ponis illam ab æterno: ergo creatum æternum. Videtur igitur hæc sententia res absurdas alterius opinionis ponere, solisque vocibus simulare.

55 Confirmatur *primò*, vt præcludātur effugia. Non est tota ratio obiectiua vnionis assensus cum mente quid negatiuum remouens dissentire; sed quid positiuum: nimirum, quia talis vnio non precisè præstat, intellectum non dissentire obiecto; sed assentire: ergo pariter in re nostra, loquendo de ratione obiectiua carentiarum, quas intrudis. *Secundò* similitèr. Tota ratio obiectiua productionis, quâ producitur vnio intrinseca assensus cū mente, non est quid negatiuum remouens produci vnionem intrinsecam dissensus cum mente, nempè, quia illa productio non est precisè non produci hanc vnionem; sed produci illam: ergo similiter, &c. *Tertiò* tali completiuo Dei in esse volentis hunc mundum, vel in esse scientis nūquam alium esse producendum, nulla alia duratio iustè aptatur, quàm æternitas; quæ tamen duratio excelsa nimis, & ampla est, vt merè nihilo aptetur. Quamobrem, si quando rem positiuam *non esse* (condistinguendo *non esse* ab omni positiuo) dicitur æternum, abusiua locutio est, purèque imaginaria concipientis obiecta difformitèr ad suas, vel quasi suas rationes obiectiuas: si enim propriè loqui volueris, non dicas, æternum esse alium mundum non esse; sed nunquā alium mundū existere.

56 Prætereà. Si est entitas verissimè positiua productio Angeli, quæ Deum, indifferentem alioquin ad existentiam, & non existentiam Angeli, connectit infallibilitèr cum existentia illius: quomodo sit prædicatum purè

pure negatiuum, quod Deum, similitèr indifferentem de se, cõnectit infallibilitèr & cum Angeli productione, & cum Angeli existentiâ, & præterea est essentialitèr æternum? Eiusmodi autem est illa tua carentia constituens Deum in ratione volentis efficacitèr Angelum. Tandẽ. Per te munus huius carentiæ virtualis, vel conditionatæ nolitionis diuinæ necessàriæ est, quòd vi illius destrueretur, secluso quouis alio, ea nolitio, si esset destructionis capax, hoc est, si non esset diuina, si esset prorsus inepta ad reddendũ Deũ nolentem. Nihil autem videtur esse posse minus aptum ad constituendum Deum volentem, quàm prædicti muneris carentia. Si enim aptum est ad constituendum Deũ volentem impeditio nolitionis ex hypothesi, quòd sit inepta, vt reddat Deum nolentem, cur nõ poterit Deus constitui volens impediens ab æterno, non quidem nolitionem diuinam; sed meam, quantumuis ineptissimã, vt Deus sit nolens. Alia colligi possunt ex dictis disput. 6. contra productionẽ virtualem.

(.)

DISPVT. XVII.

Quid in re tam difficili dicendum videatur?

IN hac disp. nihil dicam, plenum assensum præstans; sed cohibens, donec aliorum suffragiũ, si forte accedat, meum tandem assensum extorqueat. Non tamen arbitror, nouũ esse, quod hîc aliorum iudicio exponam; potius suspicor, mẽtem esse grauissimorum antiquorũ, &, quod caput est, Angelici Præceptoris. At, quia forsan explicatio nostra videbitur noua, semperque difficiles arbitror minus tritas vias, consultius duxerim aliorum iudicium expectare.

CAP. I.

Sententia proponitur aliorum iudicio probanda, vel reprobanda.

1 PRæmitto primò. Sunt aliquæ rationes obiectiuæ, quæ *aliquomodo* differunt realitèr ab aliqua re; & tamen non differunt distinctione sufficiente ad constituendum numerum duorum entium, id est, binarium cum ea re. Sic formæ carentia (loquamur in sententia com-

communiori non identificante *simpliciter* carentias cum rebus positiuis) *aliquomodo* differt realiter à materiâ carente tali forma, quippè potest existere materia, quin careat eâ formâ; tamen ea distinctio non est sufficiens ad hoc, vt ex materiâ, & priuatione formæ resultent multa, resultet binarium entium. Nam, vt scitè Philosophus dixit 1. Physic. cap. 7. materia, & priuatio sunt quid simplex, & vnum numero, scilicet *negatiuè*, quia non distinguuntur sufficienter ad constituendum numerum duorũ entium, propterea quòd priuatio non est ens; sed nihil. Sic in sono littera muta feriens vocalem constituit sonum imbibentem sonum vocalis, vt patet in sono *Ba*, & quidem sonum aliquomodo differentem realiter à sono *A*. non tamen differentia sufficiente ad constituendum binarium vnius, & alterius soni, propterea quòd muta non est per se sonus; sed præcise præstans cõiunctim cum vocali, taliter sonare vocalem. Sic in Dialecticis terminis significatiuis terminus syncathegorematicus, v.g. terminus *omnis* coniunctim cum cathegorematico, v.g. cum termino *homo*, constituit hunc terminum *omnis homo* imbibentem terminum *homo*, & aliquomodo differẽtem à termino *homo* per se sumpto; non tamẽ differentia sufficiente ad constituẽdum binarium terminorũ (nam alioqui plures syllogismi legitimi constarent quatuor terminis) quia *omnis* non est per se terminus significatiuus; sed præcisè præstans cum termino cathegorematico, v.g. cum termino *homo*, huiusmodi terminum taliter significare, nempe, vniuersaliter.

2 Vtque perfectius idæa sententiæ proponendæ formetur. Sic Thomistæ censentes, creaturas non existere se ipsis; sed existentiæ modulo quodammodo differẽte realiter ab essentia (quã distinctionem alij AA. vt P. Molina, P. Fonseca, & nõ pauci Scotistæ nolunt absolute vocare realem; sed ex natura rei, vt significetur non esse purè rationis; esse tamen valde diminutam) non putant eam distinctionem esse sufficientem ad constituendum binarium existentium, ne sequatur vel infinita existentiarũ progressio; vel aliquod existens, distinctum à Deo, existere se ipso essẽtialitèr: ideoque, iuxta ipsos, ex essentia, & existentia resultat præcise vnum numero existens; quia ratio obiectiua existẽtiæ recètè concepta non est concipienda, vt quid existens; sed præcisè vt existere alterius, nempè, essentiæ. Sic tandem Durandus (vir sanè, meiudice, præcelsi ingenij) in 1. dist. 33. q. 1. n. 15. hæc aurea verba dedit, quæ multas mihi, pro Philosophis, excitant specu-

lationes. *Vniuersaliter omnes modi essendi sunt entia, quia entis non solũ concomitatiuè; sed quidditatiuè, & formaliter, quia nullã entitatẽ habent, nisi hãc, quæ est esse huius. V.g. albedo, quæ est esse huius, vt subiecti, puta cygni, est aliquid essentialiter præter esse huius, quia esse huius nõ est eius essentia, sed modus essendi: sed iste modus essendi, qui est esse huius, non est quidditatiuè, & formaliter aliqua natura, vel entitas, nisi esse huius; & totus cõceptus eius quidditatiuus, & formalis est concipi, non vt hoc, vel quid; sed huius, vel eius: & qui aliter concipit, non concipit modum essendi; sed rem, &c.*

3. Hinc nullibi vult, modos essendi absolutè, & simplicitèr differre realitèr ab extremis, cuius sunt modi; sed, quoties de hac differentia loquitur, his vtitur verbis: *differunt aliquomodo realiter*, adiecta consultò particulâ *aliquomodo*, quæ limitat, ac diminuit distinctionem. Nec dubitauerit vllus, in antiquorum præsertim lectione versatus, iam modos vocari debilissimæ entitatis, nullius fere perfectionis entitatiuæ; iam identificatos cũ rebus, quarũ sunt modi; iam distinctionem modalem esse minorẽ reali, vt tuetur noster Doctor Eximius Suarius disp. 7. metaphys. sect. 1. P. Fonseca lib. 5. metaph. cap. 6. q. 6. sect. 2. P. Albertin. in prædicamento ad aliquid q. 12. n. 8. neque dissentiunt Scotus, & assectæ: scilicet, quia tales modi tam impropriè, & abusiuè sunt res, ens, hoc, &c, solùmque sunt rei, entis, huius, vt non distinguantur ab extremo, cuius sunt modi distinctione sufficiẽte ad dualitatem rerum; sed præcisè sint rem sic, vel sic se habere. Nihilo melius hoc mihi sub adspectum ponitur, quàm exẽplo Durandi de duabus quantitatibus se immediatissimè tangentibus. Dubium non est, has duas quãtitates esse localitèr indistantes à modo corporeo contactionis, per quam se tangunt immediate; tamen eas non interiacet corpus attactum ab ipsis, id enim pugnaret cum immediato contactu. Et ratio est: quia, licet dici soleat, mediante, & interueniente, contactu corporeo se tangere; ea tamen est imaginationis illusio, nihil enim corporeum attactum inter ipsas est propriè; sed pure abusiuè: quia immediatus ipsarum contactus, conformiter ad suam quidditatẽ expressus, & conceptus, non est *hoc tactum*; sed est, has quãtitates immediate tangi. Sic modus essendi non est *hæc res*; sed præcisè talem rem sic, vel sic se habere: vnde inter rem, & modum essẽdi rei per solam phantasiæ delusionem versari potest integra distinctio realis constitutioni dualitatis rerum sufficiens; at reuera solùm est summũ diminuta tali constitutioni insufficiens, de qua po-

postea. Posui prædicta exempla, vt ad normam doctrinæ præstantissimorum Autorum idæa proponendæ sententiæ formetur; non vt modò veritatem, vel falsitatem eius doctrinæ decernam.

4 Præmitto secundò. Duplex est genus distinctionis, & identitatis realis. Aliud distinctionis realis simplicitèr, & absolutè dictæ; aliud secundùm quid, dimitę, & aliquomodo dictæ, eâdēque proportione circa identitatem loquendum est. Distinctio realis simplicitèr, & absolutè dicta est illa, vi cuius extrema sic sunt vnum, & aliud, vt faciant propriè dualitatem, idest, numerum binarium. Distinctio realis diminutè dicta est illa, vi cuius extrema, vel quasi extrema sic se habent, vt nequeat vnum de alio prædicari prædicatione vera, sumptis vtroque in recto; & ex alia parte tali distinctione non se habent modo sufficiente, vt sint multa. Exemplum sit, iuxta dicta, in meâ materia priuata formâ equi. Nam hæc propositio nequit esse absolutè, & simpliciter vera: *Mea materia est priuatio formæ equi*, quippè mea materia non potest esse sine se ipsa; potestque esse sine tali priuatione; & ex alia parte talia extrema nō se habent modo sufficiente, vt sint multa. Similiter idētitas extremorum simpliciter, & absolute dicta est ea ipsorum habitudo, per quam sic se habent, vt, vtroque acceptis in recto, possit vnum de alio prædicari prædicatione vera. At identitas diminutè dicta est ea extremorum habitudo, per quam extrema sic se habēt, vt, quanuis nequeant modo dicto prædicari prædicatione vera; non tamen sunt proprie multa. His præmissis.

5 Dicendum sic videtur. Actus liber, & contingens Dei, siue intellectus, siue voluntatis consistit in respectu, terminatione, vel habitudine non necessaria Dei ad obiectum, neque simpliciter distinctâ ab entitate necessaria Dei; neque simpliciter identificatâ cum ea entitate; sed ante operationem intellectus ab ea entitate distincta distinctione diminuta; & cum eadem entitate identificata diminutâ identitate. Declaratur, & probatur hæc sententia non difficulter percipienda ex præmissis. In primis actus liber Dei consistit in habitudine ad obiectum: consistit enim in notitia, vel decreto diuino circa obiectum creatum: omnisque notitia, & volitio est aliqualis ad cognitum, & volitum habitudo, siue secundùm *esse*; siue secundùm *dici*; siue prædicamentalis, siue transcendentalis; siue actualis, siue fundamentaliter rationis; siue vndequaque

realis, de quibus nunc non disputo, dicturus postea nonnihil. *Secundò*. Hæc habitudo non est omnino, & in omni sensu necessaria. Nam alioqui nullatenus esset contingens, & libera. *Tertiò*. Non est simpliciter distincta ab entitate necessaria Dei: quia, vt constat ex superioribus, est positiua, & ab æterno; nihilque positiuum datur ab æterno simplicitèr distinctum à Deo.

6 *Quartò*. Non est absolutè, & simpliciter identificata cum entitate necessaria Dei. Tum propter rationes traditas disputat. 15. Tum, quia nequit esse vera hæc prædicatio: *Deus est se habere contingentèr ad hunc mũdum, decernendo ipsum*: quippè Deus nequit esse sine Deo; potestque esse, quin sic se habeat. *Quintò*. Distinguitur distinctione diminuta, ante operationẽ intellectus, ab entitate necessaria Dei: quia ex vna parte nequit absolute, & simplicitèr prædicari vera prædicatione de entitate necessaria Dei, ac de cœtero non potest cum ea entitate necessaria Dei constituere dualitatem propriè, & absolute, vt patet ex tertia parte assertionis. *Sextò*. Cum ea entitate necessaria Dei identificatur identitate diminuta. Quia sic se habet cum ea entitate, vt ea entitas, eaque habitudo non sint *hoc*, & *hoc*; non sint propriè dualitas, ac proinde conceptu legitimo nequeunt concipi modo discretiuo vnius ab alia; sed potius habitudo legitimè concepta exprimenda est modo concretiuo ipsius cum entitate necessaria Dei in concreto potius, quàm in abstracto, hoc scilicet modo: *Est entitatem Dei talitèr se habere ad obiectum*. Hæc sententia vberius illustrabitur argumentorum solutione.

7 At ante illorum propositionem non oportet silentio inuoluere, quos patronos habere videtur. Fauere videtur vnus pro mille D. Thomas. Conferamus sincerè nonnulla testimonia. In primis prima parte, quæstione 14. artic. 15. ad 1. comparans inter se relationes contingentes Dei ad creaturas *domini*, & *creatoris* cum relationibus contingentibus *scientis*, & *volentis* creaturas, ait. *Huiusmodi relationes* (priores) *variè de Deo dicuntur secundùm variationem creaturarum. Sed scientia, & amor, & huiusmodi important relationes, quæ consequuntur actus, qui intelliguntur in Deo esse, & ideo inuariabiliter prædicantur de Deo.* Nimirum nõ iam incipiunt, iam desinunt; sed semper sunt, & æternæ ipsâ inuariabili Dei æternitate durãtes. Audiantur secundò verba illa

illa, quæ habet 1. p. quæst. 61. art. 2. in corp. *Solus Deus Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus est ab æterno. Hoc enim fides catholica indubitanter tenet: & omne contrarium est, sicut hæreticũ, refutãdum.* Ex quo fit, nihil esse ab æterno, quod cum his tribus Personis possit constituere numerum quaternarium. Audiantur tertiò verba, quæ habet 1. p. q. 19. art. 3. ad 5. *Voluntas diuina, quæ ex se necessitatem habet, determinat se ipsam ad volitum, ad quod habet habitudinem non necessariam.* Ecce habitudini, per quam Deus se libere determinat ad volitum, negat absolutè prædicatum necessarij, quod non stat cum omnimodâ, & integra identitate eius habitudinis cum necessario, quippè *non necessarium, & non identificatum cum necessario* in idem recidunt. Videatur etiam lib. 1. contra Gent. cap. 82. ad 2. & quæst. 23. de Verit. art. 4. ad 2. & 4.

8 Ex his hoc argumentum conficio. Habitudo Dei volentis liberè creaturas ad ipsas creaturas liberè volitas est æterna iuxta D. Thom. At, iuxta ipsum, solus Deus est ab æterno, & consequenter nihil creatum, siue intrinsecè includens quidpiam creatum est ab æterno: ergo talis habitudo neque est quid creatum, neque intrinsecè includens quidpiam creatum. At ex alia parte talis habitudo est non-necessaria absolutè: ergo de illa non potest in recto, absolutè, & sine addito diminuente verificari hoc prædicatum: *quid necessarium absolutè.* At in his stat, eam habitudinem distingui distinctione diminutâ à necessario absolutè, vt ex superioribus constat, & in hoc, quod non constituat multitudinem cum Deo, quod est idem, ac nihil creatum intrinsecè importare, consistit identitas ipsius, saltem diminuta, cum Deo: ergo talis habitudo libera, est, iuxta D. Thom. prædicatum non-necessarium, neque simplicitèr distinctum ab *esse* necessario Dei; neque simplicitèr idem cum ipso; sed identificatum, & distinctum ab ipso identitate, ac distinctione diminutis: & hæc est huius disp. sententia.

¶ Confirmatur. Nam D. Tho. cit. q. de Verit. in resp. ad 13. agens, non quidem de necessitate ex suppositione; sed de necessitate absoluta, quâ scientia, & potentia sunt *in* Deo, hanc propositionem vniuersalem tradit: *Quidquid est in Deo, necesse est ei inesse, & quidquid Deus est actu, necesse est. eum esse actu.* Modo sic. Habitudo libera Dei decernentis mundum non inest Deo necessariò necessitate absoluta. Item, Deus non est actualiter necessariò talis habitudo: ergo, absolutè loquendo, talis habitudo non inest

simplicitèr Deo, neque Deus actu simpliciter est talis habitudo (Nam alioqui non *quidquid est in Deo, &c.*) At hoc est Deum, aliqua saltem distinctione, ab ea distingui habitudine: ergo aliquatenus ab ea distinguitur. Non vndequaque plena distinctione; nam alioquin ea habitudo creata, & temporalis esset; non æterna, vt vult D. Thom. ergo distinctione diminuta. Manet ergo satis probabile, hanc sententiam habere pro se Angelicum Præceptorem.

9 Neque parum illi fauet, si attente legatur, præclarus Augustinianus Gregorius Arimenensis iure in Academia Parisiensi Doctoris Authentici nomine insignitus. Nam in 1. distinct. 45. quæst. vnica vult, actus liberos Dei supra *esse* necessarium Dei nihil addere absolutè (Ecce identitatem saltem diminutam) habitudinem tamen liberam ad creaturas in ratione talis habitudinis non esse necessariam, neque Deum esse necessariò talem habitudinem, neque hanc sumendam esse in abstracto, & incomplexe; sed in concreto, & complexe, nempe his verbis, *Deum velle creaturas, libere se habere ad illas*, quibus omnibus satis innuit distinctionem diminutam cum identitate diminuta coniunctam, distinctionē, inquā, diminutam Dei in esse se habentis liberè ad aliud, & in esse absoluto necessario sui. Fauere videtur Doctor illuminatus Mairo in 1. distinct. 39. artic. 4. ponens eiusmodi habitudines liberas in *esse*, quod vocat obiectiuum, & intentionale: quod sic intelligo, quatenus tales habitudines tam diminutè distinguuntur ab *esse* necessario Dei, vt non sit iuxta quidditatem ipsarum; sed sit imperfectus cognoscendi modus ipsas cogitare, vt simplicitèr distinctas ab *esse* Dei. Fauere videntur P. Fonseca. P. Salas. Doctor Eximius Suarez citati disput. 15. quatenus illas suas modificationes, terminationes, extensiones, denominationes, quas ab omni creato volunt adæquate distingui, suscipere volunt ea defectibilitatis prædicata, quæ, vt vt vidimus in ea disp. minimè constare queunt cum identitate vndequaque plena cum Deo, ac de cœtero tanti DD. consultissimè videntur silentio inuoluisse, quatenus cum Deo identificentur, aut ab eo distinguantur. Expressius fauere videtur, si sententia ipsius, argumentorumque solutio conferantur inter se P. Ioannes Martinon de Deo, disput. 14. sect. 4. à num. 22. necnon P. Ioannes Præpositus 1. p. q. 19. art. 13 dub. 5.

CA-

CAP. II.

Argumentorum solutio.

10 OBijcies primò. Hæc habitudo libera decernendi mundum est defectibilis. Sed hæc habitudo libera est Deus: ergo Deus est defectibilis, quo nihil absurdius. Consequentia tenet, & maior est certa. Minor probatur. Quod non distinguitur simpliciter, & absolutè à Deo, idem est absolute, & simpliciter cum Deo: nam indistinctio, & identitas solâ voce distinguuntur: quod autem idem est absolutè, & simpliciter cum Deo, est Deus. Nota, maiorem in vno sensu esse falsæ suppositionis; & in alio sensu verissimam in omnium sententia. Falsæ suppositionis est, vt benè vidit P. Martinon sup. num. 25. si talis habitudo sumatur in abstracto per modum formæ condistinctæ adæquatè à Deo. Nam ea terminatio non accepta abusiuè; sed propriè iuxta suam quiditatem, est *Deum concretè decernere mundum*. Est autem in omnium sententiâ vera, si talis habitudo sumatur pro eo concreto, quia in omnium sententia potest Deus non decernere mundum. Hinc

11 Concessa maiore in sensu, in quo diximus esse veram (nam in alio negandum est suppositum) negabitur absolute minor. Quia *hoc est hoc* sonat plenam identitatem extremorum: Deusque, talisque terminatio non habent identitatem plenam; sed diminutam. Ad probationem minoris dicetur, ibi latere æquiuocationem. Nam *indistinctio* ab aliquo fiat dupliciter. *Primò* pro carentia diuisionis ab illo sufficientis ad conflandam cum illo multitudinem. *Secundò* pro coniunctione intimâ cum illo sufficiente ad verificandam propositionem dicentem: *hoc est hoc*. Hæc secunda indistinctio, & identitas voce solâ differunt, & consequentèr, quæ simpliciter, & absolutè sortiuntur eam indistinctionem, sortiuntur absolutè, & simpliciter identitatem. Prior autem indistinctio non coincidit propriè cum identitate; sed cum habitudine extremorum insufficientiæ ad multitudinem: vnde ex eo, quòd extrema absolutè, & simpliciter indistincta sint hac indistinctione, non infertur hoc; *absolute, & simpliciter sunt idem*; sed hoc: *absolutè, & simpliciter non sunt multa*. Quoniam ergo tradita sententia priorem duntaxat indistinctionem concedit Deo, & tali terminationi liberæ; sequitur quidem, hæc extrema absolutè, & simpliciter non esse multa; at non sequi-

tur absolutè, & simplicitèr esse idem, quemadmodum in sententijs, quas retulimus præmisso primo, assignantur extrema, quibus absolutè, & simplicitèr conuenit non esse multa; & non conuenit absolutè, & simplicitèr esse idem.

12 At replicabis, & objicies secundò. Vel hæc terminatio libera addit reipsa, & verè aliquid supra Deum secundùm se; vel nihil? Si nihil, non est libera, & contingens, quia Deus secundùm se non est contingens. Si aliquid, constituit multitudinem cum Deo, quia omne additamentum reale adiectum alteri constituit cum illo multitudinem. Infringunt argumentum, iuxta probabiliſsimas sententias, exempla adhibita num. 1. & 2. Deinde resp. eam terminationem nihil addere supra Deum secundùm se positiuâ additione superuentionis ad Deum secundùm se, vt requiritur ad constituendam cum Deo multitudinem. Aliquid tamen addere supra Deum secundùm se additione negatiuâ, & impropriâ non identitatis integræ, & completæ cum Deo secundùm se, idque sufficit, vt Deus secundùm se sit necessarius; ipsa tamen contingens: quemadmodum non existere alium mundum nihil propriè addit supra Deum secundùm se; quia tamen cum Deo secundùm se non identificatur integrè, & completè, verum est non existere alium mundum esse contingens; Deum autem secundùm se esse necessarium.

13 At replicabis, & objicies tertiò. Omne positiuum non identificatum integrè, & completè cum Deo distinguitur, saltèm inadæquatè, à Deo. At ea terminatio est quid positiuum non identificatum integrè, & complete cum Deo: ergo distinguitur, saltèm inadæquatè, à Deo: hoc autem est aliquam partem importare in se reuera Deo secundùm se superuenientem. Hoc argumentum infringitur maximè in doctrinâ probabili Durandi de modis essèndi, quam retulimus n. 2. Deinde poterit probabiliſsimè retorqueri in sententia communiſsimâ, quæ defendit, rationem entis sic differentias omnes in ordine rationis transcendere, vt nulla possit in eo ordine sumi, niſi formaliſsimè imbibens rationem entis. Tunc sic. Stat hanc differentiam: *Rationale*, non identificari integrè, & completè in ordine intellectuali cum ratione entis; & tamen in eo ordine nihil esse in ea differentia, quod non imbibat rationem entis; sed ei superueniat. Cur ergo stare non poterit in ordine reali, quòd aliquid non identificetur in-

integrè, & completè cum Deo secundùm se; cum tamen nihil importet, quod in eo ordine pro priè superueniat Deo?

14 Præterea respondebitur. Non-identitas integra, & completa alicuius cum aliquo stat bifariam. *Primò* præcisè pro carentia intimę coniunctionis sufficientis ad verificandum ✻Hoc est Hoc✻ *Secundò* pto extremorum habitudine, ratione cuius vel alterũ ex ipsis, vel vtrũque *simul* plus entitatis habent, quàm alterũ seorsim. Hoc modo habet homo non-identitatẽ integram, & completam cum materia prima, quia plus entitatis importat, quàm materia prima. Similitèr Petrus hoc modo habet non-identitatẽ cum Paulo; quia Petrus, & Paulus simul plus habent entitatis, quàm Paulus seorsim. Porrò, quæ hunc modum non-identitatis sortiũtur, manifestum est sic se habere, vt alterum saltem ex illis importet aliquam entitatem propriè superueniẽtẽ alteri, & cum hac altera constituentem multitudinem. Primo modo materia secundùm se, & materiam priuatã esse formâ sortiuntur non-identitatem integram, & completam; quia, tametsi materia secundùm se non importet plus entitatis, quàm materiam priuatam esse forma; neque hoc plus entitatis, quàm materia secundùm se; non tamen hæc extrema coniunguntur intimè intimitate sufficientiæ ad verificandũ: *Hoc est hoc*, quia materia secundùm se non est materiam esse priuatam formã. Dicent igitur illi, quibus hæc sententia placeat, omne positiuum non idẽtificatum completè cum Deo distingui, saltem incomplete, à Deo distinctione insufficientiæ ad verificandum: *Hoc est hoc*, & sic distinguitur à Deo prædicta habitudo libera: quia hoc nõ est verum: *Deus secundùm se est Deũ decernere mundum*. Cæterũ, quia talis distinctio præcisè sumpta nõ probat superadditionem entitatiuam, ideo argumentũ non concludit.

15 At contra replicabis, & obijcies quartò. Vel quidquid importat ea terminatio libera est intra Deum; vel aliquid saltẽ extra? Si primum, cum omne Deo intrinsecum sit simpliciter identificatum cum Deo, omneque identificatum simpliciter cum Deo sit necessarium absolutè, vt ex D. Th. dicebamus supra, consequens erit, nihil eius terminationis liberæ esse liberũ; sed totum necessarium. Si dicatur secundum; consequens erit, aliquid in ea terminatione dari, quod simul cum Deo constituat multitudinem. Nam omne positiuum extrinsecum Deo constituit multitudinem simul cum Deo. Hoc tamen non addit superioribꝰ nouas vires; sed nouos

ter-

terminos. Et similitèr infringitur in sentētia Durandi de modis essendi, vt experietur facilè, qui voluerit. Deinde responsio erit, eam terminationē (semper loquimur de illa in concreto; nam *in abstracto, prout distincta ab esse necessario Dei*, est de subiecto non supponente) eam, inquam, in sensu, quo est identificata diminutè, necnon distincta diminutè à Deo, esse diminutè intrinsecam, & diminutè extrinsecam Deo: & sicut neque est integrè, & completè identificata, neque integrè, completèque distincta à Deo; ita neque esse integrè, & completè intrinsecā, neque integrè, & complete extrinsecam: quæ quidem non sonant, esse ex parte absolutè, & simplicitèr extrinsecam; sed nō esse absolutè, ac simplicitèr idētificatam. Itaque, sicut carentia formæ non est absolutè, ac simplicitèr intrinseca materiæ, siue per identitatem simplicitèr cum ipsâ; siue per inhæsionem: quia neque est extremum in recto prædicabile de materia secundùm se, neque intrinsecè informans materiam ita prædicta terminatio libera neque est absolute, & simplicitèr intrinseca Deo per identitatem simpliciter; quia non est extremum in recto prędicabile de Deo secundùm se, neque per inhæsionem, quia non est aliquid intrinsecè Deum informans, vt amplius atebit ex sequentibus.

16 Præterea. Sicut carentia formę nō est absolutè, & simplicitèr extrinseca materię; quia, cum nihil sit, non est aliquid acceptibile separatim, & abstractè à materiâ aduenies ipsi extrinsecè; ita prædicta terminatio nō est absolutè, & simplicitèr extrinseca Deo, quia iuxta suam quidditatem non est acceptibilis abstractim à Deo, & non imbibens necessariam entitatē Dei; sed tantùm hâc imbibita, quod est contra rationem accedentis extrinsecè simplicitèr Deo. Sic in ordine formali, iuxta opinionem transcendentiæ, differētia rationalitatis, v. g. non est simplicitèr accessoria rationi entis, quia non est conceptibilis omnino diuisim à ratione entis; sed semper, vt hanc rationem imbibens in suo conceptu. Tandē: sicut carentia formæ est diminutè, ac negatiuè intrinseca materiæ, quia propter rationem datam non est materiæ extrinseca simplicitèr; & sicut ea carentia est diminutè, ac negatiuè extrinseca materiæ, quia propter rationem datam nō est materiæ simplicitèr intrinseca, sic propter similes rationes in re nostra datas, prædicta terminatio libera neque Deo intrinseca, neque extrinseca est absolutè & simplicitèr; sed vtrumque diminutè, ac negatiuè. Fateor, opus esse in præsenti vim imaginationi

ni inferre parum assuefactæ harum idearum formationi. Docti tamen, & experti non ignorant, hanc inueteratam imaginationis renitentiam, & persæpè esse contra veritates abstrusas, & vsu, tempore, pacatâque consideratione tandem tandem superari.

17 Vt nonnulla remoueantur offendicula, notetur primò. Tametsi diminuta sit distinctio terminationis liberæ ab essentiâ Dei, at intra genus distinctionis diminutæ tanta non est, quanta materiæ primæ, ac priuationis formæ. Cum enim priuatio formæ sit nihil, non est proprie existens, adhuc per existentiam materiæ; at ea terminatio positiuum existens est, & eius existentia in abstracto sumpta est ipsa Deitas, quam imbibit, idque videtur ex ipsis terminis quid maius in genere identitatis saltem diminutæ. Notetur secundò ex tract. de Trinitate, rationem discriminis, cur potiùs essentia diuina sit Paternitas (adeò, vt hæc sit in recto prædicabilis verâ prædicatione de essentiâ) quâ essentia diuina sit prædicta habitudo libera, forsan eâ esse, quia essentia Dei cõparatur cũ Paternitate, tãquã cũ extremo improducto ab ipsa essentia; & aliũde hæc ita veluti transfundit totam suam perfectionem entitatiuam in Paternitatem, vt omnis gradus perfectionis simpliciter simplicis repertus in essentia, nempè gradus æternæ, intellectualis, immensæ, &c. communis sit Paternitati; non tamen sic plenè se cõmunicat essentia diuina prædictę terminationi liberæ, vt patet ex disp. 15. Hæc nunc tetigisse sufficiat.

18 Obijcies quintò Concilium Rhemense illis verbis: *Credimus, & confitemur, nullas omnino res, siue relationes, siue proprietates, siue singularitates, & alia huiusmodi adesse Deo, quæ sint ab æterno, & non sint Deus.* At, iuxta hanc sententiam, Deum libere velle datur ab æterno, & non est simpliciter ab æterno identificatum cum Deo: ergo videtur hæc sententia pugnans cum eo Concilio. Sed huius argumenti non insufficiens solutio peti poterit ex P. Arriaga de Volunt. disp. 28. num. 85. Tum, quia cõstabit, si legatur Concilij, eam decisionem non esse Concilij; sed solius D. Bernardi Abbatis Clarauallensis cum aliquibus Episcopis Gallis; cum tamen omnes Cardinales commoti contra ipsos fuerint, quòd articulos fidei voluerint determinare. Tũ, quia D. Bernar. agebat contra Gilbertum Porretanum distinguentem realitèr simpliciter à Deo prædicata necessaria Dei, iam sub nomine relationum, iam proprietatum, ac de his prædicatis ait, quocumque modo vocentur, esse idem cum Deo. Et sanè, cum D. Bernardus spe-

cia.

cialem mentionem non fecerit actuũ liberorũ, in quibus est specialissima difficultas, quæ non poterat tantum virum latere, credendũ est, non eos in sua propositione comprehendisse. Tandem addo, sermonem non esse D. Bernardo de rebus, quæ non adsunt Deo *intrinsecè simpliciter*, cuiusmodi sunt in hac sententia actus liberi, qui solùm adsunt Deo intrinsecè diminutè, non omnino dissimili modo, ac pura omissio libera in sententia, quæ admittit illam in Deo. Sermo igitur est de ijs, quæ adsunt Deo *intrinsecè simpliciter*, de quibus optimè dicitur, esse ipsum Deum, cum non sint ipsi Deo simpliciter intrinseca per vnionem compositionis; sed per vnionem identitatis.

CAP. III.

Alijs obiectionibus, quæ fieri possent, occurrunt eiusdem sententiæ corollaria.

19 IVxta hanc sententiam fit *primò*, actus liberos, vt abstractè, & condistinctè à Deitate sumptos, esse falsæ suppositionis, quia ex propriâ quidditate sunt incapaces, vt sic sumantur. Vnde propositiones omnes affirmatiuæ, quibus de illis, vt sic sumptis, quidpiam affirmetur, vt esse creatos, esse increatos, &c. negandæ sunt ratione falsæ suppositionis; sicut & omnes propositiones affirmatiuæ, quæ loquantur de rationalitate, vt præcisâ à formalitate entis, negandæ sunt, tanquam falsæ suppositionis, in sententia transcendentiæ. ¶ Fit *secundò*, actus liberos Dei non esse creatos. Quia omne creatum multiplicat vnitatem, cõstituitque numerum cum Deo creante; quia creatio est exercitium actuale actiuitatis, vel, quod in idem recidit, virtutis efficientèr multiplicatiuæ. At, iuxta hanc sententiam (in qua semper loquimur, nondum vltimò decernẽtes veritatem ipsius) actus liberi Dei non multiplicant vnitatem numeralem cum Deo. Hinc *tertiò* sunt increati *negatiuè*: quia hoc nihil aliud sonat, quàm non esse creatos. *Quartò*. Positiuè loquendo, nõ sunt increati plenè, & simpliciter; sed diminutè: quia esse positiuè increatum est positiuè identificari cum entitate necessariâ, & increata Dei; cum eâ verò, iuxta dicta, non identificantur plenè, & simpliciter; sed diminutè.

20 *Quintò*. Non sunt accidentia realia substantiæ diuinæ. Nam accidens accedit substantiæ, addendo positiuè quidpiam supra ipsam. Tales autem actus non sic accedunt Deitati; sed impropriè per non-identitatem integram, & completam cum ipsa, vt dicebatur num. 12. Hinc

sexto

Sextò sunt *negatiuè* substantia diuina: nam ad hoc sufficit, ita in sua quidditate imbibere substantiam ipsam Deitatis, vt accipi nequeant præcisiuè ab ipsa; & aliunde non esse propriè accidentia diuinæ substantiæ. *Septimò.* Positiuè loquēdo, non sunt plenè, & simpliciter substantia Dei; sed diminutè. Nam esse plenè, & simpliciter substantiam Dei, positiuè loquendo, est plenè, ac simpliciter identificari cum eâ substantia; cum ea verò non sic identificantur; sed diminutè. *Octauò.* Actus liberi coniuncti cum Deo minimè faciunt compositionem. Quia compositio est vnio intrinseca distinctorum simpliciter, seorsim acceptibilium, ita vt compositum plus sit, extensiuè saltem, quàm partes. Dictū est autem in hac sententia, actus liberos Dei simul sumptos cum Deo non constituere plus, adhuc numeralitèr, quàm Deum secundùm se. Hinc consequentèr ad sua principia docuit Durand. in 1. dist. 3. q. 2. num. 15. & dist. 33. q. 1. num. 17. & seqq. & in 4. dist. 12. q. 1. n. 6. modos non facere compositionem cum re, cuius sunt modi: quia neque sunt id, *quod* est in alio; neque id, *in quo* est aliud; sed purè, puteque rem talitèr se habere.

21 *Nonò.* Tametsi Deus nunc decernens efficacitèr hunc mūdū, se habeat ad ipsum oppositò modo, ac se haberet, si nollet existentiam ipsius; non tamen hic datur vlla mutatio intrinseca Dei. Nam ad hanc requiritur, Deum nunc alterum esse, ac in alio casu, vel intrinsecè alteratum, vt sic loquar, alteratione, quam in altero casu non subit. Neutrum autem contingit. Nō primum. Quia etiam in casu nolendi existentiam mundi Deus non esset integrè, & simpliciter idem cum decreto mundi; benè verò negatiuè, ac diminutè, nēpè, non distinctus ab eo decreto distinctione sufficiente ad dualitatem: cum igitur hic sit modus, quo se habet nunc Deus in genere identitatis cum decreto mundi, patet, in eo genere tunc, & nunc eodem modo se habere, & consequentèr nō esse nunc alterum, ac tunc. Non secundū. Nam ad eam alteritatem requiritur, aliquid intrinsecè vniri, inhærereque Deo nunc, quod non in alio casu. Hoc autem non sic accidit, quia decretum mundi non est *hoc aliquid* intrinsece inhærens Deo; sed est ex conceptu quidditatiuo *huius*, nempè Dei, talitèr se habere ad mundum. Ipsum autem decretum mundi in concreto sumptum se habet nunc existentialitèr alitèr, ac in alio casu; quia nunc existit, & tunc non existeret: hoc autem qualecunque mutationis genus non est ex parte Dei; sed ex parte decreti non identifica-

ficati simplicitèr, & integrè cum Deo.

22 *Decimò.* Dixit optimè D. Thom. solùm Deum Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum esse ab æterno. Nam actus liberi Dei ab æterno existentes non faciunt numerum, ac proinde neque societatem cum personis diuinis; ideòque ipsas relinquūt solas, quemadmodum carenti ę, quas plures excogitant ab æterno. *Vndecimò.* Quicquid in actibus liberis Dei est simplicitèr vitale, quidquid simplicitèr volũtarium, est ipse actus Dei necessarius, quem mirabili transcendentia imbibunt in se ipsis actus liberi. Nam, quod Deo est simpliciter vitale, simplicitèrque voluntarium, est ipsi simpliciter intrinsecũ, cuiusmodi est actus necessàrius, quem important actus liberi: hi autem concretè accepti, cum non sint Deo simpliciter intrinseci; sed diminutè, non videntur, vt sic sumpti, esse simplicitèr vitales, & voluntarij, seruata communi acceptione harum vocum; benè verò contingentes, & liberi, nempè indifferentes, vt pro dominio libertatis diuinæ sic existant, vel non existant. *Duodecimò.* Nunquam Deus crescit in volendo (idem, seruata proportione, dicatur in intelligẽdo.) Quod attinet ad volitionem necessàriam non est dubium, quippè quæ stat in entitate simplicissima Dei prorsus inuariabili. Quod attinet ad actus liberos: quia, vel sumuntur quoad actum Dei necessarium, quem in se ipsis quidditatiue imbibunt; & in hoc iam posuimus, vt indubitatum, non esse incrementum; vel sumuntur concretè pro *se habere Deum libere ad tale obiectum* (alitèr autẽ accipi non possunt) &, cum sic neque faciant dualitatem, neque compositionem cum Deo; cum tamen omne crementum compositionem, vel saltem dualitatem faciat cum crescẽte, fit planè, Deũ neque hoc modo crescere in volendo.

23 *Tertiodecimò.* Deus non producit physicè, neque realiter simpliciter, neque iuxta phrasim RR. virtualiter intrinsecè suos actus liberos. Prior pars probatur. Quia terminus realiter simpliciter productus constituit numerum cum principio producente, quem cùm actus liberi non constituant cum Deo, non producũtur physicè realiter simpliciter à Deo. Posterior pars probatur. Nam, vt dicebamus disp. 6. cap. 2. productio virtualis intrinseca nequit præscindere à multitudine numerali constituta ex principio producente, terminoque producto. *Decimoquartò.* Deus producit moraliter productione morali diminuta suos actus liberos. Nã decretum diuinum de mundi conditione, v. g. in primis con-

iun-

iungitur cum intellectione necessaria Dei, tanquam cum dirigente Deum, vt sic decernat. Deinde distinguitur ab ea cognitione distinctione aptitudinis ad suscipienda prædicata contradictoria; quippè tale decretũ est defectibile, & ea cognitio est indefectibilis. Deinde non distinguitur integra, & simpliciter tali distinctione; sed sola distinctione diminuta ab ea intellectione, vel, quod idē est, ab essentia Dei. His autem datis, Deus producit productione morali diminuta prædictum decretum liberum, vt constabit legenti, quæ diximus disp. 6. cap. 4.

24 Opponis. Ex hac sententia sequitur, notitiam, per quam Deus repræsentat bonitatē elucentem in productione mundi, non dirigere ad decretum liberum condendi mundum, prout eo decreto liberè se habet Deus ad mundum. Probatur sequela. Nam repræsentatio boni dirigit solùm, immediatè loquendo, ad amorem boni. Sed ea libera habitudo ad mundum non est absolutè, & simpliciter amor: quippè non est intrinseca absolutè, & simpliciter; sed diminutè duntaxat, Deo amanti: ergo talis repræsentatio non dirigit immediatè ad prædictam habitudinem. Respondebitur, negatâ sequela. Ad cuius probationem dicetur. Munus cognitionis, vt dirigentis, est inclinare, non tam ad hoc, vt existat amor in abstracto, quā ad hoc, vt cognoscens bonū sit ipsum amans in cōcreto. Ideo in creatis cognitio boni non solùm dirigit ad hoc, vt existat in rerum natura qualitas illa, in qua, iuxta communem sententiam, consistit amor; sed etiam ad hoc, vt cognoscens bonum producat, & vniat sibi talem qualitatem: quia licet ea productio, & vnio non sint amor; requiruntur tamen essentialiter ad hoc, vt cognoscens sit in concreto amans liberè. Cum igitur ea habitudo, quæ non est absolutè, & simplicitè amor in abstracto, sit Deum esse in concreto libere amantē mundum, planè fit, eam cognitionē posse immediatè dirigere ad talem habitudinem.

25 *Decimoquintò*. Tametsi Deus amet liberè creaturas per has terminationes contingentes nihil propriè, & simpliciter addentes substantiæ volitiuæ diuinæ; probabilis tamen extat ratio, cur in creatis necesse sit, quòd amare liberè addat aliquid propriè, & simpliciter substantiæ creatæ volenti. Nam substantia creata hoc ipso nomine finita est, ex quo prouenit, quòd perpetuò sit positiuè perfectior; vel deterior, accepta, quatenùs positiue volens liberè, quàm accepta nudè secundū se. Cū autē esse positiuè perfectiorē, vel de-

deteriorem, quatenus volentē; quàm sumptam nudè secundū se, sit in priori consideratione plus perfectionis, vel deterioritatis importare, quàm in posteriori, patet, substantiam creatā, quatenus positiuè volentem liberè, addere propriè, & simpliciter aliquid supra se ipsam nudè sumptam. At substantia diuina est secundùm se, præscindendo à quolibet alio, infinita simpliciter: quamobrem ratione limitationis peti non potest, quòd, vt positiuè volens liberè, addat propriè, ac simpliciter aliquid supra se nudè sumptam: cumque non sit aliud, ex quo possit ea probari additio, nihil mirum diuinam substantiam libere velle, tali additamento secluso.

26 *Decimosextò.* Fortasse, iuxta hanc sententiam, habet idoneam explicationem, tantisque viris dignam sententia plurium Autorum, quorum meminimus disp. 15. num. 5. ponentium actus liberos Dei in relationibus rationis. Fortè namque sensus est, terminationes liberas Dei, nō quidem esse in se fictas. Quis aliud apprehendat? Fictitiè tamen esse relationes superadditas essentiæ diuinæ, quia verè, & propriè nihil essentiæ diuinæ superaddunt: vnde quid superaddere, fictio mentis malè concipientis est. Sic nihil communius apud antiquos Autores, quā dicere, priuationes esse *entia* rationis, non quia fictum sit hominem orbatum oculis non videre, & aerem media nocte nō esse lucidum; sed quia cæcitatem, ac tenebras esse aliquid, esse ens, cum tamen vix aliter, quàm vt aliquid, cōcipiqueant, fictitium est, quia citra fictionē non aliquid sunt, nihil sunt. Sic frequens est plurium grauium Autorū locutio, denominationes extrinsecas esse quid rationis *in* subiectis denominatis. Nam *in* colore, v. g. hoc est, intra colorem nihil est esse visum; quia, tametsi cōcipi hoc soleat, vt nescio quid, in colore, nihil tamen in ipso est; sed solùm extra ipsum, id est, in potentia visiua: nam hanc intrinsecè informari per visionem est colorem extrinsecè esse visum. Hoc pacto non semel explicui doctrinam Sapientissimi Vazquez in varijs materijs, pluribus huius Doctoris textibus inter se collatis.

¶ *Decimoseptimò.* Quanuis de ratione agentis liberi creati sit actiuitas in ordine ad exercitiū positiuum immediatum suæ libertatis; facilè tamen ex dictis num. 25. peti potest discrimen, cur id non sit de ratione libertatis diuinæ; quemadmodum in creatis, admissâ pura omissione libera, datur ad illam libertas, & non actuitas.

27 Demum, iuxta hanc sententiam, non est difficilis decisio illius quæstionis: num citra vllam

vllam variationem rerum creatarum possint in Deo esse diuersa decreta libera? Partem negatiuam consequenter tenent omnes adducti disput. 16. num. 10. Ratio in ipsorum principijs perspicua est. Nam Deum in vno casu habere decretum, quod non habet in alio casu, vel est in vno casu aliquid esse intra Deum, quod non est in alio casu; vel in vno casu aliquid esse extra Deum, quod non in alio. At primum implicat: quia omnia intrinseca Dei sunt semper, essentialiter, & in quolibet euentu existentia necessariò: ergo dicendum est secundum, nempè, quoties Deus habet in vno casu decretum, quod in alio casu non habet, dari aliquid extra Deum, proindeque aliquid creatum, quod in alio casu non datur. Partem affirmatiuam tenent fere omnes alij Authores citati disput. 15. num. 6. Primò. Quia potest Deus condonare peccatum siue mortale, siue veniale per puram extrinsecam condonationem, nullo creato producto siue intrinsecè immutante peccatorem; siue non immutante. ¶ Secundò. Quia similiter, nullâ denuo creatura producta, potest Deus relaxare votum, quo te obstrinxisti Deo. Tertiò: quia, positis eisdem meritis, eademque gloriâ, nullaque alia variatione in rebus creatis facta, potest Deus dare gloriam, vel vt remuneret merita, vel non sic; sed pure gratis, non habita ratione meritorum. Eademque ratione potest Deus sine vlla variatione ex parte creaturarum prædestinare hominem, ante absolutam præuisionem meritorū, ad gloriam vt coronam meritorum; vel non sic prædestinare; sed ex præuisis meritis. Tandem, quia potest Deus decernere nihil creare, iam propter vnum; iam propter alium finem. V.g. iam, vt nihil positiuum creatum, ideòque imperfectum, existat; iam, vt non dentur peccata, quæ præuidet fore, si ad aliquid creandum se determinet. Nihil autem esset extra Deum in vno ex his euentibus, quod non esset in alio. Nam in quolibet ex his euentibus nihil esset positiuum extra Deum, darēturque omnes carentiæ cuiuis creati.

28 Innumera sunt excogitata pro solutione istorum, quæ passim apud alios inueniuntur refutata. Nonnulli sunt, quibus placet pro multis casibus responsio petita ex doctrina vniuersali, quam alijs subtilius, & explicatius tradidit P. Ripalda disput. 67. de Ente supern. sect. 3. & tom. de Fide, disput. 40. sect. 9. nempè, effectum contingenter dependentem ab aliqua causa morali, ea-

tenus in exercitio dependere ab illa, quatenus præter coexistentiam cũ ipsa datur veritas quædem conditionalis, quòd talis effectus deficeret, si deficeret ea causa. Hinc, positis meritis, & gloria, discrimen, quod intercederet, quando gloria daretur propter merita, & quãdo daretur independenter ab illis, in eo staret, vt in priori casu daretur hæc veritas conditionalis: *Non daretur gloria, si deessent merita*; at in posteriori casu daretur hæc veritas opposita: *Ita datur gloria, vt, tametsi deessent merita, daretur.* Itaque in his euentibus non est diuersitas ex parte Dei intrinsecè spectati, sed ex parte rerum creatarum in statu conditionato. Solutio petita ex hac doctrina placuit RR. Complutensibus. Eam tradidit pro explicanda varietate finium, ex quibus carentiæ decerni possunt, P. Arrubal disput. 58. num. 24. Idem similiter in carentijs placuit P. Vander-Ve-Ken tract. 2. disp. 3. nu. 42. Placuit absolute P. Recupito parte 2. de Deo vno, lib. 2. quæst. 9. num. 49.

29 Hanc doctrinam vniuersim acceptam reieci multis tractatu de Actibus humanis, quæ postea P. Ripal. præcit. disp. 40. diluere tentauit; sed frustra, vt videbimus, quando Deo placeat, eum tractatum in lucem edi. Breuiter attingamus nonnulla, propter quæ displicet in præsenti. *Primò*. Nam, vt patebit legẽti, quæ diximus disp. 16. num. 45. Deum *absolutè* decernere gloriã propter merita nequit non importare aliquid *absolutum* contingens vltra gloriã, & merita, quin sufficiat purè conditionatum. *Secundò*. Nam, sumptis duplici euentu, altero vbi Deus decernat gloriam præcisè ex præuisis meritis; altero, vbi ante præuisionem absolutam meritorum decernat gloriam, vt ipsorum coronam, daretur decretorum varietas; & inuariati essent euẽtus creati absoluti, & conditionati. Nam vtrobique darẽtur merita, & gloria, & hanc non esse dandam, si illa deessent. *Tertiò*. Quia non stabit, Deum dare nunc purè antidoraliter gloriam propter merita, non dantem illam modo purè gratis; sed sic daturum, si deessent merita. Sequela patet: quia, per re, nũc de præsenti dare illam gratis est nunc de præsenti dare illam, ita, vt esset eandem daturus, si deessent merita. *Quartò*. Nam, postquam homo merita exercuit, potest Deus ipsi notificare per notitiam supernaturalem essentialitèr verã merita, quæ exercuit, vel vt per eandem notitiam excitatiuam honesti gaudij, quodammodo remuneret hæc merita; vel non ob hunc finem; sed vt ille homo cautius procedat, ne perdat ea

mer-

mërita. In hoc vltimo euëtu nõ daret Deus eam notitiã in præmium meritorũ; & alliunde sequeretur oppositum, quia daretur, non danda nisi merita præextitissent; in quo, per tę, stat dari in prę mium illorum. Omitto plura, de quibus loco cit.

30 Propterea in fauorẽ sententiæ, quam semper veneror propter ipsius grauissimos asseclas, minus mihi displiceret respondere iuxta doctrinam, quam præ cæteris illustrat nouissimè P. Quiros. Ad primũ ex n. 27. in medio dici posset. Forma, per quam Deus condonat extrinsecè peccatum, est ipse actus internus necessarius diuinæ voluntatis; ille tamen in ratione constituentis Deũ in concreto condonantẽ liberè cõpletur per modum quendã creatum non affixum intrinsecè ipsi peccatori; sed alij rei creatæ. Itaque quẽadmodum, quia possunt existere corpus, & locus Cõplutẽsis, quin corpus sit præsens Cõpluti, admittitur ad hunc effectũ formalem vbicationis modus non alterius muneris, quàm actualis determinationis, vt corpus sit hìc; ita, quia possunt dari, & hominem peccasse, & Deũ habere suam volitionẽ necessariã, quin Deus liberè condonet peccatũ, admitti poterit ad eum effectũ formalem quidam modus peccatori extrinsecus non alterius muneris, quàm determinandi prædictã volitionẽ Dei. vt eum effectum formalem præstet in actu secũdo. Hic autem modus non pugnat cũ peccato per modum contrarij physici inhærentis homini, & expellentis peccatum; sed per modum complentis volitionẽ diuinam in ratione cõdonantis efficacitèr intentionaliter peccatũ, vt dicitur in aliorum sententiâ de libera terminatione cõdonatiuâ. Et sicut hæc in aliorũ sententiâ non inhærens intrinsecè peccatori cõstituit Deum formalitèr cedentem iuri ad indignationẽ contra ipsum, idem cõpletiuè præstat prædictus modus. Deinde, vt actio nostra amãdi duplicitèr nos determinat, nempè, & vt ipsam actionem eliciamus physicè, & vt tendamus intentionalitèr in obiectũ, amando ipsum; ita prędictus modus duplicitèr Deum completiuè determinat, & vt constituatur in concreto decernens existentiam eius modi, & condonans peccatum. Idem dicatur de relaxatione voti, de præcepto, & similibus: ex quo patet ad secundum.

31 Ad tertium dici poterit consequenter ad nuper dicta, tales varietates nõ dari absque variationibus Deo extrinsecis; petendis tamen ex diuersis modis creatis, quibus Deus completiuè constituitur in concreto diuersimodè determinatus intentionaliter. Hinc, quando Deus glo-

riã decernit ex præuisione meritorum, ponitur vel in prædestinato, vel alibi quidam modus, cuius munus est completiuè Deum constituere sic decernentem. Secundò, quando positis meritis, decernit gloriam gratis, excluditur talis modus. Quando ante præuisionem meritorum decernitur gloria, vt ponenda tanquam meritorum corona, ponitur in prædestinato, vel alibi quidam modus, cuius munus est Deum constituere sic decernentem, & determinãtem, vt faciat hominem elicere merita, quibus præuisis moueatur ipse Deus ad executionem gloriæ. Et in summâ determinationum liberarum varietas, quæ in creatis contingit per diuersos actus, poterit, proportione debita seruata, declarari in diuinis per diuersos modos completiuos decretorum Dei in concreto. Quapropter, vt Deus producat hominem, v. g. ad finem supernaturalem nõ est opus, ipsam productionem esse supernaturalem; sed sat est, Deum ponere in entitate, vbi voluerit, modum directiuũ eius productionis ad finem supernaturalõ; & similiter poterit Deus dirigere Angelum ad finem supernaturalem; tametsi demus, creationem passiuam Angeli identificari cum ipso.

132 Ad quartum dici potest (omissis responsionibus nõ adeò probabilibus ductis ex variatione euentuum conditionatorum, & ex diuersitate essentiali carẽtiarum pro diuersitate finiũ, quarũ solutionum in alijs tractatibus memini) dici, inquam, poterit, eo ipso, quòd Deus liberè nihil producat ad extra, se determinare ad nihil producendum ex omnibus finibus, ad quos conferre prænoscit nihil ad extra producere. Ratio est, quia Deus de se est volitio sufficiens nihil efficiendi propter omnes eos fines constituens Deum sic decernentem nihil efficere, nisi ipse Deus pro sua libertate impediat constitui sic decernentem; & quia Deus casu, quo nihil efficiat, id non impedit, quia non aliter impedit hoc, vel illud obiectum esse propter talem finẽ; nisi efficiendo, saltem, modum excludentem, quòd tale obiectum sit propter talem finem, ideo casu, quo nihil omnino efficiat, nihil effici est propter omnes fines, ad quos conferre prænoscitur bonis efficiẽtiæ omissio. Tametsi autem carẽtia Petri, v. g. detur propter omnes fines, ad quos cõducere prænoscitur, quãdo nihil Deus producit ad extra; si tamẽ Deus alia præter Petrũ producat ad extra, poterit omittere productionẽ Petri, exercens eam omissionẽ ex fine, vt Petrus nõ damnetur, & simul nõ exercens illã ex finib⁹ alijs, ad quos est vtilis, nimirum

rum, si in Paulo, vel alibi quendam ponat modulum, cuius munus sit completiuè constituere Deum sic decernentem in concreto: *Nolo, vt propter alios fines præter A. productio Petri omittatur.* Hæc sunt omnium probabilissima, quæ iuxta eam sententiam dici possunt, desumptaque sunt ex mihi semper gratissimo P. Quiros, apud quem videri possunt vberius, & quidem acumine præclaro illustrata.

33 At, quidquid de istis sit, facilè colligitur ex sententiâ huius disp. non implicare, Deum diuersimodè decernere libere, quia ex parte rerum creatarum aliud, & aliud diuersum in alio, & alio casu detur. Nam, vt Deus diuersimodè decernat, satis, iuxta eam sententiam, erit, si Deus diuersimodè se habeat liberè ad eadem obiecta ratione diuersarum terminationum, quæ neque plenè, & simplicitèr identificentur cum Deo, quo pacto identificantur prædicata necessaria; neque plenè, & simplicitèr distinguantur à Deo, quo pacto distinguuntur entia creata; sed eâ distinctione diminuta, quam præsens disputatio satis explicuit.

(*.*)

DISPVT. XVIII.

De perfectione, vel non-perfectione physica liberorum actuum Dei supra perfectiones necessarias.

SVpereſt id expendamus (in quo non parum RR. nostri laborarunt) pro complemento anteriorum.

CAP. I.

Expenditur quorundam Theologorum sententia.

1 PLures ex illis, qui putarunt disp. 15. actus liberos Dei consistere in terminationibus adæquatè intrinsecis, & identificatis cum Deo, magnam difficultatem sentiunt in explicando, num prædictæ terminationes liberæ (quas virtualitèr intrinsecè distinguunt ab essentiâ Dei, cum hæc sit necessaria, & illæ contingentes) importent perfectionem entitatiuâ rationesui, quatenus cõdistinctæ virtualitèr ab essentiâ Dei. Ratio difficultatis est: quia talis perfectio esset finita, & aliunde infinita simplicitèr. Hoc vltimum: quia quidquid identificatur cum

essentiâ diuinâ est simpliciter infinitum. Illud primum, quia omnis perfectio defectibilis est finita. Tum, quia ipsa defectibilitas est imperfectio, de quo videnda est disputatio 15. à n. 21. proindeque perfectio defectibilis, vtpotè cum imperfectione mixta, non potest non esse finita. Tum, quia omnis perfectio defectibilis capax est, non solùm vt limitetur per non-existentiam realem; sed etiam vt in nihilum redigatur.

2 Propterea ingeniosi Recentiores ex nostris exactius, & subtilius, quàm alij dixerunt, eas terminationes non dicere ratione sui perfectionem physicam, & entitatiuam; sed ratione essentiæ diuinæ, quâ summè, & infinitè perficiuntur: vnde, cum præcisè sint defectibiles ratione sui, neque ipsæ sunt defectibiles secundùm suam perfectionem entitatiuam, neque vlla perfectio diuina defectibilis est. Hæc sententia probatur. *Primò*. Quod non præponderat in æstimatione suo contradictorio formali nullam dicit æstimabilitatem entitatiuam, ideoque nullam talem æstimabilitatem dicerent lux, sanitas, & visus, si non præponderarent tenebris, infirmitati, ac coecitati. At volitio libera Dei non præponderat in æstimatione suo contradictorio formali; quia, cum sit Deo impossibilis pura omissio libera, de quo disp. 19. contradictorium formale volendi est nolle, vel aliud positiuum pugnans cum velle; & non est maioris æstimationis Deum velle liberè, quàm liberè nolle: ergo, &c. *Secundò*. Volitio libera non addit, supra volitionem necessariam, perfectionem aliquam in lineâ volendi: ergo in nullâ lineâ: quia, si in aliquâ, certè in volitiuâ. Antecedens probatur: quia infinito summè, ac simpliciter nihil addi potest in lineâ, in quâ tale est. Volitio autem necessaria Dei simpliciter, ac summè infinita est in linea volendi. *Tertiò*. Quia identitas volitionis liberæ, vel eius determinatio ad identitatem cum essentia Dei non arguunt in ipsa volitione perfectionem: ergo nihil eam arguit: quia, si quid, maximè illud. Antecedens probatur. Tum quia, vt potest identificari cum essentia necessaria, quin in ratione terminationis liberæ sit necessaria, ita poterit cum perfectione, quin ratione sui dicat perfectionem. Tum, quia ea terminatio non est ratione sui perfectio simpliciter simplex; & tamen identificatur cum perfectione simpliciter simplici, nempè, cum essentia Dei: ergo, quamuis identificetur cum perfectione, non ideo erit ratione sui perfectio,

3 Hæc

3 Hæc sententia valde difficilis est, & à suis Authoribus solùm inuenta, quia iuxta sua principia nihil melius inueniunt. Improbatur primò. Nam Authores huius sententiæ duobus egent. Primum est, terminationes liberas, vtpotè identificatas cum Deo, perfici infinitè, quanuis non ratione sui, saltem ratione essentiæ diuinæ. Secundum est, non importare perfectionem ratione sui, ne alioqui perfectio identificata cum Deo sit defectibilis. At, quidquid sit de hoc posteriori, non explicatur illud prius, quod cōstat esse falsum ex disput. 15. à num. 21. ergo hæc sententia insufficiens est. *Secundò*. Quia non est aliud habere perfectionem physicam, quàm habere prædicata intrinseca apta ad existendum ex determinatione Dei. At terminationes liberæ habent ratione sui prædicata intrinseca apta ad existendum ex determinatione Dei: ergo ratione sui habent perfectionem physicam. *Tertiò*. Quod non est adeò non æstimabile, ac purum nihil, habet physicam perfectionem. At prædictæ terminationes ratione sui sunt non tam non æstimabiles, ac purum nihil: ergo important ratione sui perfectionem physicam. Minor probatur. Prædictæ terminationes habent ratione sui intrinseca prædicata idonea, vt ab essentia diuina accipiant esse infinitas, intellectuales, æternas, immensas, Deumque ipsum. Ego autem apprehendere mente non possum, quomodo hoc non sit esse ratione sui non adeò non æstimabiles, ac purum nihil non aptum habere siue à se, siue ab alio perfectionem. Pluribus alijs speciosis rationibus, quibus ego non egeo, reijciunt alij propositam sententiam.

4 Argumenta proposita n. 2. non vrgent. Ad primum, (quidquid sit de supposito, quod pluribus videtur falsum, nempè, contradictorium formale volitionis esse alium actum positiuum incomposibilem cum ipsa) respond. Tunc solùm arguit nullitatem perfectionis defectus præponderantiæ ad contradictorium, quando contradictorium est purum nihil nullius prorsus perfectionis. Nam, quod nec puro nihilo in perfectione præponderat, nullius planè perfectionis est. At, quando contradictorium formale rei neque est purum nihil; neque aliunde constat nullius esse perfectionis, profectò non præponderantia rei ad ipsum non infert determinatè, talem rem nullius esse perfectionis; sed vel esse nullius; vel non maioris perfectionis, quàm prædictum contradictorium. Cum igitur positiua nolitio diuina

neque sit purum nihil, neque aliunde constet nullius esse perfectionis, planè conficitur, non inferri ex nō-præponderantia volitionis ad nolitionem, volitionem esse nullius perfectionis; sed vel nullius, vel non maioris, quā nolitionem.

5 Ad secundam probationē dicetur, volitionem liberam aliquid addere perfectionis supra volitionem necessariam in lineâ volendi. (Hoc intelligendum est iuxta disp. 17. de additione impropriâ volendi in concreto, quatenus non est identitas integrè, simpliciter, & absolutè talis intèr Deum velle necessariò se ipsum, velleque liberè creaturas.) Ad probationem in contrarium respondeo. Ad hoc, vt Deus, quatenus necessariò volens, sit infinitus simpliciter in ratione volēdi, sufficit, Deum, quatenus sic volentem, habere in se omnem perfectionem simplicitèr simplicem in ratione volendi, id est, omnem illam perfectionem, cuius carentia infert, Deum esse imperfectum in ratione volendi. Quia vero Deū velle liberè creaturas, quanuis sit perfectio in linea volendi, nō est perfectio simplicitèr simplex, quippè Deus non esset imperfectus, minusque æstimabilis, etsi nollet creaturas, consequens est, non requiri ad infinitatem simpliciter Dei in ratione volētis necessariò, quòd imbibat, vt sic, perfectionem contingentem volentis liberè. Sic Deus, attentis præcisè necessarijs prædicatis ipsius, est simpliciter infinitus in lineâ entis positiui; & tamen ea prædicata necessaria non imbibunt specialē formalitatem positiuam terminationū liberarum: quia istarū carentia non infert, Deum esse ens positiuum imperfectum. Sic in Deo relatio Paternitatis est infinita simpliciter vel ratione sui, vel ratione essentiæ diuinæ; & tamen non imbibit filiationem, quia ex non-inclusione huius non redditur imperfecta.

6 Ad tertium. Negatur antecedens. Ea enim identitas siue plena, siue diminuta, iuxta diuersas sententias, quam habet terminatio libera cum essentia Dei, arguit perfectionem in ea terminatione. Ad primam probationem. Discrimen est, terminationes liberæ, eo ipso, quòd sint liberæ, sunt incapaces, vt sint simplicitèr necessariæ, vnde ex nulla coniunctione cum essentia Dei simplicitèr necessaria potest inferri, ipsas esse necessarias simpliciter. At ex eō, quòd terminatio libera sit positiua, neque potens non identificari cum Deo, iam ratione sui non est adeò despicabilis, ac purū nihil; & cōsequentèr iam ratione sui pondus aliquod perfectionis importat. Ad

secun-

secundam probationem. Admitto, eam terminationem idē tificari cum essentiâ Dei, quæ est perfectio simplicitèr simplex; & tamen eam terminationem non esse ratione sui perfectionē simpliciter simplicem (Dixi *admitto*, quia iuxta disp. 17. ea terminatio non plusquam identitate diminutâ identificatur cum essentiâ Dei) at nego consequentiam. Discrimen est, quia positiuum identificabile cum perfectione, ac determinabile directe pro libito rectissimi, ac sapientissimi Dei, eo ipso importat plus ponderis æstimabilis, quàm purum nihil, ideoque perfectionem. At identificatum cum perfectione simplicitèr simplici ideo potest nō esse perfectio simplicitèr simplex, quia vel contradictorium ipsius, vel oppositum cum ipsâ potest esse æque bonū, ac ipsa: quemadmodum relatio Paternitatis, quanuis identificetur cum essentiâ diuinâ, quæ est perfectio simpliciter simplex; tamen, vt virtualitèr distincta ab essentiâ, non est perfectio simpliciter simplex, quia Filiatio ipsi opposita tam bona est, quàm ipsa.

CAP. II.

Expenditur singularis modus explicandi perfectionem indefectibilem actuum liberorum Dei.

7 PAt. Aldrete disp. 3. de Incarn. sect. 1. num. 5. subtilem cogitationem tangit, quā ipse de more suo ingeniosè, fusoque calamo illustrauerat tract. de Voluntate Dei. Asserit, actus liberos Dei formalissimè ratione sui esse perfectionem; eam tamen perfectionem esse prorsùs indefectibilem. Ad quod explicandum supponitur id, quod defendemus disp. 19. nempe, Deū non posse omittere vnum actū liberum per puram carentiam ipsius; sed per alium actum positiuum oppositum. Vnde, cum omnino necessarium sit, Deum decernere mundum v. g. vel omittere tale decretum, indefectibile prorsus erit hoc disiunctū * Decretum mundi, vel actus oppositus.* Quo posito dicunt, perfectionem cuiuslibet actus liberi consistere in disiuncto ipsius, vel oppositi actus. At hoc disiunctum est prorsus indefectibile: ergo etiam est omnino indefectibilis perfectio liberi actus. Maiorem, in qua est difficultas, exemplis, & rationibus probant, de quibus infra: quibus contendunt explicare, plura esse confi-

tu-

tutiua sufficientia illius numero perfectionis, quam important actus liberi. Nam vnum constitutiuum sufficiens eius numero perfectionis, quam importat decretum mundi, est ipsum decretum; & aliud constitutiuum sufficiens eiusdem numero perfectionis est actus liber oppositus; ac proinde, cum posito sufficiēte constitutiuo alicuius, detur hoc aliquid, planè fit dari hanc numero perfectionem huius decreti, eo præcisè, quòd detur hic actus, vel oppositus. Cum igitur, iuxta dicta, sit omnino necessarium, dari hunc actum, vel oppositum, consequentèr est omnino necessarium, dari hanc numero perfectionem huius decreti.

8 Hæc speculatio non minus est difficilis, quàm subtilis. *Primò*. Quia, si existentia disiunctiua decreti circa mundum v. g. sit aliquomodo distincta ab existētiâ determinatâ eiusdem decreti, non subsistit hæc speculatio. At ea distinctio necessariò fatenda est: nam existentia disiunctiua eius decreti est prorsus indefectibilis; defectibilis autē existentia determinata: ergo, &c. Maior probatur. Vel enim existentia determinata eius decreti est à se ipsa, vt cōdistincta ab existentia disiunctiua, perfectio diuina; vel non? Si hoc secundum: ergo, sicut non à se ipsa formaliter; sed ab existentia disiunctiua aliquomodo ab ipsa distincta est perfectio; ita poterit esse perfectio non à se ipsa formaliter; sed ab essentia diuina, à quâ virtualiter distinguitur: nam, si quid impugnat hoc, ita & illud. Si dicatur primum: ergo perfectio diuina in eo genere, in quo est perfectio diuina, est defectibilis, ad quod euitandum inducta est tua speculatio. Probatur consequentia. Existentia determinata huius decreti in ratione determinatæ, & condistinctæ à disiunctiua est perfectio diuina. At in eâdem ratione est defectibilis: ergo in eadem ratione, in qua est perfectio diuina, est defectibilis. ¶ *Secundò*. Hic autor fateri tenetur defectibile esse tale determinatum constitutiuum sufficiens perfectionis diuinæ, nempè, terminationē liberā ad mundū determinatè sumptā, quę, licet non sit vnicum; est tamen sufficiens constitutiuum perfectionis eius terminationis: ergo fateri poterit, defectibilem esse perfectionem diuinam. Probatur consequentia. Hoc subiectum * Tale determinatum constitutiuū perfectionis diuinæ * tam est diuinum, exigens, ac determinatum essentialitèr ad identitatem cum Deo, quàm hoc subiectū. * Perfectio diuina * At ea præstantia prioris subiecti non impedit, verificari de illo defectibilitatem: ergo similis præstantia posterioris non impediet similem verificationem.

9 Ter-

9 *Tertiò.* Nam, iuxta hanc sententiam, perfectio huius decreti non erit virtualitèr intrinsecè distincta ab hoc decreto; & erit virtualiter intrinsecè distincta ab illo. Primum: nam alioquin tale decretum non à se ipso formalissimè, vt ais; sed ab alia formalitate virtualiter intrinsecè distincta, erit perfectio. Secundum: quia defectibile, & indefectibile distinguuntur, saltem virtualitèr intrinsecè. At hoc decretum defectibile est; eiusque perfectio indefectibilis: ergo, &c. Hoc tamen argumentum, cui pluſquam alijs insistunt RR. non videtur firmum, nisi reuocetur ad alia. Sicut enim hæc ratio. * Exercitium diuinæ libertatis * si sumatur vagè, vel vniuersalitèr, distinguitur inadæquatè ab hoc exercitio diuinæ libertatis decernendi mundum: quia ratio illa, non solùm hoc exercitium; sed omnia exercitia diuinæ libertatis complectitur; ideòque stat, indefectibile esse Deum exercere suam libertatē; defectibile tamen tali modo exercere; etiamque stat, tale exercitium indistinctum esse virtualitèr ab exercitio diuinæ libertatis; sic similitèr hæc ratio. * Perfectio huius decreti * si sumatur vagè, & quasi vniuersalitèr, distinguitur inadequatè ab hoc decreto, quippè quæ complectitur etiam decretum oppositū. Quāobrem stat primò, perfectionem huius decreti esse indefectibilem. Secundò, hoc decretum indistingui virtualiter à perfectione huius decreti: quia virtualiter indistinguitur à se determinatè sumpto, ipsumque determinatè sumptum est sufficiens constitutiuum suæ perfectionis.

10 Dixi: *nisi reuocetur ad alia.* Nam facile erit sic replicare. Ergo, sicut indefectibile est Deum exercere suam libertatem; defectibile tamen eam exercere tali determinato modo; ita indefectibilis erit perfectio huius decreti; defectibile tamen tale determinatum constitutiuum huius perfectionis. At hoc posterius tam impossibile est, quàm primum: quia, sicut perfectio huius decreti determinata est ad identitatem cum Deo, & ob id pugnat cum defectibilitate sui; ita tale determinatum constitutiuum huius perfectionis est determinatum ad identitatem cū Deo: ergo eodem iure pugnabit cum defectibilitate sui, ac proinde in impossibile incidit hæc sententia. Cæterùm hæc replicatio iam reducit argumentum ad secundum formatum num. 8. ¶ *Quartò.* Quod nequit perficere aliquod extremū, nequit esse siue vnicum; siue sufficiens constitutiuum illius in esse perfecti. At terminatio liberā nolendi nequit perficere terminationem liberam volēdi, quippe altera excludit essentialiter alte-

teram; imò, iuxta te, altera est contradictorium formale alterius; estque implicatorium, aliquid perfici per suum contradictorium formale: ergo terminatio libera nolendi nequit esse siue vnicum, siue sufficiens constitutiuum terminationis liberæ volendi in esse perfectæ. *Quintò.* Implicat, multiplicari diffinitionem obiectiuam, immultiplicato definito, ideòque implicat, immultiplicato homine, multiplicari animal rationale. At, per te, constitutiuum sufficiens liberæ volitionis in esse perfectæ est duplex: quippe ais, volitionē, nolitionemque liberam esse duo constitutiua sufficientia volitionis liberæ in ratione perfectæ, obiectumque diffinitionis explicantis perfectionem est constituriuum extremi in ratione perfecti: ergo perfectio liberæ volitionis non est vnica numero, & indefectibilis; sed duplex numero, quarum vnaquæque defectibilis est.

11 At obijciunt RR. Primò. Bene stat, esse plura cōstitutiua sufficientia eiusdem numero rei non petentis ad sui constitutionem tale cōstitutiuum determinatè sumptum; sed vnum, vel aliud vagè: ergo benè stabit, eandem numero perfectionem huius decreti constitui posse per plura constitutiua sufficientia, & ad sui constitutionem non petere tale constitutiuum determinatè sumptum; sed vagè vnum, vel aliud, nempe, se ipsum, vel actum oppositum. Antecedens probatur multis exemplis. Tum, quia hic numero Deus in ratione huius numero Dei petit præcisè ad sui constitutionem hanc, vel illam personalitatem vagè, simul cum natura diuina; constituitur tamen sufficiētèr per personalitatem Patris; necnon per personalitatē Filij, ideòque Pater, & Filius sunt idem numero Deus. Tum quia, iuxta D. Thom. in 1. dist. 4. quæst. 1. art. 2. corp. constituitur *hic homo* per hanc numero naturam cum hac, vel illa subsistentia indeterminatè, & indistinctè. Tum, quia homo idem in specie potest constitui per subsistentiam vel vnius, vel alterius speciei, ideòque, iuxta P. Suar. 3. p. quæst. 16. artic. 1. in comment. Christus est homo eiusdem speciei cum Petro; quia, licet Christus importet subsistētiam increatam; Petrus autem creatam, hæc tamen species *homo* præcisè importat determinatè naturam humanam; indeterminatè verò vnā, vel aliam subsistentiam: ergo similitèr hæc numero res poterit indeterminate importare hoc, vel illud numero constitutiuum. Tum, quia manet hæc cathedra cum eâdē numero figura, quamuis locum, & vbicationes muter, & quanuis figura consistat in vbicatione, & collocatione partium. Id autem ne-

nequit esse verum, nisi quia hæc figura non constituitur præcisè per hanc vbicationem; sed per hanc, vel aliam. Tandem, quia neque oculus dexter determinatè, neque sinister determinatè requiritur ad videndum; sed tantum vnus, vel alter indeterminatè, quolibetque constituitur sufficienter requisitum ad videndum.

12 Hæc tamen non vrgent. Respondeo explicando, vel distinguendo antecedens. Bene quidem stat, dari plura constitutiua sufficientia, & adæquata eiusdem numero rei, quæ sint plura in ratione constitutiuorum eius rei, quatenus multiplicis; nō verò quatenus vnius numero, & nego consequentiam: quia volitio, & nolitio eo ipso, quod sint plura constitutiua adæquata perfectionis, nō possunt esse vna tota numero perfectio; sed plures. Huius explicatio patet ex his, quæ iam dicimus ad primum exemplum. Ad quod dicatur. Fateor, hunc numero Deum præcisè petere ad sui constitutionem hanc, vel illam personalitatem vagè, simul cum naturâ diuina determinatè. Cæterùm, quâ ratione multiplicantur constitutiua adæquata rei, multiplicantur constituta; & quâ ratione non multiplicatur constitutum, neque multiplicantur adæquata cōstitutiua, cuius causa est identitas, quam omnibus modis habent res constituta, & adæquatum constitutiuum rei. Hinc. Complexa, vel quasi complexa ista: *Natura diuina cum Paternitate: Natura diuina cum Filiatione: Natura diuina cum personalitate Spiritus Sancti*, quia sunt plura, quatenus adæquata constitutiua personæ diuinæ, sunt etiam plures personæ; & quia Deus, quatenus Deus, non est plures; sed vnicus numero, ea etiam constitutiua, quatenus constitutiuum Dei, non sunt plura; sed vnum numero.

13 Cuius ratio est: quia, sicut iuxta cōmunem sensum Theologorum concreta substantialia in tali, vel tali ratione sumpta multiplicantur ad multiplicationem abstracti, quod in eâ ratione important expressè; non vero ad multiplicationem illius abstracti, quod in ea ratione importāt in confuso; sic similiter constitutiuum adæquatum rei, in aliqua ratione, multiplicatur; vel non, pro multiplicatione, vel immultiplicatione illius, quod in expresso importat, quatenus constitutiuū rei in ea ratione. Quia ergo complexa, vel quasi complexa illa assignata num. 12. in ratione constitutiui adæquati *Dei, vt Dei*, exprimunt Deitatē; personalitates autem confundunt, quia constitutiuum adæquatum *Dei, vt Dei*, non est aliud, quam *totum; quo Deus est Deus*, vbi de expresso dicitur sola

la Deitas, & aliunde Deitas non est multiplex; sed vnica numero, consequens est, prædicta complexa esse vnicum numero in ratione constitutiui adæquati Dei, vt Dei. Imo hinc arguitur contra P. Aldrete. Implicat, multiplicari constitutiuum adæquatū personæ, vt personæ; & tamen non multiplicari personas: ergo implicat, multiplicari constitutiuum adæquatum perfectionis, vt perfectionis; & tamen non multiplicari perfectiones: quia sicut sunt omnibus modis idem constitutiuum adæquatum personæ, vt personæ, ac persona; ita sunt omnimodis idem constitutiuum adæquatum perfectionis, vt perfectionis, ac perfectio.

14 Ex his ad alia exempla. Ad secundum. Esto, multiplicentur subsistentiæ eiusdem numero naturæ humanæ, non multiplicatur *hic homo* sub hac ratione, quia non multiplicatur constitutiuum adæquatum huius hominis, quatenus cōstitutiuū adequatū huius hominis: sic enim multiplicari significat, multiplicari naturam humanā, quam solam de expresso dicit tale constitutiuum, vt sic sumptum. Ad tertiū adhibenda est similis solutio, simili proportione seruata. Vnde nunquam infertur, in ea ratione, quâ res est vnica, plura esse constitutiua adæquata ipsius. Ad quartum. Si figura consistat in vbicationibus, quod non pauci falsum putant, commutatis his numero vbicationibus in alias similes, figuræ sunt *physice* numero distinctæ; at moraliter eædem, nam perinde se habent quoad apparentiam. Ad vltimū. Resp. Eadem ratione, quâ sunt plura constitutiua sufficientia, & adæquata *requisiti ad videndum*, sunt etiam plura requisita ad vidēdum, nempè, plura requisita necessitate indeterminata. Nam oculus dexter est requisitus necessitate indeterminata sui, vel sinistri; & contra sinister. Vnde, sicut sunt multa constitutiua sufficientia requisiti ad videndum, nempe, oculus dexter; necnon & sinister, quoduisque ex his constitutiuis est vnum requisitum ad videndum necessitate indeterminata; sic etiam multiplicatur hoc obiectum * Requisitum ad videndum * Cōsideretur hoc ad expediendas æquiuocationum tricas.

15 Opponunt secundò. Æstimabilitas decernendi mundum non stat in eo, quòd æstimabile sit Deum decernere mundum potius, quàm nolle. Nam ad hoc oporteret, volitionem diuinam æstimabiliorem esse, quàm volitionem, quod est falsum. Rursus, ea æstimabilitas non in eo stat, quòd existant simul volitio, & nolitio, quippe quod est chymæricum: ergo tota æstimabilitas eius decreti in eo stat, quòd ipsum, vel oppositum existat.

stat. Cum igitur hoc verificetur, siue ipsum detur; siue oppositū, patet, in vtrolibet euentu dari totam æstimabilitatem decreti. Confirmant. Si enim spectentur duo medicamenta incomposibilia; æquè tamen ad sanitatem vtilia, vtraque profecto habent eandem æstimabilitatem vtilitatis ad sanitatem; quia neque conducit ad sanitatem vnū applicari præ alio, nam quodlibet æquè proficit; neque vtrunque simul applicari, quippè quod est chymæricum; solumque ad sanitatem conducit, vnum, vel aliud applicari: ergo, quod hic accidit in æstimabilitate respectiua, continget in casu argumēti in æstimabilitate absoluta entitatiua.

16 Ad argumentum resp. Ex eo, quòd æstimabilitas decreti non sit pensanda, quatenus ipsum sit æstimabile præ opposito; neque quatenus sit æstimabile dari vtrunque simul, infertur duntaxat, ea extrema non esse æstimabilitatis inæqualis, ideòque moralitèr, & æquiualenter loquendo, idem esse dari vnum, ac dari alterum; non autem infertur, eandem physicè æstimabilitatē dari, dato vno, ac dato altero. Quemadmodum, si quis haberet omnimodam necessitatem assentiendi positiuè, vel dissentiendi positiuè per actus omnino æquales obiecto probabiliter proposito, distinctam physicè; tametsi moralitèr indistinctam, perfectionem haberet, si haberet assensum, ac dissensum habens. Vnde, pro argumenti forma, dicatur, æstimabilitatem decreti non esse considerandam, prout in argumento proponitur, vt bene ibi probatur; sed quatenus decretum se ipso, præscindendo à comparatione cum actu opposito, dignum est, quòd directè determinetur à Deo; vel si mauis, quatenus collatione factâ cum eo, quòd certe constet nullatenus æstimabile, non est adeò nullius momenti physici. Ad confirm. Solùm probat, quoduis eorum medicaminum eiusdem *moralitèr* esse æstimabilitatis respectiuæ, non eiusdem *physicè*. Iam, æstimabilitas physica respectiua vnius determinatè sumpti nō est pendenda per prælationem ad aliud; sed quatenus se ipso est amabile in ordine ad sanitatem; vel, si mauis, quatenus, in ordine ad eum finem est se ipso amabile potius, quam nihil conducens ad ipsum.

CAP. III.

Quid iuxta principia ex disput. XVII.

17 Iuxta principia eius disp. dicendum est. *Primò*. Actus liberi Dei secundùm ipsorum abstractum accepta perfectionem sim-

simplicitèr infinitam importât: quia ipsorum abstractum est amor diuinus necessarius, necessariaque intellectio Dei: quę prędicata perfectionem importare simplicitèr infinitam indubitatum est. *Secundo.* Cõcretè sumpti, quâ ratione diminutè distinguuntur, vel, vt propriùs loquar, non plenè, ac simpliciter identificantur cum Deo secundùm se spectato, perfectionem important. Tùm, quia etiam, vt sic accepti, diuinam essentiam imbibunt. Tum, propter rationes allatas cap. 1. *Tertiò.* Vt sic accepti important transcendentèr perfectionem simplicitèr infinitam. Quia sic concretè nequeunt accipi impræcisè à suo abstracto, ipsorumque abstractum est perfectio simplicitèr infinita, vt nuper dicebamus. *Quartò.* Vt sic accepti non sunt simplicitèr infinite perfecti, si ly *sunt* significet identitatẽ cum perfectione simpliciter infinitâ, quia iuxta principia, in quibus sermo est, cum ea perfectione simplicitèr infinitâ non habent identitatem plenè, ac simpliciter dictam; sed diminutam. *Quintò.* Vt sic accepti sunt perfectiores quâuis creaturâ, etiamsi ly *sunt* significet identitatem. Quia, vt sic accepti, sunt (accepto *sunt* in sensu identitatis) concreta imbibentia transcẽdenter perfectionem simplicitèr infinitam, quam cum nihil creabile seorsim sumptum imbibat, siue identicè, siue transcendẽtèr, quoduis creabile in importatâ perfectione relinquitur inferius actibus liberis Dei, vt sic acceptis.

18 Id, quod adumbratur quodammodo in complexo ex Deo, & Petro. Hoc enim complexum non identificatur simplicitèr cum Deo identitate sufficiente ad verificandum sine addito diminuente ✠ Hoc complexum est Deus ✠ & tamen hoc complexum identificatur simpliciter cum se ipso superante in entitatiua perfectione quoduis creabile seorsim. Huius ad instar rem præsentem considerare poteris. *Tandem.* Actus liberi Dei sunt aliquomodo, iuxta ea principia, non perfecti physicè infinitè simpliciter. Tum, quia esse non sic perfectos est ita se habere, vt non plenè, ac simplicitèr identificentur cum Deo perfecto simplicitèr infinitè; sic autem se habent, iuxta ea principia, vt dicebamus. Tùm ex dictis disp. 15. à num. 21. Porrò, iuxta communem mentem Theologorum in his concretis de Deo dictis: *Dominus actualis creaturarum: Creator actualis, &c.* aliquid inuoluitur non perfectũ simplicitèr infinitum, quia talia concreta complentur essentialitèr per aliquid creatum. Rursus, iuxta sententiã, de qua latè disp. 16. complentium intrinsecè actus liberos Dei in concreto sump-

sumptos per aliquid creatū, tales actus, vt sic sumpti, aliquid claudunt nō infinite perfectum. Quid ni ergo, iuxta principia, in quibus sermo est, actus liberos Dei, propter non identitatem plenè, ac simplicitèr dictam cum Deo, existimari in aliquo sensu non perfectos physicè infinitè simplicitèr? ¶ Hactenus de constitutione actuum liberorū Dei, nostro assensu nondū plenè præstito, donec alij doctiores indifferentiam nostram vel pro dictis, vel contradicta determinēt.

DISPVT. XIX.

De libertate contradictionis, & contrarietatis in Deo, vbi de pura omissione libera.

DIscutiendum restat, quænam libertatis genera Deo conueniant.

CAP. I.

Præmittitur trium dubitationum expeditio.

1 LIbertas contrarietatis est potestas voluntatis ad affectus incomposibiles propter oppositum tendēdi modū circa idem obiectum: vt affectus, quo simplicitèr, & absolutè volumus existentiam sanitatis, v.g. & affectus, quo simplicitèr, & absolutè nolumus eiusdem sanitatis existentiam. Libertas contradictionis potest bifariam sumi. *Primò* generalitèr. *Secundò* specialitèr, prout condistincta à libertate contrarietatis. Generalitèr accepta est potestas voluntatis ad *esse*, & ad *non-esse* alicuius affectus. In qua generalitate libertas ipsa contrarietatis est contradictionis: quia potestas voluntatis ad affectus amoris, & odij incōposibiles, eo ipso, quòd est potestas ad amorem, est potestas ad *esse* amoris; & eo ipso, quòd est potestas ad odium ex essentia sua excludens amorem, est potestas ad impediēdum amorem, ideòque ad *non-esse* amoris. Libertas contradictionis *specialiter*, vt cōdistincta à libertate contrarietatis, est potestas voluntatis ad *esse* alicuius affectus, & ad *non-esse* ipsius citra positionem alterius tendentis in idem obiectum oppositō modo.

2 Hæc libertas contradictionis specialiter accepta bifariam excogitari solet. *Primò*, quatenus sit potestas ad amorem, v.g. & ad puram suspensionem ipsius, id est, ad omittēdum amorem absque interuentu actus positiui efficaciter amorem excludentis propter incomposibilitatem cum ipso. *Secundò*, quatenus sit potestas ad amorem, &

ad alium actum positiuum voluntatis absolutè, ac simpliciter nolentis eum amorem. Nam eiusmodi nolitio præstat amorē non esse, præscindendo ab eo, quòd talis nolitio tendat circa obiectum amoris opposito modo, ac ipse amor. His ita positis, dubitatur primò. Num Deo conueniat libertas contrarietatis, quæ possit exerceri per volitionem, ac nolitionem positiuam eiusdem obiecti? Respondeo affirmatiuè cum communi Theologorum, quibus refragatur Pascualigus postea citandus. Probatur. Sicut Deum velle efficaciter creaturas nullam arguit imperfectionem in Deo; ita & nolle: ergo, vt potest primum, potest secundum. Antecedens probatur. Nam, cui non est imperfectio prosequi obiectum conducens ad finem decenter amabilem, nequit esse imperfectio fugere ab obiecto impediente finem decenter amabilem. At, vt creaturæ conducunt ad fines decenter amabiles à Deo; ita impediunt fines similiter amabiles. Nam creaturas dari impedit, nihil simpliciter imperfectum dari, quod absque dubio est decenter amabile: ergo non minori iure, ac velle Deum efficaciter creaturas nullam arguit imperfectionem in Deo, nullam quoque arguit Deum efficaciter ipsas nolle.

3 Obijcit Pascualigus disp. 31. de Deo, sect. 3. num. 16. Nam affectus diuinus semper est propter diuinam bonitatē, quod repugnare nolitioni probatur. Tū, quia pura bonitas, vt est diuina, nequit esse ratio nolendi; sed purè amandi. Tum quia, cum Deus non habeat nolitionem circa suā bonitatem, non terminatur ad hanc nolitio, vt nolitio: ergo vnicè, & immediatè ad creaturā: quo fiet, creaturam præcise, non verò diuinam bonitatē esse obiectum formale talis affectus. Qua ratione putat hic Author disp. 37. in Deo non esse proprie odium circa peccatum. ¶ At, si hoc argumentum haberet vim, planè nec nos possemus nolle impedientia finem propter bonitatem finis, cuius consecutionem procuramus. Vnde infirmus ardente siti laborans non poterit fugere aquæ frigidæ potū propter sibi optatissimam sanitatem. Responsio est negare prædictam repugnantiam. Ad primā probationem. Pura bonitas nec potest esse ratio nolendi ipsam; neque obiectum, quod per ipsam constituitur purè bonum. Potest tamen esse ratio nolendi aliud quodammodo tali bonitati contrarium. Sic in nobis per charitatem Theologicam elicietibus actum contritionis pura bonitas Dei, quæ ratio non est, vt ipsam, vel Deum oderimus, ratio est, vt oderimus peccatum eatenus oppositum diuinæ bonitati,

nitati, quatenus diuina bonitas est quædam Dei propensio ad hoc, vt non committatur peccata. Similiter ergo propter diuinā bonitatem creaturæ impeditiuæ aliquorum finium decentèr amabilium à Deo terminare poterunt Dei nolitionem propter diuinam bonitatem, cui eatenus quodammodo contrariantur, quatenus impediunt eos fines, ad quos Dei bonitas est propensio.

4 Ad secundam probationem. Creaturæ nolitio, quatenus nolitio, licet non possit terminari ad diuinam bonitatem tanquam ad obiectum materiale *nolitum*; benè tamen vt ad rationem formalem nolendi, iuxta doctrinā generalem datam tract. de actibus humanis: sic odium peccati, quatenus odium peccati, ex charitate Theologica respicit peccatū, exhibendo ipsi denominationem odio habiti; respicitque diuinam bonitatem non tanquam odio habitam; sed tanquam rationem formalē detestandi peccatum. Iam obiectū materiale non ideo dicitur secundarium, & mediatum, quòd actus primò, & immediatius tēdat in obiectum formale tribuēdo ipsi talem, vel talem denominationem; & postea in obiectum materiale, similem ipsi tribuendo denominationem (in quo videtur deceptus Pascualigus, vt ex adhibitis exemplis, pluribusque alijs loc. cit. constat) sed propter rationem datā disp. 5. num. 39.

5 Difficilius forsan argui posset, Quia Deus neque velle nequit idem obiectum, quod potest nolle; neque nolle obiectum, quod potest velle. Nam velle nequit malitiam moralem peccati; & hanc solam potest nolle. Id, quod ex eo probatur: quia sic requiritur malitia moralis ad terminandum odium diuinum, vt imperfectio physica non sufficiat, alioquin Deus odio posset habere virtutum actus eximios; imò & ipsam vnionem hypostaticam: hæc enim, vtpote creata, physicas aliquas imperfectiones ferunt. ¶ Resp. primò. Hoc non vrget ad rem præsentem: quia, præter ipsam malitiam moralem, potest Deus saltem nolle ipsam peccatoris substantiam propter moralem malitiam, quâ turpatur. Vnde libertatem contrarietatis habebit, quatenus potest & existentiam peccatoris velle propter plures fines, & eandem existentiam nolle; sed potius destructionem velle in pœnam peccati. Resp. secundò ex attactis disput. 9. n. 22. & disput. 12. num. 49 Quanuis Deus, præcisâ malitiâ morali, non possit *proprium* odium auersionis, ac displicentiæ concipere; bene tamen *improprium* reiectionis ab existentiâ: huic enim rationabili reiectioni sufficit, eam existentiam impedi-

mento esse ad finem amabilem honestissimè à Deo. Tamen, vt Deus infinitè bonus auersionem concipiat, per quam aliquid perhorrescat, necessaria videtur moralis malitia nullatenus valens diuinam complacentiam terminare. Nā, quæ Deo placere possunt, nō videtur diuina bonitate dignum, quòd auersiuum odium terminent: vbi potiùs locum habere videntur prudentum apprehensiones, quàm metaphysicorum subtilitates.

6 Dubitatur secundò. Num existat in Deo libertas potens exerceri per decretum alicuius rei, necnon per nolitionem reflexam eius decreti? Responsio est affirmatiua, cui soli quidam RR. ingeniosi se opponunt. Probatur. Ideò creaturæ, quantumuis amabiles à Deo, minimèque odibiles odio auersiuo, possunt per diuinam voluntatem directè reijci ab existentiâ, quia fines impediunt, quos Deus honestissimè potest intendere. At simile est in decreto huius mundi: hoc enim decretum, positâ veritate, quòd, mundo præfinito, plura peccata euenient, impedit peccatorum carentiam honestissimè amabilem à Deo: ergo potest Deus directè reijcere ab existentiâ, huius mundi decretum. Vtque non fiat recursus ad decreti bonitatem siue simplicitèr infinitam, siue superiorem omni creatâ, sic vrgeo. Nolitio efficax alterius mundi impediens essentialitèr decretum alterius mundi est à Deo volibilis, ac determinabilis: ergo decretum alterius mundi est à Deo nolibile, & ab existentia reijcibile. Nam rationes illæ, quæ, non obstante bonitate huius decreti, quæcumque illa sit, honestare possunt, quòd ponatur voluntariè, & scientèr impedimentum essentialiter pugnans cum existentia ipsius, honestare pariter poterūt, quòd Deus nolit directè existentiam eiusdem.

7 Rursus. Non pugnat cum bonitate decreti alterius mundi, quantalibet ea sit, Deum determinare tale decretum ad non existendum: ergo neque pugnat cum illâ Deum nolle existentiam talis decreti, non quidem odio auersiuo; sed existentiæ excluſiuo. Nam, si non derogat bonitati decreti determinare ipsum ad non existendum, ægrè percipitur qui deroget eidem bonitati nolle ipsum existere. Confirmatur à contrario. Nequit Deus determinare scienter, & voluntarie ad existendum, id cuius existentiam nequit velle: vnde existentiam formalis malitiæ moralis, quam Deus nequit quoad affectum velle, nequit quoad effectū determinare:

ergo

ergo nequit Deus determinare scienter, ac liberè ad non existẽdum id; cuius existentiam nequit nolle. Cum igitur possit Deus per nolitionem alterius mundi scienter, ac liberè determinare ad non existendum decretum alterius mundi, planè fit posse ipsum nolle.

8 Opponunt RR. Ea præcisè ratio cohonestat excludere decretum alterius mundi, quòd sit rationi consonum exerceri dominium Dei non creando mundum alium. Hęc autem ratio, tametsi sufficiens sit, vt Deus directè excludat existentiam alterius mundi, & ideo ex consequenti, ac indirectè excludat decretum eius mundi; tamen insufficiens est, vt directè reijciat existentiã eius decreti bonitate infinita præditi. Resp. Transmissa maiore, prædicta ratio sufficiens est, tum vt Deus directè determinet exclusionem alterius mundi propter conuenientiam eius exclusionis; tum etiam, vt directè reijciat decretum alterius mundi, quia impedimento est tali exclusioni. Sic bonitas euitandi peccatum ratio sufficiens est, tum vt directè determinemus eam euitationem, tum vt directè reijciamus impedimenta illius. Sic etiam in re nostra bonitas excludendi alium mundum ratio sufficiens est ad eius mundi nolitionem; quæ non solùm directè impedit existentiam alterius mundi; sed etiam decretum de tali existentia.

9 Dubitatur tertiò. Vtrùm hæc libertas decernendi mundũ v. g. nolendique reflexè tale decretum sit purè libertas contradictionis, vel etiam mixta cum libertate contrarietatis? Respondeo, sic mixtam esse. Ratio petenda est partim ex dictis num. 1. partim ex definitis tract. de actibus humanis. Nam libertas contrarietatis est libertas ad velle, & nolle eiusdem rei. At libertas diuina ad decernendum mũdum, & ad nolendum decernere miscet libertatem ad velle, & nolle eiusdem rei: ergo miscet libertatem contrarietatis. Minor probatur. Vt enim constat ex loco cit. etiam quando nos immediatè liberè decernimus obiectum, determinamus, volumus, & eligimus ipsum decretum; ipsaque libertas immediata ad hoc decretum est indiuisim libertas ad determinationẽ, volitionem, & electionem ipsius. Id igitur à fortiori continget in Deo perfectissimè ex electione suâ determinante sua decreta: ergo libertas, vt Deus decernat mundum, est libertas, vt velit decernere: hæc igitur libertas coniuncta cum libertate, vt nolit decernere, libertas erit ad velle, & nolle eiusdem rei.

(.*.)

CAP. II.

An in Deo sit libertas contradictionis per puram omissionem liberam?

10 PArti affirmanti fauent apud P. Torres 2. 2. disp. 1. dub. 5. num. 8. quidam RR. Albertin. 4 princ. Philos. quæst. 4. Theol. dub. 2. Nounihil Fasol. q. 14. art. 13 dub. 16. num. 282. Albeld. disp. 52. sect. 2. Curiel. lib. 1. controu. 7. art. 3. Doctor Gaspar Hurtado de Volunt. disp. 2. diff. 3. P. Martinon disp. 14. de Deo, sect. 1. num. 3. & non pauci RR. Parti neganti communitèr adhærent Theologi. Doctor eximius in Metap. disp. 30. sect. 9. n. 59. & lib. 3. de Auxil. cap. 13. n. 8. P. Vazquez 1. p. disp. 79. P. Arrub. disput. 56. P. Ruiz disp. 8 de Volunt. sect. 3. P. Mærat. disp. 31. de Deo, sect. 2. P. Herice disp. 19. cap. 5. P. Alarcon disp. 4. cap. 1. & 3. P. Granado de Volunt. tract. 3. disp. 6. P. Salas 1. 2. tract. 3. disp. 1. sect. 7. P. Arriaga disp. 29. num. 23. P. Hemelm. tit. 6. disp. 2. cap. 6. P. Vander Ve Ken tract. 2. disp. 4. cap. 3. P. Ribas disput. 5. cap. 4. P. Aldrete de Incarn. disp. 3. sect. 1. a num. 5. Aueria hic sect. 9. § *Dico tertiò.* Aluarez lib. 2. de auxilijs, disp. 13. Nauarrete 1. p. quæst. 19. controu. 3. § 3. Carmelitæ Salmant. disp. 7. dub. 3. Ioannes à S. Thom. hic, disp. 4. Albiz disp. 6. sect. 6. Fœlix de Volũtate, cap. 4. diff. 2. Cui sententiæ, quia cõmuniori, libẽtèr adhæreo. Nam, vbi pro neutra parte sunt rationes conuincentes, communiora securitate, necnon autoritate superant.

11 Sed antequam ad probationem veniamus, rogabis: quid in hâc re dicendum sit iuxta sententiam constituentium actus liberos per extrinseca complementa? Consequens esse ad eam sententiam negare puram omissionem liberam sentiunt ferè omnes eius placiti Autores. Vt enim aliud non est in eâ sententiâ Deum positiuè velle efficacitèr mundum, quàm volitio necessaria Dei, importatâ de connotato existentia, vel productione mundi; sic Deũ positiuè nolle efficacitèr mundum, non est aliud, quàm eadẽ volitio necessaria Dei, importatâ de connotato non-existentia, vel non-productione mũdi: ergo implicat, mũdum non existere citra positiuam nolitionem Dei per solam omissionem puram. ¶ At P. Arriaga disp. 28. subs. 6. num. 40. & 41. censet, iuxta hanc sententiam, Deum circa non entia puram duntaxat omissionem habere. Mouetur hac ratione, quã euidentem putat. Etenim nihil est, quo possit compleri libera nolitio positiua alterius mundi: si quid enim, illud planè esset carentia

tentia alterius mundi; eam verò carentiã compleri nõ posse probatur. Nam eius mundi productio constitueret Deum positiuè volentem: ergo carentia productionis non constitueret Deum positiuè nolentem; sed merè nõ volentem omissiuè. Nam, spectatis duobus inuicem oppositis, carentia vnius positiui remouet quidem effectum formalem eius positiui; non tamen ponit alium effectum formalem positiuum oppositum. Propterea carentia frigoris remouet frigidũ; non tamen sine noua forma ponit calidum.

12 At huius argumenti solutio non est difficilis. Fatebuntur Autores eius sententiæ, Deum in ratione nolentis alium mundum compleri per illam carentiam. Ad probationem in contrarium respondebunt. Tametsi formæ carentia, per se seorsim accepta, præcisè remoueat formã, huiusque formalẽ effectũ; tamẽ aggregatũ ex positiuo principalius importato, & ex negatiuo minùs principalitèr, bene potest præstare effectũ formalẽ quasi contrariè oppositum effectui formali formæ negatæ. Propterea positiua volitio necessaria Dei, quæ forma est de se sufficiens volendi, nolendique cuncta volibilia, & noliblia, potest, importata de connotato productione mundi, constituere Deum volentem; nolentem autem positiuè, importata de connotato carentia productionis. Extant quippè formales effectus aliquo negatiuo partim cõstituti; qui tamen propterea cẽsentur potiori iure positiui, quòd principalius rem positiuam importent. Sic effectus formalis filij adoptiui potiori iure censetur positiuus, quia principalius importat existentiam sanctitatis, licèt partim; minus tamen principaliter importet carentiam vnionis hypostaticæ. Sic, iuxta doctrinam, quam ipse arguens tuetur in Logica, falsam esse hanc propositionem * Petrus est albus * censetur effectus formalis positiuus, quanuis id ex parte; minus tamen principalitèr constituatur per carentiam albedinis in Petro. Sicut ergo hîc ea propositio constituitur vera, importata de connotato albedine in Petro, & non solum non constituitur vera; sed etiam cõstituitur falsa, importata de connotato carentia albedinis in Petro; sic, non obstante argumento proposito, volitio necessaria Dei, importata de connotato productione mundi, constituit Deum efficacitèr volentem mũdũ; nolentem autem, importata carentia productionis.

13 Quicquid igitur de hoc argumento sit. Dicẽdum primo censeo, iuxta eam sententiam, Deum habere circa non-entia nolitionẽ positiuam. Ratio est, quam ex Autoribus eius placiti

referebamus n. 11. cuius confirmationem facilè sumes ex nuper dictis n. 12. Dicendū tamen est secundo, iuxta eam sententiā, habere Deū omissionem existētię non-entium immediatè liberam. Ratio est. Quia liberum est Deo non producere alium mundum. At non mediate liberum præcisè: ergo immediatè. Minor probatur. Quia mediatè præcisè liberum est illud, ad quod nō antecedit præcisè indifferentia ad ipsum, & ad oppositum; sed determinatio ad ipsum incompatibilis cum oppositō. Ad non-productionē autem alterius mūdi non antecedit ex parte Dei, iuxta eam sententiam, aliqua determinatio diuina præcedens incompatibilis cum productione mundi; sed præcisè antecedunt prædicata necessaria Dei indifferentia ad productionem, & non-productionem eius mundi.

14 Iam absolutè loquendo suadetur sentētia communis, & nostra. *Primò* ex perfectissimo dominio Dei. Nam, si quid præponderantius non obstet, vt hîc non obstare patebit ex argumentorum solutione, præstantiori modo, quatenus est ex parte Dei, cadunt creaturæ sub dominio Dei, si necesse sit, quod ad non existendū expectent positiuū libitum Dei reijcientis ipsas ab existentia, sicut necesse est ad existendū positiuum expectare libitū Dei admittentis ipsas ad existendum, quàm si talem positiuū nutū non præstolentur: ergo primū illud potius, quàm hoc postremū dicendū est, ita postulante perfectione summa domini diuini. Roboratur. Nam, vt est concors Theologorū mens, perfectio diuini domini postulat, vt pro existentia creaturarū nō solum sit ex parte Dei omissio nolitionis reijcientis existentiā; sed positio volitionis eligentis existentiam: ergo à contrario perfectio diuina postulat, vt pro non-existentia creaturarū non solum sit ex parte Dei omissio volitionis eligentis existentiam; sed etiā positio nolitionis eandem reijcientis. ¶ *Secundo*, cōparata perfectione Dei, vt domini, cū perfectione ipsius, vt causæ vniuersalis Nam perfectio Dei, vt causæ postulat, vt, si quid fiat, non subterfugiat causalitatem diuinam proportionatam ad factū: ergo perfectio Dei, vt domini, postulat, vt, si quid sortiatur statū cōtingētem, non subterfugiat nutū Dei proportionatū ad statū. At, inspectis creaturis sub statu nihili, nutus proportionatus ad istum statum est nutus diuinus positiuè reijciens ipsas ab existentiā, & nō præcisè non-libitū, vt existant, quod potius est non exerceri dominium Dei, quàm exerceri: ergo talis nutus positiuus ponendus est respectu non-entium.

15 *Tertiò* ex perfectione Dei in ratione vniuersalissimi finis om-

omnū. Sūma vniuersalitas Dei, vt finis, postulat, vt Deus propter semetipsū vocet verè & propriè ad *esse* omne, quod *est*: ergo & postulat, vt Deus propter se ipsum reuocet verè, & propriè ab *esse* omne, quod *non est*. Nam sic erit maior vniuersalitas Dei in ratione finis. Cum igitur pura omissio nihil sit verè, & propriè, nequit esse verè, & propriè exercitium, quo Deus propter se ipsum remoueat ab *esse* nō-entia: ergo Deus vniuersalissimus finis nequit se habere purè negatiuè circa non-entia. Confirmatur. Nihil potest cadere sub statum idoneum terminandi principiationem primi principij vniuersalis; & tamen non terminare illam: ergo nihil potest cadere sub statum idoneum terminandi finalizationem vltimi finis vniuersalis; & tamen non terminare illam: quippè ad vniuersalitatem, & infinitatem simpliciter Dei in ratione finis non minus exigatur hoc secundum, quàm exigitur primum ad vniuersalitatem, & infinitatem simpliciter Dei in ratione principij. At non-entia, etiam sub statu nihilitatis, terminare possunt finalizationem vltimi finis vniuersalis, saltem per libitū Dei propter semetipsum reijcientis ipsa ab existentiâ: ergo necesse est, etiā sub eo statu, terminare libitū eiusmodi positiuū, Deūque circa illanō se habere purè negatiuè.

CAP. III.

Obiectionum solutio.

16 OBijcies primò. Potest Deus impedire nonnullas actiones externas, tùm per alias positiuas incompossibiles; tum etiam purè citra admixtionem alterius actionis externæ, vt si Deus omitteret omnem productionem: ergo, cum non minor sit libertas Dei ad affectus, quàm ad effectus, poterit similiter affectus omittere citra exercitium aliorum incōpossibilium. Cōfirmatur. Quia, si vera sunt dicta disp. 18. affectus liberi Dei, quatenus liberi, non sunt per identitatem cum Deo perfecti simpliciter infinitè: ergo poterit Deus omnes omittere, sicut omittere potest omnes actiones externas.

¶ Respond. Concesso antecedente, nego consequentiam. Discrimen est: quia licet libertas diuina in ordine ad suos affectus non sit minor, quàm ad actiones externas in genere complectendi omnem libertatis amplitudinem non dicentem imperfectionem; cum hoc tamen bene stat, esse libertatem diuinā ad impediendum actionem externam absque alia actione externâ incompatibili; & non esse ad impediendum affectum internum absque alio interno incom-

compossibili. Nam posse Deum impedire omnem creaturam, proindeque omnem actionem externam cohibere, commendat perfectissimum Dei dominium, & intra se sufficientiam, nullâ importatâ imperfectione. At creaturas non existere, & tamen Deum non se exercere per affectum reijcientem ipsas ab existendo pugnantem cum affectu eligente ipsarum existentiam, imperfectiones affert assignatas cap. 2. Vnde patet ad confirmationem.

17 Objicies secundò. Potest Deus amorem cohibere obiecti, quod non est infinitè bonũ. At neque est infinitè bonũ creaturas existere; neque est infinitè bonum creaturas non existere: ergo potest Deus nihil horum velle: hoc autem admisso, vel iam tribuitur Deo pura omissio libera; vel saltem rationes, quas ad illam negandam attulimus, redduntur inanes. Respond. Tametsi obiectum sit finitè bonũ, potest diuina voluntas, etsi non præcisè ex meritis obiecti; benè tamen ex ipsis perfectionibus diuinis necessitatẽ habere se exercendi aliquomodo circa ipsum. Sicut enim diximus disp. 13 necessitatem habere Deum complacendi circa creaturas possibiles non innixam præcisè in bonitate istarum; sed potissimum in bonitate Dei; ita nunc dicimus, inesse Deo necessitatem positiuè decernendi circa esse, vel *non esse* rerum non innixam præcisè in bonitate horum extremorum; sed potissimum in perfectionibus diuinis plenissimi dominij, vniuersalissimi finis, &c.

18 Objicies tertiò. Etsi Deus nunc non decernat alterũ mundum; cum hoc tamen stat non habere positiuam nolitionem ipsius. At eo ipso purè omitteret: ergo possibilis est Deo pura omissio. Maior inde constat, quòd etsi effectus, vt sit, egeat volitione Dei; tamen, vt non sit, non eget positiuâ nolitione: sicut, vt sit, requirit causam; at, vt non sit, sufficit non dari causam. Minor probatur. Nam, si tunc Deus non se haberet purè omissiuè, ideo esset, quia reflexè nollet decretum alterius mũdi: hoc autem est impossibile: quia, cum tale decretum sit infinitè bonũ, omnique malitiâ expers, terminare non potest odium Dei.

¶ Confirmatur. Deus non decernit hunc mundum propter omnes fines honestos, ob quos decerni queit (hoc saltem possibile est) igitur omittit directionem honestam huius mundi ad finem honestum A. v.g. At non omitteret eam directionem honestam per nolitionem positiuam ipsius: ergo purè. Minor subiũcta probatur. Quia, licet Deus non teneatur amare efficaciter actus honestos; tenetur tamen

non

nõn odisse; velut è contrario, licet non teneatur efficaciter odisse peccata, nam alioqui non possent existere; tenetur tamen non amare.

19 *Primò* argumenti maiore negatâ, dicatur ad probationem. Vt non existat effectus, nõ requiritur positiua nolitio Dei; sed sufficit omissio volitionis, si præscindamus ab infinitâ perfectione Dei; requiritur tamen positiua nolitio, attentis perfectionibus diuinis, vt patet ex dictis. *Secundò*. Admissa maiore, minorique negatâ, probationi dicatur. Deus nollet tunc illud decretum; ea tamen nolitio nõ esset propriè odium, & auersio fugans ab ipso propter ipsius fœditatem; sed pura reiectio affectiua ipsius ab existendo, quam dari posse circa decreta libera Dei, vt libera, constat ex dictis cap. 1. à num. 6. Ad confirmationem, cõcesso enthimemate, negatur minor subiuncta. Probationi dicatur. Nequit Deus eam directionem odisse proprie; benè tamen nolle per nolitionẽ remouentem existentiam; quãuis non displicẽtem erga ipsam turpitudinis ergo. Porrò Deus odisse nequit tali odio auersiuo actum creatum honestum; quẽ tamen potest nolle per nolitionem remouentem existentiam. At potest odisse peccatum; quod tamen nequit amare, siue amore illatiuo existentiæ; siue alio genere amoris: quia de naturâ peccati est nullatenus esse amabile consentaneè ad rationem.

20 Obijcies quartò id, quod ingeniosè obiecit P. Ripalda, & post ipsum alij. Deo namque negatâ pura omissione, sequitur infinita series liberorum exercitiorum supra se reflectentium, cuius absurditas, & ex se, & ex disp. 8. constat. Sequela probatur. Deus decernens mundum potuit imperare reflexè tale imperium, quippè quod ipsi propositum fuit, vt bonum amabile, sibique possibile. Vel igitur illud imperauit, vel non? Si primum, redit quæstio ad illud imperium: vtrùm illud imperauerit, nec ne? Si autem & illud etiam imperium imperauerit, sequitur primò infinita series imperiorum supra se reflectentiũ. Secundò, nullus actus Dei erit immediatè liber, cum omnis præsupponat imperium efficax sui. Iam si dicatur secundùm, nempè, Deum non imperasse tale decretum, quæritur: an tale imperium omissum fuerit per puram omissionem; an actu positiuo? Primum est intentum. Si secundum, de tali actu positiuo excludente imperium rogabitur sine fine, num imperatũ fuerit, necne; necesseque erit, vel in omissionem puram, vel in infinitudinem reflexionum incidere.

21 *Pri-*

21 *Primò*. Retorquêri solet hoc argumentum. Non enim euitatur infinitudo liberorũm exercitiorum, admissâ pura omissione. Nam omissio imperij prædeterminantis prædictũ decretum est amabilis, & imperabilis: vnde imperium ipsius vel excludetur per aliam puram omissionem, & sic sine fine; vel excludetur actu positiuo, & sic ad hunc actum positiuum redibit argumentum superius, eritque ineuitabilis infinita progressio vel omissionum; vel actuum positiuorum reflectẽtiũ. *Secundò*, ex admissa pura omissione sequitur aliũde infinitudo omissionum. Quia, cum Deus possit infinitis decretis alium mundũ statuere, cuncta hæc decreta omisit. At omissio vnius non est omissio alterius, cum possit componi vnum omitti, & alterum poni: ergo sequitur omissionum infinitudo. Non sic in sententia opposita: nam vno, & eodem decreto positiuo possunt decreta innumera quasi eodem impetu excludi. ¶ Sed hæc non videntur vrgere. Tum, quia carentię, vt à positiuis condistinctę, neque *sunt* quid vnum, neque plura, & consequentèr neque finitam, neque infinitam pluralitatem constituunt. Tum quia, si non repugnat infinitum cathegorematicum carentiarũ, quid ni dari in Deo infinitas omissiones liberas? Si verò repugnat tale infinitum, non vitatur inconueniens, quamuis Deus innumera decreta circa mundum alium hac vnica terminatione remoueat: *Nolo statuere mundum alium*. Nam ex hoc decreto innumeræ carentiæ prosilient, quapropter ipsarum infinitudo non vitabitur; sed earum immediata libertas impedietur.

22 Ad argumentum ex n. 20. nego sequelam. Ratio negandi est. Nam vel tale decretum mundi est immediatè liberum; vel mediatè? Si primum; erit, vt statim apparebit, inimperabile per imperium antecedens. Vnde omissio talis imperij non erit libera; sed necessaria. Si secundum. Cum omnis mediata libertas radicetur in aliquo exercitio immediatè libero, tãdem ad hoc exercitium veniemus: hoc autem exercitium positiuum immediatè liberum inimperabile erit, & consequenter non libera; sed necessaria omissio imperij. Ratio autẽ, cur sit inimperabilis volitio Dei immediatè libera, hæc mihi est. Nam Deus immediatè liberè decernens mundum, per hoc ipsum decretum se perfectissime determinat ad ipsum, idque in actu exercito perfectissimè vult, ac decernit; ac proinde quasi exhauriens vim decretiuã, ac determinatiuam ipsius, excludit prænuiam determinationem ad ipsum. Et sicut amor ne-

necessarius diuinæ bonitatis, quantumuis amabilis summè sit, propterea que summè ametur à Deo; non tamen amatur alio actu; sed semetipso exhaurientè totam capacitatē Dei ad ipsum amandum; sic similitèr in præsenti meditari licebit.

23 Vrget rursus P. Ripalda. Nequit posteri⁹ impedire prius: ergo decretum Dei immediatè liberum nequit se ipso excludere imperium efficax præuiè determinans ad ipsum. Hic tamen est æquiuocatio expositione antecedentis præcidenda. Posterius, prout *absolutè*, & in exercitio posterius altero, nequit excludere quominus hoc alterum præextiterit. Nam posterius, vt sic sumptum, tàm longè abest ab oppositione cum præexistentia prioris, vt potius cum ea præexistentia cōnectatur. Posterius tamen *cōditionatè*, maximè sub hypothesi impossibili, nimirum quòd esset posterius altero, dato impossibili casu, quòd hoc alterum daretur, rectè potest per se ipsum excludere, quòd hoc alterum detur. Sic essentia diuina se ipsâ excludit dari priorē causam ipsius. Sic primarius amor Dei se ipso excludit dari alium amorem priorem ipso.

¶ In calce nota. Iuxta hanc nostram sententiā, iunctis prædictis cap. 1. num. 9. non datur in Deo libertas contradictionis *pura* sine vlla mixtione libertatis contrarietatis. Secundò, sermo noster fuit de omissione Deo veniente ex sua diuina libertate; non de omissione Deo veniente ex mera libertate vitiosa creaturæ peccantis. Hæc enim omissio potest Deo aduenire citra determinationem Dei positiuam incompossibilē cum decreto diuino, quod deest ex praua libertate peccantis. De hoc videnda sunt, quæ diximus disput. 11. de Prædestinatione à num. 48.

DISPVT. XX.

Exponitur immutabilitas decretorum Dei.

HVIVS proprietatis explicatio præcedētibus disp. iure annectitur, vt ex dicendis patebit.

CAP. I.

Explicata prima parte veræ sententiæ, nonnulla circa posteriorem proponuntur.

1 OMnibus Theoll. ex fide certum est, decreta Dei iuxta verum aliquem sensum esse immutabilia. Numerorum 23. *Non est Deus quasi homo, vt mentiatur, neque vt Filius hominis,*

nis, vt mutetur. Prouer. 19. *Multæ cogitationes in corde viri, voluntas Domini permanebit.* Plura alia apud P. Ruiz de Vol. disput. 16. sect. 1. ex quo sect. 4. constat, testimonia Scripturæ, quæ Deo videntur adscribere pœnitentiam, sententiæque mutationem, capienda esse metaphoricè, moreque humano: Deus enim destruens, quod prius fecerat, se gerit, ac si facti pœniteret. Tamen, vt loquitur D. Gregor. lib. 20. Moral. cap. 23. *Quamuis rem mutet, consilium non mutat.* In hac controuersiâ quæstio prima est. Num Deus possit cõsilia mutare, reuocato decreto prius habito per oppositum postea subsequens? Pars negatiua certissima est, cum eam saltem partem testimonia citata significent. Porrò, iuxta sententiam, quæ per extrinseca connotata complet decreta libera Dei, facilis est adeò propositi dogmatis ratio, vt vel inde sit pluribus ea sententia de veritate suspecta. Iuxta ipsam enim decretum liberum condendi hunc mundũ, v. g. claudit essentialitèr productionem ipsius; nolitioque condendi claudit pariter carentiam productionis. At implicat, non esse condendum mundum ex suppositione, quòd condendus sit: ergo implicat, Deum condere nolle mundum ex suppositione, quòd condere decreuerit. Id, quod benè notauit P. Granado de Vol. tract. 3. disput. 5. sect. 4, n. 29.

2 Si præsens veritas non trãsiliat terminos immutabilitatis per reuocationem determinationis anterioris, firmæ mihi sunt probationes iam communes post P. Suarez disp. 30. Met. sect. 9, vbi à nu. 50. tractat hanc rem. Sic primò dispato. Nam, vt constat ex tract. de Scientia, disp. 16. Deus habet semper notitias, quas habet semel: ergo, quam semel exercuit, determinationem nunquam potest per oppositã reuocare. Si enim denuo nihil appareat, determinationem reuocare prius habitam esset planè quædam animi leuitas contra perfectionem se determinandi consideratissimè. Cum igitur Deo neque denuo possit quidquam apparere, neque vlla queat animi leuitas irrepere, planè fit, ipsi esse alienũ quidquid priorem determinationem, vt minus considerate conceptam, arguat. Nunquam ergo poterit retractare consiliũ, quod concepit semel. Maximè cum, natura duce, cunctis illucescat, esse non exiguam liberi agentis imperfectionem à cœptis desistere, nulla denuo circũstantiâ nota, quæ moueat ad desistendum, soliusque libertatis exercendæ gratia.

3 *Secundò.* Decretum prius habitum reuocare per oppositum non est aliud, quàm nunc ab-

absolutè, & simplicitèr velle vel formaliter, vel illatiuè contradictorium eius, quod prius fuerat absolutè, & simplicitèr præfinitum. At hoc repugnat Deo: ergo & ea mutatio reuocatoria. Maior videtur certa. Nam alij actus inter se comparati nō sunt incompossibiles, ideòque alter non est alterius retractatio. Minor probatur. Nam pro eo tūc, quo Deus absolutè, simpliciterque decernit, v.g. condere mūdum, reuocaturus postmodùm tale decretum (ponamus hoc) vel cognoscebat, quòd, eo decreto posito, futura postmodū erat ea reuocatio; vel non? Si hoc: non concepit Deus tale decretum summâ instructus consideratione cūctorum, quæ, tali decreto exercito, circa perseuerantiam ipsius euētura erant, idque planè esset contra summā in intelligendo perspicaciam, & in decernendo prudentiam. Si primum: ergo Deus pro tunc imprudentèr se gessit decernēs absolutè, & simplicitèr condere mundum. Quid enim imprudentius, quàm exercere decretum absolutum, perspiciendo effectu suo fruſtratum iri per reuocationem postea futuram.

4 Hinc: ex ea mutatione reuocatoria per immediatam cōsecutionē deduceretur mutatio physica Dei, per quam esset alius ab eo, qui est: Deus enim est essētialiter determinatus, vt in suis decretis neq; sit leuis, neq; incōsideratus, neque imprudens: immediatè autem infertur ex mutatione reuocatoria non excludere essentialiter; sed potius admittere prædictas imperfectiones, vt ex dictis constat.

5 Secunda, difficiliorque quæstio est. Num Deus possit eam habere in suis decretis mutationem, vt incipiat in tempore decernere, quod prius non decreuit; vel contrà, cessare in tēpore à decreto prius exercito? Ex eiusmodi sanè mutationis genere, *Primò*, non sequeretur incōsideratio. Non enim video, cur secum non constent, omnia Deum penitissimè perspicere; & tamen peccatori, v. g. nolle decernere pœnas, donec se peccatis commaculet, easdem postea decreturum. *Secundò*. Non sequitur imprudentia, quæ nulla est non anticipare ad flagitium decretum puniendi; sed illud potius, sicut ipsam pœnā, vsque ad delicti tempus differre. *Tertiò*. Non sequitur animi leuitas: hæc enim, tametsi detur, si iam ad hoc, iam ad contrarium, nullâ nouâ circūstātia perspectâ, te vertas; haudquaquā profectò datur, si ad occasiones varias boni, & mali, dilectionem, & odium reserues, iuxta illud Ecclesiastes cap. 3. *Tempus dilectionis, & tempus odij*. Quamobrem, vt optimè P. Vander VeKen tract. 2. disp. 4. cap. 1. num. 2. Deus retinens

nens amorem, & odium vsque ad tale, vel tale tempus potiori diceret iure, quàm Artaxerxes Esther 16. vers. 9. *Id non ex animi sui venire leuitate; sed pro qualitate, & necessitate temporum.*

6 Confirmatur primò. Quia, iuxta opinionem mihi veram, quanuis Deus possit primò decernere finem, vt consequendū determinatè per mediū A. potest tamen citra omne leuitatis vitiū in primo signo, quasi causalitatis, decernere finē, vt consequendum per medium A. vel per medium B, veluti differendo propter rationes honestas ad sequens signum determinationem medij A. ergo similiter propter rationes honestas differre poterit amorem, vel odiū vsque ad tale tempus. Secundò, Deus potens, antequam videat positionem alicuius conditionis, decernere quendā euentum sub ea conditione, potest ex honestâ ratione præuisionem cōditionis expectare, vt eum euētum decernat. Potest, v. g. non decernere ante cōmissum peccatum pœnam ipsius sub conditione, quòd committatur; sed expectare præuisionem commissionis ad decernendam pœnam, ne Deus summè misericors de pœna agat ante flagitiū: ergo similitèr absque animi leuitate poterit, si non obstet aliud, differre decretum pœnarum vsque ad tempus delictorū, ne Deus prius tempore de pœnis agat, quàm delicta patrentur. Consecutio videtur bona à pari. Antecedens est commune satis.

7 Poterit ne propterea cadere in Deum huiusmodi qualecunque mutationis genus, quo possit ipsius decretum in tempore incipere; vel in tempore cessare? Parti affirmatiuę nō parum consonant quidam Nominales, qui diuinas aliquas notitias temporaliter incipere, ac cessare non obscurè tuentur. Videte P. Gilium lib. 2. tract. 8. capit. 9. P. Rainaud. in Theologia naturali, dist. 8. quæst. 2. n. 78. P. Martinon disp. 14. de Deo, sect. 5. apud quos, præter Ioannem Antonium Delphinū, Gabriel, Maior, & Rubion. Neque parū fauet P. Herice disp. 20. cap. 1. n. 8. & seqq. quatenus vult, Dei volitionem solùm esse æternam intrinsecè secundùm se spectatam, qua ratione necessaria est; incipere tamen secundùm eas denominationes, quibus constituitur in esse liberæ, terminatæque efficacitèr ad creaturas, quo pacto num. 10. explicat Delphinum. Fauet ex parte P. Gaspar Hurt. de Volunt. disp. 1. dist. 3. ait enim, decreta efficacia Dei postquam, effectu iam executioni mandato, munere suo functa sunt, non perseuerare vlterius; sed eo in tempore cessare.

8 Et

8 Et sanè, si decreta libera Dei in ratione liberorum compleantur intrinsecè per aliquid creatum; tametsi de connotato, minusque principalitèr, dicendum consequentèr videtur, incipere in tempore sumpta in concreto, id est, quatenus Deum denominant decernentem liberè. Cuius rationem, quam benè tetigit P. Herice supra, propositam, & firmatam habes disp. 16. cap. 4. Consequentèr etiam dicendū erit, sic in cōcreto sumpta cessare temporaliter. Si enim temporalitèr incipiunt, quia sic incipiunt creaturæ, quas includunt in sua constitutione: ergo tēporaliter desinunt, quia creaturæ, quas in sua constitutione claudunt, ita desinunt. Ea tamē sententia ideo potissimum est falsa, quia hæc habet consectaria. Adde: posset ei sententiæ eodem consecutionis filo annecti, non habere Deum Compluti id, quod est videre vbicationes à Compluto distantes. Nam Deū sic videre est aggregatum Dei, & earum vbicationū, quod nō dari Compluti notissimum est.

CAP. II.

Eligitur, & probatur commune placitum Theologorum.

9 VEra sententia reliquorum Theologorum est, decreta libera Dei neque posse temporalitèr incipere, nec desinere. Fateor, difficile esse rationes conuincentes pro veritate hac inuenire, sicut facilè esset inuentas eneruare, in quo labore distineri nunquam placebit absque lucro magni alterius fructus. Vtigitur rationem proponam (donec meliores alias ab alijs discam) quæ in puncto tantæ autoritatis videtur mihi sufficiens. Præmitto primò. Actus liberi Dei sunt essentialitèr determinati ad omnem perfectionis quātitatem, quæ neque pugnat cum modo tendendi, quem habent circa obiecta sua, neque cum ipsorum contingentia. Hęc propositio probatur ex dictis in disp. præcedētibus. Actus liberi Dei suâ quidem contingentiâ, modoque libero tendendi in obiectum impediuntur quominus habeant identitatem absolutam, & simplicitèr dictam cum Deo; sortiuntur tamē omnem propinquitatem entitatiuam cum Deo, quam patitur ipsorum contingentia, modusque liber tendēdi in obiecta sua. Quapropter per intimam transcendentiam imbibunt diuinam substantiam citra identitatem absolutam, & simplicitèr dictā cum ipsa. Tunc sic. Quantitas perfectionis entitatiuæ taxatur ex propinquitate entitatiuâ cum summâ perfectione Dei. At in actib⁹ liberis Dei eiusmodi propinquitas essentialitèr est maior

omnium, quæ possūt excogitari citra identitatem simpliciter dictam, quam impedit ipsorum contingentia, modusque liber tendendi in obiecta: ergo essentialiter determinati sunt ad omnem perfectionis quantitatem, quæ non pugnat cum prædicatis assignatis.

10 Præmitto secundò. Non pugnat cum contingentia decreti liberi necessitas, vt si semel existat, semper existat; quanuis cum eâ cōtingentiâ pugnet necessitas absoluta, vt existat. Ratio est: quia sufficit ad contingentiam posse absolutè existere, & non existere; benè que stat posse absolutè existere, & non existere, quanuis non sit potestas, vt coniungantur semel existere, & non semper. Præmitto tertiò. Ex modis tendendi liberis, qui Deo sunt possibiles, nullus excogitari potest incompossibilis cum duratione sine principio, & fine. Constabit hoc ex solutione argumentorum in cōtrarium. ¶ Iam sic probatur assertio nostra. Actus liberi Dei sunt essentialiter determinati ad omnem perfectionem, quæ neque pugnat cum ipsorum contingentiâ, neque cum modo tendendi circa obiecta sua, vt constat ex præmisso primo. At, vt constat ex secundo, determinatio essentialis ad durandum sine principio, & fine, quæ magna perfectio est, neque pugnat cum ipsorum contingentiâ, neque cum modo tendendi, &c. eam ergo perfectionem habent, & consequenter nequit Deus illud qualecumque mutationis genus subire, quo decreta ipsius vel temporaliter incipiant, vel temporaliter desinât. Omitto, quia parum firmas, rationes alias pulchriores, quibus alij insistent.

11 Huic rationi consonât D. Augustinus lib. 12. confes. capit. 15. illis verbis: *Num dicetis falsa esse, quæ mihi veritas voce forti in aurem interiorem dicit de vera æternitate Creatoris, quod nequaquam eius substantia per tempora varietur: nec eius voluntas extra eius substantiam sit? Vnde non cum modò velle hoc, modò velle illud; sed semel, & simul, & semper velle omnia, quæ vult: non iterum, & iterum: neque nunc ista, nunc illa: nec velle postea, quod nolebat; aut nolle, quod prius volebat. Quia talis voluntas mutabilis est: & omne mutabile æternum non est. Deus autem noster æternus est.* Vbi expendo. Ex eo, quòd diuinæ volitiones tantam habent propinquitatem entitatiuâ cum Deo, vt non sint extra substantiam Dei, colligit Augustinus, Deum semel, & simul, & semper velle omnia, quæ vult: & consequenter tale velle indiuisè durare semper sine principio, & fine citra mutationem, aut variationem

nem temporalem incipiendi, vel desinendi. Hæc autem est ratio à nobis proposita; proindeque magni habenda, quòd à tanto Doctore deprompta sit. Non pauca, quæ eidem rationi consonant, videri possunt apud D. Thom. de Veritate, quæst. 23. art. 4.

12 Hinc. *Primò* constat. Tametsi Deus in æternitate suâ libertatis indifferentiam habeat, vt velit, ac nolit creaturas; nunquam tamen libertatem habet, vt eas nō velit, postquam semel voluit. Quia prior indifferentia neque Dei, neque diuinarum volitionum perfectioni derogat; sed potius requiritur ad perfectionem diuini dominij: posterior autem libertas esset contra perfectionem, quam habere debet velle liberum Dei propter suam propinquitatem entitatiuam cum Deo, scilicet contra essentialem determinationem ipsarū, vt ex suppositione, quòd sint semel, sint simul & semper. Diluemus infra obiectionem, quæ contra hoc putatur difficilis. Vide D. Thom. supra ad 3. ¶ *Secundò* fit. Quanuis constet ex disp. 17. num. 21. non inferri physicam mutationem in Deo, ex eo quòd in sua æternitate vice volendi creaturas nollet easdem; colligeretur tamen physica mutatio Dei, si vel temporalitèr inciperet creaturas decernere; vel temporalitèr ab eo decreto cessaret. Nam ex eo sequeretur, Deo deficere prædicatum intrinsecum, ipsique Deo nec essentiam, nec pè necessitatem, vt ipsius actus liberi, si semel existant, simul existant, & semper. Adnotare tamen sit, vt optimè P. Suarez in simili supra num. 58. ex inceptione, ac desitione diuinorum decretorum inferri immediatè deesse Deo prædicatum intrinsecum assignatum; ex hoc autem defectu simul cum hoc principio * Omne illud, cui deest prædicatum intrinsecum, mutatur physicè * deducitur tandem physica mutatio Dei: quamobrem ea mutatio physica colligitur mediatè ex inceptione decretorum Dei. Friuolum autem apparet, quod nonnulli Thomistæ dicunt ex libidine impugnandi nostros Autores, nempè, ex prædictâ inceptione decretorum immediatè inferri physicam mutationem Dei ex suppositione, quòd physicè mutari sit amittere prædicatum intrinsecum: hac enim ratione facile erit omnes consequentias mediatas dicere immediatas: nā antecedens, quod mediatè infert aliquod consequens, iam nō eget principijs intermedijs ex suppositione ipsorum, id est, hac suppositione facta, nō est opus ad alia principia recurrere ad illationem faciendam.

13 Contra statutam veritatem

tem obijcies cũ RR. pro P. Gaſpare Hurtado. Decretum efficax Dei nequit verſari circa præteritum, & impoſsibile: ergo decretum creandi Adamum in tali tẽpore, A. (quod iam præterijt) non durat hodie in Deo. Nam, ſi hodie Deus decerneret creare Adamum in tali tempore anteriori, huiuſmodi decretum Dei verſaretur circa præteritũ, quippè tale tempus iam præterijt, etiamque verſaretur circa impoſsibile, quia hodie impoſsibile eſt creare Adamũ ante hodiernum diem. Confirmatur. Nam dato, quod ad perfectionem Dei ſpectet Deum ab æterno concipere ſua decreta; tamẽ otioſum eſt, proindeque Deo repugnans, quòd ea decreta, poſtquã ſuum munus obierunt, per totam æternitatem ſequentem perſeuerent: ergo lapſu temporis ceſſant. ¶ Ad argumentum. Admiſſo antecedente, negatur cõſequentia. Ad probationẽ reſpondeo ex dictis tract. de Scientia, diſp. 15. Quanuis tẽpus creationis Adæ præteritum ſit huic noſtro tempori; non tamẽ Deo, durationique diuinæ: hæc enim eſt æternitas intrinſeca Dei, cui nullum tempus tanquam præteritum comparatur; ſed omnia, vt præſentia: de quo plura ibi. Quamobrem Deus huic noſtro tempori per ſuam æternitatem præſens poteſt decernere creationem Adæ, vt exercẽdam pro tẽpore anteriori, eo quòd Deus huic etiam tempori anteriori per ſuam æternitatem ſimul eſt præſens ſimultaneitate ſe tenẽte ex parte Dei.

14. Ad confirmationem. In primis probat vltra intentũ arguentis. Si enim ea decreta ſunt otioſa à parte poſt executionem rei, quæ decernitur, quia iam tunc nihil operantur; certè, cum nihil operentur à parte ante executionem, tunc etiam erunt otioſa, & conſequẽter iuxta eum arguendi modũ Deus non exercebit ab æterno talia decreta; ſed incipient pro inſtanti executionis, & confeſtim abibunt. Deinde reſpondeo. Ex parte durationis, per quam durãt decreta Dei, prorſus idem eſt durare ante executionem, pro tempore executionis, & poſt executionẽ: quippè durant per indiuiſibilẽ æternitatem complectentem ſimul ex parte ipſius æternitatis omnia tempora. Quocirca, cum otioſum non ſit ea decreta durare pro tempore executionis, neque otioſa eſt eorum decretorũ duratio ante, & poſtea. Iam verò, ſumptis durationibus temporalibus ſucceſsiuis, Deoque exterioribus, antecedentibus ad executionem, ſimultaneis, & ſequentibus, nulla eſt otioſitas in Deo diſponente talem ſucceſsionem tanquam valde vtilem ad fines ſibi præfixos.

CAP.

CAP. III.

Duo proponuntur, & soluuntur argumenta.

15 EA quidem communiter putantur non parũ difficilia. Opponitur ergo tecũdo. Deum odisse peccatorem non est quid sempiternum: ergo de ratione diuinorum affectuũ, vt Deo tribuentium suos quasi effectus formales, non est semper existere. Probatur antecedens. Deus nunc non prosequitur odio inimicitiæ D. Petrum propter peccatum præteritum negandi Christum. At in tempore negationis tali odio prosequebatur ipsum: ergo Deum odisse inimicitiæ odio Petrum peccatorem non est quid sempiternum. Maior, quæ sola videtur difficilis, probatur. Nam retinere odium inimicitiæ est verissime esse, quantum ad voluntatis affectum, inimicum alterius. At Deus non est nunc verissimè, quantum ad voluntatis affectum, inimicus D. Petri; sed potius est, etiam quantũ ad voluntatis affectum, verissimè, ac sinceriſsimè illius amicus: ergo nunc non prosequitur ipsum odio inimicitiæ, &c. Si autem dicas, Deum non habere nunc D. Petrum odio inimicitiæ respectiuè ad hoc nunc; sed respectiuè ad instans præteritum: quia respectiuè ad hoc nunc Petrus est iustus, & iustorum muneribus cumulatus à Deo; respectiuè tamen ad instans præteritum est peccator. Cõtra est. Nam ex hac solutione (nisi verbis ludere placeat) nõ fit, non esse præsentem nunc inimicitiã diuinam contra B. Petrum; sed quanuis exercea tur nunc; exerceri tamẽ propter motiuum iam præteritum.

16 Explicatur primò. Si homo nunc de præsenti prosequatur odio alterum hominẽ propter iam præteritam iniuriã, quâ fuit lacesitus, nunc planè est de præsenti inimicus illius propter motiuum non præsens; sed præteritum: idque sanè verum est, tametsi nunc edere nolit effectus significantes inimicitiam internam: ergo similitèr in Deo. *Secundò*. Nam in euentu proposito, si homo in instanti A. quo Petrus ipsum afficit iniurijs, odio prosequatur Petrum propter ipsas; & rursus in instanti B. perseueret in odio propter easdem iam præteritas, non minus est in instanti B. quàm in A. inimicus Petri, licet minus in vno, quàm in alio instanti inimicitiæ motiuum præsens sit: semper enim ex parte actus odio habet Petrum, quanuis non respectiuè ad omne tempus ex parte obiecti: ergo, si in Deo semper est odisse D. Petrum, quanuis non propter aliquid, quod semper detur; sed propter id, quod con-

tingit tempore negationis, semper Deus sempiternitate se tenente ex parte inimicitiæ prosequitur inimicitiæ odio D. Petrum, proindeque semper est verissimè inimicus illius, quamuis non respectiuè ad motiuum obiectiuum, quod semper sit præsens. Quomodo autem id constet cum illis verbis Dei de peccatore sic loquentis Ezechiel. 18.22. *Omnium iniquitatū eius, quas operatus est, non recordabor*, vide apud P. Arriag. disp. 29. sect. 1. vbi hanc obiectionem benè vrget. Solutio tamē, quam adhibet, mihi summopere displicet. Nam in ea re ipsa dicitur, sublata terminorum larua, Deum esse nunc verissimè inimicum, quoad affectum, omnium beatorum, qui aliquādo peccarunt mortaliter, quod absurdissimum est, ne quid amplius dicā. Et quidem, si ea solutio sustineri posset, fieret ex illa, Deū displicere in humanitate Christi D. & in B. Virgine propter peccata ipsius possibilia. De quo videnda est disp. 12. cap. 6. n. 47 & 48. ibiq; adhibita solutio illustrabitur amplius ex dicēdis hīc.

17 Solùm ergo dicendum superesse videtur, concretum hoc * Deum odio inimicitiæ prosequi peccatorem * duo includere: alterum principaliter, in recto, & ex parte formæ: idque est ipse actus intrinsecus Dei, qui est forma sufficiens, vt, positis alijs requisitis, Deus amet bona, & oderit mala; alterum minus principaliter, & ex parte connotati, idque est creaturam infici peccato: & quia hoc posterius deficit in instanti, quo peccatum remittitur, ideo tunc deest illud cōcretum, nempè, Deū inimicitiæ odio prosequi peccatorem. Hac solutione vtos expressè video P. Antonīū de Quiros tract. de Volunt. & ante ipsum P. Franciscum Amicum disput. 14. n. 64, & 65. Imò hinc suadere contendunt suam de actibus liberis doctrinam, nempè acceptos in cōcreto cōpleri per cōnotata Deo extrinseca. Hoc tamen, quod aliquatenus ipsis prodest, non minus ipsis aliunde nocet. Prodest quidem, quatenus iam in aliquo casu Deus in ratione prosequentis odio cōpletur partim per aliquid extrinsecum ipsi Deo. Nocet autem. Nam in isto casu Deus in ratione prosequentis odio nō alia ratione incipit, & desinit, nisi quia sic incipit, ac desinit connotatū extrinsecū, per quod cōpletur in ea ratione. At in ratione decernentis, & videntis hanc actionē nunc incipientē, & postea desinentē constituitur de cōnotato ex ipsa: ergo incipiet Deus in ratione decernentis, & vidētis ipsum; quod tamen dici nequit. Nec facile erit parare discrimē, quod satisfaciat, vt cōcreta omnino paria quoad constitutionē

ex

ex connotato incipiẽtẽ, ac desinente, sint in eo disparia, quòd alterum sit æternum inceptionẽ, ac desitionẽ nesciens; alterũ autem incipiens, ac desinens.

18 Quidquid sit de cõsequẽtiâ, vel incõsequentiâ horũ Autorum, dicendũ fortasis est, incipere, ac desinere in tempore determinationẽ Dei diligentis *amicabiliter* iustũ; odioque prosequẽtis *inimicabiliter* peccatorem; decreta tamen libera Dei, neque in abstracto, neque in cõcreto, neque ex toto, neque ex parte temporaliter incipere, vel desinere; sed omnimodis esse æterna. Antequã solutionẽ explicem, ea videtur colligi ex Doctore Eximio supra n. 59. in medio illis verbis: *Aliomodo accideret, ponesti veritas circa rem decretã pro diuersis tẽporibus, vt v. g. si Deus hodie diligat Petrũ, cras non diligat, &c. Et hæc varietas non infert mutationẽ in Deo, quia sine mutatione, vel inconstantia animi potest vno tẽpore diligi, & nõ alio. Maxime quando id fit sine vlla nouitate ex parte amantis, qui simul vtrumque decreuit, scilicet & pro tali tẽpore amare, & pro tali non amare, & vtrunque ex sufficiente causa, & ratione.* Vbi expende primò: fatetur Eximius Doctor *Deũ hodie diligere Petrũ, & cras nõ diligere.* Quod nõ esset verũ, si cras diligeret ex motiuo existente hodie. Iam diligere hodie, & non diligere cras nõ stat, quin denominatio diligentis cesset cras. Secundò ait, Deum simul decernere pro tali tempore amare, & pro tali nõ amare: cum igitur contingat, quod decernitur à Deo, patet, Deũ in vno tẽpore habere denominationem amantis Petrum; & non in alio. Tertiò ait, non ob id esse in Deo siue mutationem inconstantiæ propter dicta n. 5. siue aliã mutationem, quoniam hæc varietas denominationum præcisè dicit mutationem ex parte creaturarum, vt postea dicemus. Tãdem ait, cum hoc stare Deum simul, & ab æterno disponere (intellige, permissiuè; vel positiuè) omnia, quæ postea eueniunt successiuè. Quocirca solutio, quam iam explico, sumpta est omni ex parte ex Doctore Eximio.

19 Iam ergo dicendum in primis videtur, incipere in tempore denominationem Dei *diligentis amicabiliter* iustũ. Ratio mihi est. Quia nequit Deus hanc denominationem suscipere, donec illam suscipiat summè rationabiliter. At nequit illam sic suscipere, donec veniat tempus, in quo Petrus incipit esse iustus: ergo talis denominatio temporaliter incipit. Minor probatur. Quia, licet antecedẽter ad tempus iustitiæ iam exercitæ sit rationi consentaneum cõplacere circa essentiam huius complexi: *Petrus cum iustitia*, vt dicebamus disp. 12. irrationabile ta-

men est alicuius dotis, bonitatisque nomine Petrũ amare donec eâ dote, bonitateq; sit dignus amore: quemadmodũ contrà clarius conspicitur, Irrationabile esse ratione alicuius fœditatis, ac malitiæ Petrum odisse, donec eâ turpitudine sit dignus odio. Atqui Deum diligere amicabiliter Petrũ iustum est amare Petrum nomine iustitiæ reddẽtis ipsum amore dignum: ergo nequit Deus eam denominationem rationabiliter suscipere, donec Petrus ea iustitia reddatur amore dignus, quod non cõtingit, donec veniat tẽpus, in quo Petrus incipit esse iustus. Hinc propter eandem rationem proportionalem constat *primò*, veniente tẽpore, in quo cesset Petri iustitia, cessare prędictam denominationem. *Secundò*, tempore, quo Petrus incipit esse peccator, incipere denominationem Dei prosequentis ipsum odio propter peccatum. *Tertiò*, cessare remissio, ea cessante peccato. *Quartò*, ah denominationes fortè includunt, saltẽ de cõnotato tãquã partẽ minus principalẽ, Petrũ vt ornatũ iustitia, vel infectũ peccato, quia fortè his præcisè, & nullo alio, cessantibus, tales denominationes cessant: quod clarè probat, ea esse constitutiuũ aliquale talium denominationũ. *Tandem* cõsequẽtèr ad hoc. Sicut nullã infert mutationẽ in Deo; sed solũ in creaturis, quòd incipiat in tempore venire Deo denominatio *Domini*, *Creatoris*, &c; sic similitèr in denominatione *Amici*: quia solũ eæ denominationes incipiũt ratione inceptionis earum rerũ creatarum, quas de connotato important; non verò ratione inceptionis prædicati alicuius se tenentis intrinsecè ex parte Dei.

20 Secunda pars solutionis est, cum his cõstare, quòd decreta libera Dei, adhuc in cõcreto, & quoad denominationẽ accepta, nunquã incipiant, vel desinãt. Tametsi namque denominationes diligentis amicabilitèr, & odio prosequentis inimicabilitèr necesse sit incipiant, & desinant tẽporalitèr, ne sint alioquin rationi dissentaneæ; tamẽ quodliber velle liberũ Dei habere debet, vt supra dicebamus, tãtam quãtã perfectionẽ capere potest, salua ipsius cõtingẽtiâ, modoq; tendendi; nullũque velle Dei liberũ assignari poterit, quod vel sua cõtingentia, vel modo tendendi sit incapax durandi sine principio & fine. Quamobrem in præsenti potest Deus ab æterno sine principio, & fine velle libere, quòd Petrus tali tempore incipiat esse iustus; quòd eodem tempore diuinus amor denominare incipiat Deum diligentem amicabiliter Petrũ propter eam iustitiã. Item permittere libere, quòd tali tempore sit peccatũ, quo Petrus amittat iustitiam: ac tan-

tandem permittere, quòd diuinus affectus denominare incipiat Deum tali tempore prosequētem odio inimicabilitèr Petrum. Dixi *permittere*, quia hæc denominatio stat in eo, quòd affectui Dei adiungatur extrinsecùs Petrum esse peccatorem, idque non cadit sub diuinam prosecutionem; sed purè sub permissionem. Ex quibus constat, cur licet denominationes de quibus num. 19. sint temporales; tamen æternæ sint denominationes liberè decernendi, quin sit necesse, quòd creatum quidpiam constitutiuè includant.

21 At insurges contra dicta. Potest Deus, antequam aduenial peccatum, decernere libere pœnam infligendam propter illud committendum postea. Rursus decernere; imò & exequi præmium propter meritum nondū exercitum; sed exercendum, vt patet in gratiâ data PP. antiquis propter merita Christi postea futura: ergo potest Deus diligere creaturam propter iustitiam, quam nondum habet; sed habebit, vel habuit; necnon illam odisse propter iniustitiam, quam non habet; sed habuit, vel habebit. Antecedens patet ex concessis, nimirū, omnia libera decreta Dei esse æterna. Consequentia probatur. Quia non minus apparet irrationabile pœnas, vel præmia decernere propter facinora nondum gesta, quàm amicabilitèr, vel inimicabilitèr; amore, vel odio prosequi propter iustitiam, vel iniustitiam nōdum positam. At primum est rationabile, Deoque possibile: ergo & secundum. ¶ Concesso antecedente, negatur consequentia. Ad probationem nego maiorem. Nam illorum primum non est aliud, quàm Deum ab æterno videntem, quòd talia facinora tali tempore erunt, moueri ex ea visione ad decernendum tale supplicium, vel præmium, ne impunita, vel impræmiata maneant, in quo nihil est rationi dissentaneum, vt constat ex terminis. Postremum autem est subiectum amare propter bonitatem, quâ nondum est bonus, & amore dignus: nihilque est rationabilitèr amabile tanquam subiectū propter aliquam formam, quandiu tali formâ non perficitur.

22 Si vrgeas: ergo neq; creatura poterit amari propter meritum, vel demeritum, quod nondum datur; sed dabitur, proindeque non poterit ipsi decerni pœna, vel præmium propter facinora nondum gesta; sed gerenda. Responsio erit negare secundam consequentiam, priori cōcessâ. Verum est, Deum nō posse velle creaturæ bonū, vel malum propter bonitatem, vel malitiam, quam illi communicat meritum, vel demeritum futurum: nullam enim communicant, sed communicabunt. Falsum

sum autem est, non posse Deum decernere creaturæ bonum, vel malum aliquod propter facinora gerenda: nam hoc præcise sumptum non est propriè, ac formaliter ipsas amare amicabiliter propter ipsarum bonitatem; sed alliciente visione facinorum gerendorum decernere remunerationē, & punitionem. ¶ Hinc illud Pauli ad Rom. 9. *Antequam quidquam boni, aut mali egissent, Iacob dilexi; Esau autem odio habui.* Rursus plures Patres commendantes amorem Dei erga nos, quatenus nos dilexit ante mundi constitutionem; hæc, inquam, intelligenda sunt, vt optimè RR. non de amore strictæ amicitiæ, nec de odio inimicitiæ; sed laxius de volitione determinante talia, vel talia dona; & de nolitione exclusiuâ ipsorum.

23 Dixi num. 19. circa finē, denominationes Dei diligentis iustum propter iustitiam, & odio prosequentis peccatorem propter iniustitiam *fortè* includere de connotato creaturam, vt ornata iustitia, & vt infectā peccato: quia mihi hoc valde dubium est propter attacta num. 8. Dicerem enim consequenter esse, id quod est Deum amare in cōcreto per strictam amicitiam hominem iustum; & odisse iniustum per strictam inimicitiam, non esse quid existens in omnibus locis. Nam aliquid intrinsece imbibitum in eis concretis non sic immensè existit: non enim sic immense existit, siue Petrum nunc esse iustum, siue nunc peccare. Datum autem apparet, in eo solum loco, vbi datur iustitia, vel peccatum Petri, dari Deum amare ipsum amicabiliter; vel inimicabiliter odisse. Meoque iudicio non satis hoc lenitur ex eo, quòd vbique sint ea concreta quātum ad id, quod important in recto, nempe, quoad amorem intrinsecum Dei: quia hoc pacto non dabitur hîc, nempè, Compluti Deum potius amare amicabiliter D. Petrum existentem in cœlo, quàm inimicabiliter odisse, quia rectum amoris, & odij datur hîc; obliquum autem non datur hîc; sed in cœlo. Quamobrem iuxta dicta disput. 17. attentè inspectis, quæ ibidem posuimus num. 21. videbitur dicēdum, non esse inconueniens, quòd incipiat in tempore denominatio Dei diligentis amicabiliter; & odio prosequentis inimicabiliter, easque denominationes adæquatè distingui à creaturâ, vt existente siue in gratia, siue in peccato; & neque simplicitèr identificari cū Deo, neque simpliciter distingui, iuxta ibi fusè dicta; ideoque nō esse æternas; benè tamen immēsas, quia ex modo suo rationabili tendendi circa creaturam excludunt esse *semper*; non tamen esse *vbique*. At sicut ibi eam opi-

nio-

nionēm, ita hç solutionem hanc aliorum iudicio remitto.

24 Opponitur tandem, immutabilitatem decretorum Dei non constare cum ipsorum libertate. Si enim decretum condendi mundum ita est immutabile, vt sit æternum, & nunquam incipiens; aut desinens: ergo nūquam exercetur liberè. Probo consequentiam. Nam in primis non exercetur hodie liberè; nam ante diem hodiernum extitit heri hoc decretum. At ex suppositione, quòd heri extiterit, non potest non existere hodie: nam, vt ponimus, necessè est decreta diuina semper existere ex suppositione, quòd semel existant: ergo iam hoc decretum ita exisiit hodie, vt non possit hodie nō existere, & consequentèr hodie non exercetur liberè; sed necessariò. Deinde potest idem argumentum fieri comparatione durationis hesternæ, & sic deinceps comparatione anteriorum: ergo nunquam exercetur liberè.

¶ Confirmatur. Quod Deo est necessarium ex aliquâ suppositione, quam ipse Deus euitare non potest, est Deo simpliciter, & absolutè necessarium; non autem simpliciter, & absolutè liberum: ergo, quod hodie est Deo necessarium ex aliqua suppositione, quam Deus hodie nequit euitare, non est hodie Deo simpliciter, & absolutè liberum; sed simpliciter, & absolutè necessarium. At in primis Deo est hodie necessarium existere prædictum decretum ex suppositione, quòd heri extiterit, vt vidimus. Secūdò, Deus nequit hodie euitare, quòd tale decretum præextiterit heri, tum quia ad præteritum non datur potentia. Tum quia, cum hodie sit impossibile præstare, quod redeat tempus præteritum, impossibile quoque est reddere coexistentem diei hesterno prædicti decreti omissionem; & in hoc stat euitare existentiam hesternam ipsius: ergo Deo non est absolutè libera hodie; sed absolutè necessaria hodie existentia hodierna prædicti decreti.

25 Nec refert, si dicatur, Deū in nullo instanti nostri temporis esse liberum ad tale decretum omittendum; benè tamē in momento indiuisibili suæ æternitatis intrinsecæ. Nam contra est. Prædicatum diuinum, quod durat per intrinsecam Dei æternitatem, quæ est mirabile instans omnia complectens tempora, præsens adest omnibus temporibus: ergo, ab opposito consequentis ad oppositum antecedentis, prædicatum diuinum, quod non adest præsens omni tempori, non durat per intrinsecam Dei æternitatem. At, vt argumentum præcedens satis apparenter probat, diuina libertas ad omittendum prædictum decretum non adest præsens tempori

pori hodierno: ergo non existit in intrinsecâ Dei æternitate per ipsam durans. Manet igitur argumentum factum in suâ vi, nisi aliud addatur. Confirmatur. Impossibile est, Deum hodie non necessariò; sed liberè producere creaturas; & tamen hodie non liberè; sed necessariò ipsas decernere. At, secundùm fidem catholicam, Deus hodie non necessariò; sed libere producit creaturas: ergo Deus hodie non necessariò; sed libere decernit ipsas. Perperam ergo libertas admittitur in æternitate; & negatur in hoc tempore. Quibus satis impugnantur, quæ ad argumentum propositum respondet P. Ruiz hîc, disp. 8. sect. 6. num. 8. & disp. 16. sect. 5. n. 8.

26 Ad argumentum ergo propositum num. 24. respõdeo, negatâ consequentia. Ad probationem dico, tale decretum exerceri liberè hodie, & semper. Ad probationem in contrariũ, concessâ maiore, distinguo claritatis gratiâ minorem, in qua potest esse æquiuocatio. Ex ea suppositione non potest non existere hodie, si sensus sit, ea suppositione data, dari aliquid omnino inconiungibile cum non-existentia hodierna talis decreti, nempè, ipsius existẽtiam hesternam, concedo minorem. Si sensus sit, ea suppositione data, dari absolutam impotentiam ex parte actus primi, vt non existat hodie, nego minorem. Deinde distinguo primum consequens. Ita existit hodie, vt *non possit* non existere hodie, impotentia, vel, vt melius dicã, impedimento consequente ad libertatem ex parte actus primi, concedo consequẽtiam; impotentia, vel impedimento antecedente se tenente ex parte actus primi, nego consequentiam. ¶ Explicatur. Decretum condendi mundũ exercetur hodie, ac semper liberrimè à Deo. Ratio est. Quia Deus ponet liberrimè hodie tale decretum, vbi nihil determinet Deum ad talem positionem antecedens ad ipsam; sed omnino idem cum ipsa. Sic autem res se habet: quia, si quid Deum determinat, vt exerceat hodie tale decretum, est exercuisse heri. In hoc autem decreto non sunt aliud, & aliud; sed idem prorsus hodie, heri, & semper exerceri: hæc enim nihil aliud sunt, quàm hoc decretum durare per indiuisam æternitatẽ, per quam adest omnibus temporibus siue realibus; siue imaginarijs. Nihil ergo determinat Deum ad positionem hodiernam huius decreti se tenens antecedenter ex parte actus primi ad eam positionem; sed hæc ipsa positio hodierna consequens ad talem actum primum.

27 Hinc ad confirmationẽ, concesso antecedente, & consequentia, necnon prima parte minoris

noris in sensu posito num. 26. nego secundam partem minoris: hodie nanque Deus potest potestate antecedente euitare, quòd decretum mundi extiterit heri. Ratio est: quia, iuxta nuper dicta, duratio hesterna decreti, & duratio hodierna sunt eadem indiuisibilis duratio. Hodie autem, & semper est in Deo indifferentia, & potestas antecedens, vt non sit hodie prædictum decretum, ac proinde vt neque habeat hesternam durationem idētificatam prorsus cum hodierna. Neque obstant probationes in contrarium. Nō prima. Nam, vt constat ex disput. 17. de Scientia, tripliciter intelligi potest non dari potentiam ad præteritum. *Primò*, non dari potentiam ad componendum, quòd res non præterierit cum eo, quòd præterierit: & hoc est verissimum, vt ex terminis liquet. *Secundò*, causam, vt formaliter existentem in hoc *nunc* temporali distante à duratione præterita, vt pote vt sic non potentem coexistere cum duratione præterita, neque vt sic posse in ea præterita duratione operari: quod etiam est verissimum; quia operari in tali tempore dicit essentialiter indistantiam temporalem ab ipso. *Tertiò*, non posse causam existentem nunc reddere nunc existens impedimentum pugnans cum omnimoda alterius existētia præterita, præsente, & futura, & sic impedire eam omnimodam existentiam: & hoc est falsum, vt ex ea disp. constat. Dicimus ergo, Deum nunc existentem habere potestatem antecedentem, vt existat nunc nolitio mundi; & cum eam existere nunc sit eam existere semper, fit eam existere nunc esse impedimentum pugnans cum omnimoda existentia decreti condendi mundum; ac proinde potestas ad eam nolitionem est potestas ad impediendam existentiam hesternam, hodiernam, crastinam, & sempiternam eius decreti.

28 Sed dices. Ergo iam Deus existens nunc præstare potest, quòd nolitio mundi existat heri, quod est operari, vel quasi operari in duratione præterita. Distinguo consequens. Reduplicatiue, vt existens in hoc nunc temporali, & extrinseco Deo, nego consequentiam: quia sub hac reduplicatione distat à duratione hesterna. Deus existēs nūc, specificatiuè loquendo, potest, &c. concedo consequentiam. Quia Deus existens nunc habet nunc suam intrinsecam æternitatem, quæ est duratio cunctis temporibus præsens; ac proinde tempori hesterno, & consequētèr habet nunc durationem sufficientem ad operandum, vel quasi operandum tempore hesterno. Recognoscatur disput. 15. de Scientia. ¶ Neque obstat

stat secunda probatio ex num. 24. Fateor, impossibile esse præstare hodie, quòd redeat tempus præteritum; quia chymæricum est, durationem præteritã essentialiter distantem ab hodierna existere hodie, quæ existentia significatur eis terminis: *hodie redire*: hoc tamen non obstante, Deus hodie existens, specificatiuè loquendo, potest reddere coexistentem diei hesterno omissionem prædicti decreti propter rationem nuper adhibitam. Vbi, ne alijs æquiuocationibus implicêris, notandum est. Hæc propositio: *Deus, prout existens in hoc nunc extrinseco Deo, non potest præstare, quòd heri existat nolitio mundi*, potest duplicem sensum subire. Primus est affirmans Deo, prout existẽti in eo momento, inesse necessitatem antecedentem, vt non existat heri talis nolitio: & hic sensus est falsus, quia nulla ratione datur talis necessitas. Secundus est, Deum sub ea reduplicatione non posse coexistere cum eâ nolitione, vt existente heri: & hic sensus est verus, quia instans hodiernum Deo extrinsecum coexistere nequit cum hesterno.

29 Tandem vrgebis proponendo id, quod mouit Mag. Albiz, disp. 7. sect. 2. vt hanc difficultatem iudicaret insuperabilem. Non est in Deo libertas ad inceptionem suorum decretorum. Non ad ipsorum permanẽtiam: ergo ad nullum statum ipsorum. Antecedens quoad primam partem patet: quia libertas Dei non est ad essentialiter chymæricum, & inceptio decretorum Dei est essentialitèr chymærica. Quoad secundã partem probatur. Libertas ad permanentiam decretorum includit potestatem ad non-permanentiam. At non datur in Deo talis potestas: ergo neque illa libertas. Minor probatur. Nam ea potestas esset ad essentialiter chymæricum: quippè Deum in suis decretis non permanere est desistere ab ipsis, postquam ipsa exercuit: id autem est essentialitèr chymæricum. ¶ Hoc argumentum æquiuocatione laborat, quæ in eo nititur, quòd non tam accipiantur termini secundùm omnem suum rigorem; quàm secundùm frequentiorem vsum, vt statim apparebit. Resp. Concessâ priori parte antecedentis, negatur posterior. Ad probationem, distinguo maiorem. Includit potestatem ad aliquam non-permanentiam, concedo maiorem. Ad omnem non-permanentiam tam chymæricam, quàm realem, nego maiorem; ac deinde sub eâdem distinctione concessâ, & negata minore, negatur consequentia. Ad probationem minoris dicatur: bifariam intelligi potest, Deum non

non permanere in suis decretis. *Primò*, desistendo à præhabitis: & hoc est chymæricum; tametsi *non-permanere* sumatur frequentius in hac vsurpatione. In Deo autem non datur potestas ad huiusmodi *non-permanentiam*. Intelligi *secundò* potest nunquam habendo talia decreta: quod enim nunquam habet *esse*, non permanet in *esse* præhabito. Et hæc potestas datur in Deo, sufficitque ad libertatem diuinam, quæ consistit in electiuâ Dei indifferentia, vt sua decreta vel semper; vel nunquam existant aperire, quæ magis videntur rationi consona, necnon rectioribus concipiendi modis. Non agimus nunc vniuersaliter de prioritate, ac posterioritate inter prædicata diuina: sicut enim tract. de Essentiâ, & Attributis disputatur generaliter, quodnam distinctionis genus prædicata Dei sortiantur; ita ibi disputamus de ordine, quem possunt habere. Sermo solùm est de his, quæ concernunt actus liberos Dei, nempè de ordine, quē inter se ipsos, & cum actibus necessarijs habent, vel non habent. Omissis autem quibuscā prioritatis, ac posterioritatis generibus, quæ parum, vel nihil pertinent ad Theologicum institutū, sermo præsens est potissimum de ordine causalitatis, aut quasi causalitatis; connexionis, aut quasi connexionis. Causalitatis ordo versatur inter eas res, quarum altera est alterius causa. Connexionis ordo versatur inter res, quarum altera cum altera connectitur. Sicut autem illud est prius prioritate causalitatis respectiuè ad alterū, quod huic tribuit *esse*, cum vicissim suum *esse* non accipiat; ita illud est prius prioritate connexionis respectiuè ad alterum, quod potest dari absque *esse* alterius; non tamen vicissim hoc potest dari sine illo. Quæ prioritas vocari potest independentiæ, vel indigentiæ, quatenus prius non indiget

---

DISPVT. XXI.

De ordine actuum liberorum Dei.

AD plenam eorum explicationem examinare oportet, quem ordinem habeant.

CAP I.

Nonnulla nobis certa statuuntur, vbi de prioritate rationis.

1 PLura hîc parum fixa, quæ magna ex parte ad modum loquendi reuocantur. Ne tamen subinde offendamus in Theologia operæpretium erit

diget posteriore; hoc tamen indiget priori.

2 *Secundò*, certum est, inter actus liberos Dei non esse prioritatem causalitatis, vel productionis simplicitèr dictam. Ratio est: quia, iuxta dicta in superioribus, actus liberi Dei actu existentes vel identificantur realitèr inter se, & quæ sunt idem non habent ordinem producentis, & producti simpliciter: vel non sunt simplicitèr *ens*; sed *talitèr se habere* entis diuini: productio autem simplicitèr dicta terminatur ad id, quod non solùm est *entis*; sed *ens* simplicitèr.

¶ *Tertiò*. Prioritas rationis multifariam dici potest. Oportet autem claritatis gratiâ eas acceptiones distinctè tradere, quæ magis ad rem præsentem facere possunt. Prioritas rationis alia potest dici obiectiua; alia quasi obiectiua; & alia formalis. Obiectiua est ipsa prioritas realis obiectorum, prout ab intellectu cognita. Nam quæ in re se habent tanquam prius, & posterius, sunt etiam ratione; vel, quod idem est, intellectualitèr talia, si vt talia cognoscuntur. Et verò de hac prioritate non aliter controuerti potest, quàm de prioritate reali ipsorum obiectorum, vt patet. Quasi obiectiua est, quando prædicata obiecti cognoscuntur instar prioris, & posterioris: vt si in homine prædicatum intellectiui, & prædicatum volitiui concipias instar duarum rerum habentium prioritatis, ac posterioritatis habitudinem: quanuis enim non sit prioritas, & posterioritas in ipsis prædicatis directè obiectis menti; benè tamen in alijs rebus, quæ menti obijciuntur, vt ea, ad quorum instar talia prædicata concipiuntur.

3 Prioritatem rationis formalem vocamus illam, quæ obiectis extrinseca est, & ea non inuenit; sed constituit prius, & posterius. Vt enim formalis distinctio rationis consistit in actibus rationis dissimilitèr repræsentantibus obiecta; & hæc formarum mentalium dissimilitudo constituit obiecta formalitèr mentalitèr distincta, tametsi reipsa sint idem; ita proportionatè dicendum est de formali prioritate rationis. Porrò autem huiusmodi prioritas excogitari potest duplicitèr. *Primò* viâ causæ, & causati: quæ potest dici prioritas causalitatis intentionalis. *Secundò*, viâ independentis, ac dependentis: quæ dici potest prioritas independentiæ intentionalis. Prima intercedit, quando extrema sic se habent, vt aliud *quatenus vni repræsentationi mentali subest*, causet aliud *quatenus alij repræsentationi subest*. Sic *homo*, & *animal rationale* respectiuè ad hunc discursum * Est homo: ergo animal rationale * sic se habent, vt homo sit prior, quàm

quàm animal rationale priorita-te causalitatis intentionalis, quia ex hac representatione: *est homo*, causatur hæc: *ergo animal rationale*. Contrarium propter contrariam rationem contingit respectiuè ad hunc discursum * Est animal rationale: ergo homo * Similitèr in ordine ad actus voluntatis, finis vt in intentione prior est fine vt in electione mediorum ad consecutionem ipsius.

4 Ad primam hanc prioritatem rationis parum respexisse videntur Theologi, quia iuxta hanc acceptionem facillimè cernitur, quicquid cum alio connectitur inferens per bonam consequentiam ipsum, esse prius alio prædicto modo. Difficilior explicatu est prioritas illa rationis, quam intentionalis independētiæ vocauimus. Eā nō semel explicuimus sequentes P. Vazq. 1. p. disp. 99. c. 4. n. 25. & alios post Aristot. in cathegorijs de modis prioris, & in Metaph. lib. 4. cap. 11. explicuimus, inquam, nonnihil immutatis terminis claritatis causâ, quatenus duobus extremis sumptis aliud in suâ ratione, in suo conceptu, in sua definitione (quæ in idem recidunt) non indiget alio viâ diffinitiuâ; secus contrà. Itaque, quando vt rectè diffiniatur vnum, non oportet diffiniri aliud; contra vero, vt hoc aliud diffiniatur, tunc propter illius independentiam diffinitiuam ab hoc, dependentiamque diffinitiuam huius ab illo, independens dicitur prius ratione; dependens autem posterius.

5 Ideo Arist. dixit cap. cit. metaph. prædicata vniuersalìora esse ratione priora, quàm minus vniuersalia, vel singularia; quia, tametsi non scias diffinitiuè *hominem*, vel *Petrum*, rectè potes diffinitiuè scire *animal*; non tamen contrà. Sic intentio finis est prior ratione, quàm formalis electio mediorum, vt existat finis. Nam ly *vt existat finis* denotat, eam ipsam electionē imbibere rationem intendendi finē, & consequentèr viâ diffinitiuâ dependere à diffinitione intentionis, cum tamen intentio viâ diffinitiua independeat ab electione. Alibi dedimus alia exēpla. Et quidē, sicut via reali prioritatem, ac posterioritatem independentiæ, ac dependentiæ sortiuntur, quæ sic se habent, vt alterum in suo *esse* non egeat altero, secus contra; ita via intentionali rationis, ac diffinitionis prioritatem, ac posterioritatem subeunt independentiæ, ac dependentiæ, quæ talis habitudinis sunt, vt alterum in suo *diffiniri* non egeat altero; secùs contrà. Hinc, alijs terminis, esse prius, & posterius in hoc ordine non est aliud, quàm esse diffinitiuè notius, vel ignotius, quatenus vnius diffinitiua notio non eget

notione diffinitiua alterius; secùs conuersùm. Iuxta quam proportionem dixit Arist. cap. cit. met. singularia esse priora *secundùm sensum*, quàm vniuersalia, nimirum, quia illa præ istis patentiora sensibus sunt.

6 At cum hac explicatione pugnare videntur plura exẽpla, quæ nostræ sentẽtiæ opponit P. Ripalda in manuscrip. de Præd. disp. 1. Comparatis enim interse tum electione efficaci ad gloriã, vt coronam, cum præuisione meritorũ; tum intentione pœnitentiæ ante permissionẽ peccati cum ipsa permissione; tum imperio efficaci actus iustitiæ cum hoc ipso actu, profectò meritorum præuisio, peccati permissio, actus iustitiæ imperatus sunt ratione posteriores; non priores, quàm electio antecedens ad gloriam, intentio pœnitentiæ, & actus imperans. At præuisio meritorum, permissio peccati, & actus iustitiæ sunt diffinitiuè independentes ab assignatis actibus; cõtra vero isti diffinitiuè dependentes ab illis, vt consideranti patebit: ergo. Confirmat primò. Quia diuina intuitio personarum est prædicatum commune toti Trinitati: ergo præcedit ratione personalitates: & tamen ea intuitio non est diffinitiuè independens à personalitatibus. Secundò. Natura diuina præcedit ratione attributa; non cõtra. Tamen attributa, vt omnipotẽtia, æternitas, &c. sunt diffinitiuè independentia à natura diuina. Tum, quia mutuò distinguuntur distinctione adæquata. Tum, quia referuntur ad diuersa connotata, & in apprehensione separabilia.

7 Ad argumentũ respõdeo. Ea quidem extrema, quæ argumentum contendit esse posteriora ratione, quàm alia, trãleat esse posteriora ordine rationis obiectiuo: quia ipsa intrinsecè sic se habẽt, vt aliquomodo subsequantur ad alia: cum hoc tamen fiat, esse priora ordine rationis formali propter independẽtiam, quam ab alijs habent in hoc ordine, & dependentiam aliorum ab ipsis: quemadmodum cum identitate prædicatorum obiectiua ex parte sui stat distinctio formalis ex parte modi cõcipiendi. Ideo autem specie tenus apparet absurdum, quòd assignata extrema censeãtur priora ratione alijs, v.g. actus imperatus iustitiæ prior ratione, quã charitatis imperiũ, per quod imperatur; quia, sumptis extremis, potissimũ attenditur, quod habent in se intrinsecè ex parte obiecti, & quod habent in mente repræsentante ipsa, vt sunt in se, quàm attendãtur aliæ denominationes extrinsecæ ex modo concipiendi. Vnde non mirum, quòd ratione posterioritatis obiectiuæ censeantur potius posteriora, quàm ratione prioritatis for-

formalis, & extrinsecæ ex modo concipiendi, priora.

8 Ad primam confirmationē similiter dicatur. Transeat, omnia prædicata absoluta, & cōmunia toti Trinitati præcedere ratione obiectiuâ personalitates, quia intrinsecè ex parte rerū prædicata essentialia aliquē ordinē prioritatis virtualis, vel alterius nominis seruant cum prædicatis notionalibus, de quo tract. de Trinitate, & consequēter intuitiua personalitatū cognitio præcedit ordine obiectiuo rationis ad personalitates. Nego tamen præcedere ad ipsas ordine formali rationis, quod immeritò supponitur potius, quàm probatur ab arguente. Ad secundam confirmationem dicatur, præoccupatā iam esse ex dictis disput. 3. n. 68. Possunt enim attributa Dei accipi diuersimodè. Vel secundùm rationes abstrahentes ex modo concipiendi ab essentia diuinâ; vel secundū rationes non abstrahentes ab illâ: in prima cōsideratione nō sunt attributa Dei prædicata posteriora ex modo concipiendi, quā essentia diuina. In postrema verò sic posteriora sunt; sed sunt etiam ex modo concipiendi diffinitiuè dependentia ab essentia diuina.

9 Deinde obijcies, iniquè nos asciuisse nobis patronū Arist. Nam iuxta ipsum cit. cap. de modis prioris, illud dicitur prior, à quo non valet subsistendi consequentia: v. g. animal est prius homine, quia non valet consequentia ab animali ad hominē; benè tamen cōtrà. At iuxta doctrinā nostrā potest esse prius ratione altero id, à quo ad alterum valet consequentia. Nam in homine prædicatum intellectiui est prius ratione, quàm prædicatum volitiui; & tamen ab intellectiuo ad volitiuū bona est consequentia; quippè secundùm cōmuniorē opinionē D. Th. implicat intellectiuum nō volitiuum: ergo nostra doctrina nō est Aristotelica. Propterea censuit P. Vazq. 1. p. disp. 99. cap. 4. n. 25. illud solùm esse prius ratione alio, à quo ad aliud non valet cōsequentia; bene tamē cōtrà. Censeo tamē, explicādum esse Arist. quatenus ad explicandam prioritatem independentiæ siue realis; siue intentionalis, ideo potius meminerit eorum, à quibus ad alia nō valet consecutio, vt ab vnitate ad binariū; ab vniuersalibus ad singularia, quia in his exemplis cernitur clarius independentia; nō quia, vniuersalissimè loquēdo, de ratione essentiali prioris in isto genere sit, quòd ab illo ad posterius consequentia sit nulla.

10 Ex dictis patet, prioritatem formalem rationis negari nō posse inter actus liberos Dei: quia sæpè sic se habent, vt non solùm distinguantur ratione nostrâ

stra; sed ita, vt alius (alius, inquã, ex modo concipiendi) sit independens diffinitiuè ab alio; & non è conuerso. Id patet. Tum, quia sic se habent intentio finis, & electio mediorum ad finem: Item decretum decernens existentiam Petri, & decernens simul existentiam Petri, & Pauli: Item decretum cõdendi mũdum, & scientia visionis eius decreti: Item hoc ipsum decretum, & gaudium de existentia huius decreti, necnon innumera alia, quæ iam quisque meditabitur. Etenim intentio finis, decretum de existentia Petri, decretum condendi mundum sunt diffinitiuè independentia ab electione mediorum ad finem, à decreto de existentia Petri, & Pauli simul, à scientia visionis, & gaudio circa decretum condendi mundum; cum tamen conuersum eueniat contrarium.

11 At contra ordinem prioritatis, & posterioritatis inter actus diuinos militat schola Nominalium cum suo Principe O-Kam in 1. distinct. 9. quæst. 3. quibus se adiungit Author quidam Anonimus de ordine capit. 36 cuius meminit P. Martinon de Deo, dispur. 14. sect. 6. num. 55. Quæ pugnant contra ordinem intrinsecum obiectiuum diluentur in seqq. capp. Nunc contra ordinem formalẽ rationis. Opponitur *Primò*. Sine distinctione rationis ratiocinatę non est prioritas rationis ratiocinatæ, vtque Nominalibus solenne est, ea distinctio non datur inter prædicata Dei. *Secũdò*: quia inutilis est talis ordo inter actus diuinos. *Tertiò*. Nam actus diuini sunt reipsa simul. Vel igitur alius est ratione prior, quàm alius, quia intellectꝰ nostер cognoscit, eum actum esse priorem: & hoc nõ erit aliud, quàm prioritatem fingere, vbi prioritas non est; vel quia intellectus noster vna priori cognitione attingit vnum actũ diuinum; & alia cognitione posteriori attingit alium: & hac ratione Filius erit ratione prior, quàm Pater, & relationes quàm essentia; quia, vt contingit in discursu à posteriori, ex priori notitia Filij, & relationũ oritur posterior notitia Patris, & essentiæ. *Quartò*. Tametsi in actibus nostri intellectus circa prædicata diuina sit discursus ex vno actu in alium; ipsa tamen prædicata Dei non constituuntur extrinsecè per nostrum discursum talia, vt ex vno sit cursus ad aliud; quia hîc importatur imperfectio: ergo adhuc extrinsecè per nostras cognitiones vnus actus diuinus non est prior alio, quia par est ratio. *Quintò*. Quanuis obiectum vnius decreti sit prius tempore, quàm obiectum alterius; tamen alterum ex his decretis non est prius tempore ratione nostrâ, quàm aliud: neque enim

enim decretum creandi Adamum est prius tempore ratione nostrâ, quàm decretum producendi Dauid: ergo, quanuis obiecta decretorum seruent ordinē causalitatis, non ideo aliud decretum erit prius prioritate causalitatis, quàm aliud, etsi loquamur extrinsecè ratione nostrâ. *Sextò*. Gratia, & gloria, pluraque alia sunt sibi inuicem causæ in diuerso genere. Nam gratia est causa gloriæ in genere causæ efficientis moralis; gloria verò est causa gratiæ in genere causæ finalis. Tamen decretum gratiæ, & gloriæ non habent mutuam prioritatem rationis: ergo malè colligitur prioritas actuum diuinorum ex prioritate obiectorum. Mitto, quæ nouas vires non habent; vel spectant ad doctrinam sequentium.

12 *ad primum*. Falsò supponitur, eam distinctionem rationis non dari inter prædicata Dei, de quo in Logica; in tract. de Essentia, & attributis Dei; & partim hîc, disp. 3. *Ad secundum*. Talis ordo rationis, vt actualiter existens, inutilis est ad actus diuinos, quatenus nihil ipsis interest cognosci à nobis eomodo concipiendi, qui talem ordinem constituit. At non est ipsis inutilis talis ordo fundamentaliter sumptus; quia non est ipsis inutile esse id, quod sunt, & hoc ipso præbent nobis fundamentū ad modum illum concipiendi, qui talem ordinem constituit: simile dicat necesse est Author Anonimus in distinctione rationis, quam admittit inter prædicata Dei. *Ad tertium*. Nihil ex ibi adductis præcisè sumptum est ratio, propter quā vnus actus diuinus est prior alio prioritate formali rationis; sed ratio est, aliū esse viâ diffinitiua indepēdētem ab alio dependenti. Sic non sufficit, Petrum, & Paulum vno actu cognosci ad hoc, vt sint vnum vnitate vniuersali in hac ratione *homo*; sed opus est cognosci actu attingente humanitatem vtriusque, & alteram ab altera non discernente, vt communiter dicitur in Logica.

13 *Ad quartum*. Dissidium reuocatur ad puras voces, in quibus, absque magno fructu exinde decerpendo, nimis hærere non licet. Dicatur, non esse ratione nostra *cursum* ex vno prædicato Dei ad aliud: non quidē, quia id importaret imperfectionem in Deo, si tales voces nihil aliud sonarent, quàm prædicata diuina terminare nostræ mentis actus, è quorum vno fit processio ad alium; sed quia prædicata diuina tales actus terminare nōdum ab Authoribus probatis acceptum est pro hoc significato: *cursus ratione nostra ex vno Dei prædicato ad aliud*. At, excepto Anonimo, & Nominalibus, ex vna parte reliqui Autores distinctionem, & prioritatem ex mo-

do concipiendi inter actus diuinos fatentur; & aliunde nihil potius eis vocibus videtur significari, quàm ea, quæ nos assignauimus. *Ad quintum.* Concedendum est totum: non enim ordinem rationis inter actus metimur ex ordine reali inter obiecta, vt amplius patebit ex dicendis; sed ex independentia, ac dependentia diffinitiua: ideoque non mirum, quòd, obiectis habentibus in se mutuam prioritatem in diuerso genere causæ in ordine reali, non sit inter actus mutua prioritas in ordine rationis. Vnde patet ad sextum.

CAP. II.

Stabilitur ordo intrinsecus inter actus liberos Dei, & vnde sumatur.

14 OMisso iam ordine extrinseco ex modo nostro concipiendi, veniamus ad ordinem intrinsecum ex parte ipsorum actuum Dei, qui maioris est in Theologia momenti: cuiusmodi ordinem defendunt communiter Theologi. Commentatores Magistri in 1. dist. 41. Commentatores D. Thom. 1. p. q. 23. art. 4. & 3. p. quæst. 1. artic. 3. Videatur etiam q. 6. de Veritate, art. 1. in corp. & ad 3. Suffragantur RR. excepto Anonimo iam citato. P. Ruiz de Volunt. disp. 22. P. Martinon disp. 14. iã cit. apud quos Caiet. Ferrar. Canar. Cordub. Suar. Mol. Val. Durãd. Bonau. Rich. Scot. cum Licheto, & suis. Quibus adde Albertin. principio 4. Philos. quæst. 3. Theolog. & princip. 6. Philos. q. 5. Theolog. n. 11. & seqq. P. Granado de prædest. tract. 5. disp. 8. omnesque RR. nunc scribentes, siue talis ordo petendus sit ex ordine reali obiectorum, siue aliunde, de quo postea.

15 Huic sententiæ libentèr subscribo. *Primò.* Quia scientia naturalis repræsentans bonitatẽ creaturarum aliquomodo præcedit independentèr à modo nostro concipiendi ad decretum liberum creaturarum. Nam hoc decretum existit, secluſis nostris modis concipiendi, alliciente ea scientia ad existentiam ipsius. Deinde talis scientia, & decretum, independentèr à nostro modo concipiendi, distinguuntur distinctione sufficiente ad susciendapredicata contradictoria; quippe talis notitia est naturalis, & necessaria, taleque decretum est liberum, & contingens. His autem concessis, nihil deest ad aliqualem prioritatem, & posterioritatem intrinsecam eorum extremorum, siue placeat illam vocare virtualem, siue formalem ex natura rei, siue diminutam: ergo, &c. *Secundo,* idem argumentum fieri potest in scientia conditionata attingente

gentē efficaciam auxilij comparata cum decreto conferendi auxilium, quia efficax est. *Tertiò*, in visione absoluta meriti, ac demeriti cōparata cum decreto remunerādi, & puniendi. *Quartò*, iuxta opinionem D. Thom. de motiuo Incarnationis in scientiâ absolutâ peccati comparatâ cum decreto mittendi Christū ad remedium ipsius, ac tandem alibi passim, vt constabit ex dicendis.

16 Ratio à priori est: quia ad hanc prioritatem, & posterioritatē intrinsecam nihil aliud desideratur, quàm formalitates Dei in se ipsis habere aliqualem distinctionem capacitatis ad susceptionem contradicentium; & alteram existere ad exigentiam alterius, satisfaciendo tali exigentiæ potius, quàm contrà: & hæc nō desunt in formalitatibus cōtingentibus Dei, vt patet ex dictis. Testimonia Scripturæ, & Ecclesiæ PP. pro hâc veritate videri poteris optimè perpensa apud P. Ruiz, & P. Martinō suprà. ¶ At pro hac veritate quæres primò. An eiusmodi prioritas, & posterioritas sint *simpliciter* tales; an solū *secundū quid*, ac diminutè? Resp. dicendū esse hoc secūdum iuxta disp. 17. Nam, vbi duo prædicata non sortiuntur distinctionem simpliciter dictā, non seruant prioritatem, & posterioritatem simpliciter dictas. Vnus autem actus contingens Dei compāratus cum alio non sortitur distinctionē ab illo simpliciter dictam. Nam iuxta eam disput. tales actus non sunt duæ res; sed non omnino idem modus se habendi eiusdem rei, nimirum, essentiæ diuinæ. Hinc poteris hanc prioritatem vocare virtualem, vel realem diminutam, si placeat eius disp. doctrina.

17 Quæres secundò. Vndenam sumatur eiusmodi ordo? Dicet quis primò ex doctrinâ Durandi in 1. dist. 12. q. 2. sub finem, & dist. 41. quæst. 1. art. 2. eum ordinem inter actus diuinos petendum esse ex ipsorum similitudine cum rebus creatis, inter quas detur prioritatis, & posterioritatis ordo realis, ac simpliciter dictus: quemadmodum distinctio secundùm quid inter actus diuinos petenda est ex ipsorum similitudine cum rebus creatis simpliciter distinctis. Nā tale, vel tale *secundū quid* pensandū est ad exēplar talis, vel talis *simpliciter*. ¶ Sed cōtra est. Tum, quia ad distinctionem virtualem intrinsecam, vel realem diminutam sufficientem ad susceptionem prædicatorum contradicentium (de qua nunc loquimur) non sufficit similitudo formalitatum Dei cum rebus creatis simpliciter distinctis. Nam in omnipotentiâ diuinâ non sunt formalitates virtualiter intrinsecè distinctæ virtus

calefaciendi, & virtus frigefaciendi; & tamen similitudinem habent cum virtutibus creatis distinctis simplicitèr: ergo similitèr ad prioritatem virtualem intrinsecam, vel realem diminutam prædicatorum Dei non sufficiet similitudo ipsorum cũ rebus creatis prioribus, & posterioribus simplicitèr.

18 Tum, quia nõ sortiuntur prioritatem, & posterioritatem virtualem intrinsecam in duratione formalitates diuinæ similes durationibus creatis prioribus, & posterioribus simplicitèr. Nam intrinseca duratio Dei hodierna, & intrinseca duratio Dei crastina sunt eadem æterniras intrinseca Dei sine illâ virtuali prioritate, de qua nunc; & tamen ea prædicata similia sunt meis durationibus hodiernis, & crastinis prioribus, & posterioribus simplicitèr. Idẽ cogita in formalitatibus immẽsitatis diuinæ cõparatis cũ vbicationibus creatis prioribus, & posteriorib⁹ in ordine loci: ergo neq; sortientur prioritatẽ, & posterioritatẽ virtualẽ intrinsecã in ordine quasi causalitatis formalitates diuinę similes rebus creatis prioribus, & posterioribus simpliciter in tali ordine. Tum quia, vt optimè P. Ripalda in disp. cit. notitia Dei circa possibilitatem creaturæ, & intuitio diuina circa existentiam exercitam creaturæ seruant ordinem prioritatis virtualis; & tamẽ similes notitiæ in creaturis plerũque sic se habent, vt vna non sit realitèr post aliam causalitate. Item: amor, quo creatura propriam bonitatem amat, nõ semper præcedit realitèr ad amorẽ liberum, quo amat alia obiecta. Tamen amor Dei circa propriã Dei bonitatem perpetuo præcedit virtualiter ad amorem, quo Deus libere versatur erga alia.

19 Ratio est: quia potest esse in vna formalitate Dei modus quidam se habendi ad alteram sufficiens ad prioritatem virtualem intrinsecam, vel realem diminutam, quin in consimilibus rebus creatis sit modus se habendi sufficiens ad prioritatem realem simplicitèr dictã, vt patet ex adhibitis exemplis. Potest etiam contuersim accidere, vt in rebus creatis, quibus assimilentur prædicata Dei, detur prioritas realis simpliciter dicta; & tamen neque realis diminuta detur inter ea prædicata Dei. V. g. in creatis personalitas Patris, & actio generandi sortiuntur prioritatem realem simplicitèr; & tamen inter personalitatẽ Patris Æterni, & generationẽ actiuam, quâ generat Filium, nõ est prioritas virtualis intrinseca, vel realis diminuta. Quare fundamentum Durandi infirmum est: quia neque illa distinctio virtualis, de qua nunc, petenda est ex similitudine cum rebus

bus creatis simpliciter distinctis, vt ex prædictis patet; neque habitudo secundùm quid talis inter aliqua extrema pensanda semper est ex habitudine simpliciter tali inter similia. Nam carentia sanitatis causat diminutè carentiam gaudij circa sanitatē: eaque causatio diminuta pensanda non est ex eo, quod in similibus extremis detur causatio simpliciter dicta; sed ex eo, quod vna carentia sic ad aliam conferat, vt hæc habitudo non sit entis causantis ad ens causatū; sed non-entis ad non-ens.

20 Dicet quis secundò id, quod Scotus sensisse videtur in 3 dist. 7. quæst. 3. & dist. 29 q. 1. & 3. nempe, ordinem actuum diuinę voluntatis petendum esse ex ordine perfectionis obiectorum, ideoque Deum prius velle obiectum nobilius; posteriusque velle ignobilius: prius finem; posterius, quæ sunt ad finem & in his prius velle, quæ propinquiora, & vtiliora sunt ad finem; posterius, quæ remotiora. ¶ Sed contrà est. *Primò*: quia sine actibus voluntatis intrinsecè, & ex naturâ rei prioribus & posterioribus stat amari obiecta, quorum aliud est nobilius, & aliud ignobilius: ergo ex istâ obiectorum inæqualitate nō benè sumitur illa prioritas, & posterioritas actuum. Antecedens probatur. Tum, quia incredibile est posse nos, vt reuera possumus, eodem actu prorsus simplici cōplacere in existentia Angelorum, & hominum; & nō posse Deum eodem actu penitus simplici decernere vtranq; existentiam. Tum, quia eâdem indiuisa penitus electione Dei eligentis medium ignobilius ad finem nobiliorem attingitur directè medium propter finem, & hic indirectè propter se: ergo cum omnimoda indiuisibilitate ex parte actus constat in obiectis assignatus ordo nobilitatis.

21 *Secundò* Quia stat, mediū entitatiuè nobilius ordinari à Deo ad finem ignobiliorē. Vnde cum, iuxta Scotum, prior sit amor finis; & posterior mediorum, prior erit amor ignobilioris obiecti; & posterior nobilioris. Antecedens probatur. Tum, quia Christus D. vt in carne passibili, nobilior est, quàm libertas hominum à peccato; & tamen, iuxta Scotum, Deus ordinauit illud ad hoc. Tum, quia in statu puræ naturæ Deus ordinaret substantiam creaturarum rationalium ad actus naturales cognoscendi, colendi, & amandi Deum; & tamen prædicti actus ignobiliores sunt, quàm illę substantiæ. Tum, quia sæpissimè res entitatiuè nobiliores sunt vtilissimæ ad ignobiliores fines; decentèr tamen procurabiles à Deo: ac deinde nihil prohibet, quominus illæ res ordinentur à

Deo

Deo ad prædictos fines, vt patebit ex num. 22. Ergo. *Tertio.* Nam, vt cōstat ex nostris disp. de Prædest. Deus amat prius permissionem peccati in ordine ad consecutionem gloriæ; & postea, præuiso peccato, amat pœnitentiam in ordine ad eandem gloriam. Saltem huius ordinis possibilitas immeritò negabitur; & tamen propinquius, & immediatius cōducit ad gloriam pœnitentia, quàm permissio peccati.

22 At obijciet subtilis Doctor * Propter quod vnūquodque tale, & illud magis * quod potissimùm est verum in fine, qui magis amatur quàm media, quæ propter ipsum eliguntur: ergo, vt Deus procedat summè consentaneè ad rationem prout oportet ad summam ipsius sapientiam, ac bonitatem, necesse est non amet nobiliora propter ignobiliora. Nam alioqui magis amabit minus digna amore; & minus amabit magis digna, quod esset inuertere ordinem optimum, ac sapientissimum. Respon. (quanuis alij respondeant) qui amat medium purè, putèque propter finem, & hunc propter se, magis amat finem, quàm medium; quia ex terminis ipsis liquet, hîc dari quandam prælationem æstimatiuam, & appretiatiuā finis potius, quàm medij. Vnde, natura duce, longè potiori pretio habemus amari ab alijs prōpter nos metipsos, quàm propter aliud; ac de illis, qui nos amant propter suas commoditates, nō propter nostras dotes, dicere solemus, non quidem nos; sed se ipsos amare. Cæterum, qui medium amaret, non solùm propter finē; sed vtrouis modo, scilicet propter finē, & simul propter mediū ipsum, nempè, propter ipsam medij nobilitatem, sanè, omnibus pensatis, nō magis amaret finem, quàm mediū; sed potius mediū magis, quàm finem, si amet medium propter eius bonitatem maiorem bonitate finis, mediumque, ac finem appretiatione proportionata suis dignitatibus. Quoniam igitur rectissimus amor Dei sic se gerit, vt forsan constabit amplius ex dicendis procedit optimè, summè sapientèr, ac citra omnem inuersionem rectissimi ordinis. Hinc proloquium illud: *Propter quod vnumquodque tale, &c.* intelligendum est, quādo media amentur purè, ac precisè propter finem.

23 Dicet alius tertiò cum Caietano 3. p. q. 1. art. 3. eum ordinem diuinorum actuum sumendum esse ex ordine reali generationis suorum obiectorum. Hinc primò: quia natura præcedit ordine reali gratiam, existimat, omnes actus diuinos pertinentes ad ordinem naturæ præcedere ad eos, qui spectant ad

ad ordinē gratiæ. Secundò: quia gratia præcedit vnionem hypostaticam, existimat, omnes actus diuinos pertinentes ad ordinem gratiæ præcedere illos, qui pertinent ad ordinem vnionis hypost. In eandem ferè sententiam veniunt apud P. Ruiz suprà, sect. 4. à n. 10. Molina, Zumel, Vazq. Driedo, & ferè omnes, quos attulimus disp. 16. existimantes, actus liberos Dei compleri per extrinseca connotata. Putant enim isti Autores, ordinem decretorum Dei petendum esse vel ex ordine reali, quem habēt obiecta suapte naturā, vel, vt addit P. Vaz. ex ordine, quem habent ex intētione creaturarum. Contra quas sententias plura, & optima videri possunt apud P. Ruiz suprà, necnon sect. 3. à n. 7. Pauca seligam, quæ mihi sufficiant.

24 Nam *primò*. Caietanus non constituit, sicut Aureolus, actus liberos Dei per obiecta Deo extrinseca; sed per terminationes diuinas contingentes adæquatè distinctas ab obiectis, separabiles à Deo, & inter se. Hæc autem est ratio, cur necesse non est actus liberos nostros ordinem obiectorū seruare; ideoque nos possumus prius velle obiectum posterius, nempè gloriam prius, quàm merita: ergo similiter Deus. *Secundò*. Potest Deus eodem indiuiso actu, & in eodem æternitatis momento cognoscere, ac velle obiecta, quæ suapte natura sortiuntur prioritatem, & posterioritatem in ordine durationis, v. g. durationem hodiernam, & crastinā: ergo paritèr poterit eodem indiuiso actu, & in eodem signo causalitatis cognoscere, velleq; obiecta, quæ suapte natura sortiuntur prioritatem, & posterioritatem in ordine causalitatis, v. g. causam, & effectum. *Tertiò*. Maternitas, per quam B. Maria constituta fuit Mater Christi, nō fuit in se ipsa realitèr post Christi existētiam in se ipsa exercitam. At ea Maternitas, vtpotè concessa B. Mariæ ex meritis Christi, fuit in diuinis decretis post Christum in decreto Dei: ergo decretorum ordo metiendus non est ex ordine reali obiectorum. ¶ Hæc, & similia militāt eâdem vi contra P. Vaz. & asseclas. Addo contra id, quod adiecit P. Vaz. Potest Ecclesia fundere preces pro bonis temporalibus; & tamen Deus ea conferre purè gratis, & non ex precibus. Quis enim ad aliud Deum alliget, vt in principijs præconceptis obfirmato animo persistat? Ergo obiectorum ordo ex intētione creaturarum non mensurat ordinem diuinorum actuū. Confirmatur. Nam potius ex precibus honestissimis ad obtinendum id, quod valde proficuum existimatur; & tamen est valde noxiū, potest flecti Deus, vt

vt rem petitam auertat; quia scilicet meritum residens in ipsis precationibus honestis dignũ est, vt Deus remoueat obiectũ noxium.

25 P. Granado de Prouid. & Prædest. tract. 5. disp. 8. à n. 4. ait, eum actum diuinũ esse priorem respectiuè ad alterum, qui ad huius existentiam requiritur; contra verò posterior est, qui requirit existentiam alterius. Solet autem contingere, vnum actum requiri ad existentiam alterius; & non viciſsim. Sic ad decretũ creaturarum requiritur scientia naturalis de ipsarum possibilitate; ad quam tamen scientiam prædictum decretum non requiritur. Solet etiam contingere, duos actus diuinos reciprocè se requirere. Nam amor necessarius, quo Deus se totũ amat, requirit cognitionem necessariam, quâ Deus se totum intelligit; & hæc ipsa cognitio, cum attingat, vt existentem, eum amorem, requirit etiam existẽtiam eius amoris. Hoc posito, ait Granado, mutuam exigentiam duorum actuum constituere vel positinam concomitantiam ipsorum; vel, vt loquũtur alij, mutuam prioritatem *à quo*, ratione cuius quodammodo prouenit vnumquodque ab eo, quod ad ipsum requiritur. At verò exigentia non mutua constituit prioritatem *in quo* illius, quod requiritur ad alterũ non requisitum ad ipsum. Vnde scientia naturalis creaturarum est prior *in quo* respectu decreti liberi statuentis creaturas; quia potest ea notitia existere in rebus absque tali decreto; non autem hoc decretum sine tali notitiâ.

26 Cæterũ, quanuis iste modus aptus sit ad explicandã prioritatem extrinsecam ex modo nostro concipiendi, si reuocetur ad id, quod diximus cap. 1. insufficiens tamen est ad explicãdam prioritatem intrinsecam virtualem, vel realem diminutam prædicatorum Dei in ordine quasi causalitatis, vel originis. *Primò*: quia benè componitur, quòd in ordine reali sic se habeant duo extrema, vt æquè requiratur vnum ad aliud, quàm contra; & tamen vnum potius sit *à quo* prius alio, quàm contra, vt constat in Patre æterno, & Filio. Nam æquè, ac Filius nequit existere sine Patre, nequit Pater existere sine Filio; & tamen Pater prioritate *à quo* originis potius est prior, quàm Filius; quàm contra Filius, quàm Pater: ergo benè stabit, quòd in ordine virtuali duo prædicata, quę viciſsim se ipsis indigent, sic se habeant, vt potius alterum sit *à quo* prius virtualiter altero, quã contra. Ideoque plures, qui admittunt distinctionẽ virtualem intrinsecam inter intellectionem, & amorem necessariũ

Dei

Dei, volunt intellectionem esse *à quo* priorem virtualiter amore, & non contra: quanuis, vt amor necessarius nequit existere sine intellectione necessaria; ita intellectio necessaria nequeat existere sine amore. Et verò, quanuis D. Tho. 1. p. q. 42. art. 3. neget ordinem, qui reperitur in diuinis personis, sufficere vt vna dicatur prior altera; tamen P. Granado supra, num. 2. illum explicat de prioritate *in quo* dicēs, prioritatem *à quo* inter diuinas personas nec negari, nec posse negari à D. Th.

27 Confirmatur. In ordine reali hæc numero productio caloris A. nequit existere sine calore A. benè autem contra; & tamen hæc numero productio non est posterior posterioritate originis realis hoc numero calore. Rursus: causa necessaria, vt instructa omnibus prærequisitis ex parte sui, & ex parte Dei ad operandum hunc numero terminum, nequit existere absque hoc numero termino; bene tamen terminus absque hac causâ sic instructâ, subrogatâ aliâ loco ipsius; & tamen ea causa, vt sic sumpta, non est posterior; sed potius origine reali prior hoc termino: ergo similiter in ordine virtuali poterit contingere, quòd sit posterius origine virtuali, & non prius illud prædicatum, sine quo nequit existere, quod dicitur prius. ¶ *Secundò.* Antequam nostra voluntas constituta sit proximè libera ad actum, & ad omissionem actus, potest Deus efficacitèr præfinire actum prout exercendum tali numero libertate constituta pluribus decretis Dei, de quibus tract. de Prædest. Tunc autem, vt ex eodem tract. constat, ea decreta oriuntur à præfinitione, non contra; & tamen præfinitio nequit sine ipsis existere, bene verò ipsa sine præfinitione. *Tertiò*, vt alia exempla præteream, intellectio essentialis est prior virtualiter Paternitate; non cōtra: volitio essentialis prior virtualiter spiratione actiua; nō cōtra: hoc numero decretum efficax de existentia Petri prius realiter, quàm existentia Petri; non contra; & tamen in his cōtingit, vt ea, quæ dicuntur priora, nō possint esse sine posterioribus; bene vero posteriora sine prioribus.

28 Propterea nihil melius inuenio, quod dicatur, quàm id, quod no semel attingimus, præsertim disp. 6. cap. 4. vbi de productione virtuali morali, nimirum, illud prædicatum esse in diuinis posterius alio *à quo* posterioritate reali diminutâ, quod ex alterius inclinatione tendenti ad hoc, vt existat ipsū, existit ipsum: suppono sēper distinctionē realem diminutā, vel virtualē, prout oportet ad posterioritatē proportionatā. Vnde illud prædica-

dicatū erit in hoc ordine prius, ex cuius inclinatione prædictâ existit alterum. Sicut enim sunt virtutes actiuæ quorundam terminorum; ita sunt virtutes inclinatiuæ ad quorundam terminorū existētiam; & sicut terminum esse à virtute actiua sui, id est, esse *à quo* posteriorem eâ virtute, est terminum existere per exercitium eius virtutis, *vt actiuæ*, quod exercitium vocatur *actio*, eaque actio potest in diuersis euentibus iam identificari cum termino; iam cum virtute actiua; iam ab vtroque distingui; sic terminum existere à virtute inclinatiua ad ipsum, nēpè esse *à quo* posteriorē ea virtute, est existere per exercitium eius virtutis, *vt inclinatiuæ*. Hoc autem exercitium vocari potest *actualis expletio* eius inclinationis: eaque expletio iam identificari potest cum termino inclinationis; iam cum ipsa inclinatione; iam ab vtroque distingui: de quo non pauca tract. de actibus humanis. Hæc amplius non explico; quia, me iudice, reducuntur ad prima principia, quæ sunt exponenda, propositis potius exemplis, vbi ex primis apprehensionibus illorum veritas eluceſcat, quā factis rationibus.

Iam plura exempla sumi possunt ex nn. antecedentibus.

CAP. III.

Discrimen inter voluntatem intēdentem, & exequentem.

29 POsito in præsenti capite discrimine inter voluntatem intendentem, & exequētem, facilius, & breuius in sequenti declarabitur ordo intentionis, & executionis. Loquimur de decreto efficaci per modum intentionis alicuius creaturæ: item de decreto efficaci exequente. His enim expositis, quisque facilè deprehendet, quid sit dicendum de actibus inefficacibus. Decretum intendens efficaciter creaturam, v.g. amorem creatum Dei, non applicat immediatè omnipotentiam Dei, vt eum amorem producat; decretum tamen, quod non est purè intentiuum eius amoris; sed immediatè executiuum applicat immediatè omnipotentiā, vt talem amorē producat. Cæterum, cum Deus vtroque actu sic se gerat ✻ *Volo, vt talis amor existat* ✻ quid habet alius actus præ alio, vt vnus purè intētiuus; & alius executiuus censeatur?

¶ P. Suar. lib. 1. de Prædest. cap. 14. & post ipsum Machin. disp. 46. sect. 6. §. *Sed dices* existimant, discrimen harum voluntatum in eo situm esse, quòd intendens respicit obiectum per modum vnionis affectiuæ cum ipso,

ipso, tendentis in illud, quia bonum est. At voluntas exequens respicit obiectum, non præcisè per modum obiecti amati, quia bonum est; sed per modum effectus per virtutem diuinam exequibilis, quod à Deo decernitur, quia factibile est.

30 Hæc tamen doctrina difficilis est. *Primò*: quia iuxta illam quidquid necessarium est ad rationem decreti executiui commune est decreto efficaci intentiuo. Nam ad rationem decreti executiui necesse in primis est esse amorem sui obiecti; proindeque tendere in ipsum, vt bonum, cum id sit de ratione cuiusque amoris: hoc autem citra dubium est commune decreto intentiuo. Deinde, quòd decretum executiuum versetur circa suum obiectum, vt factibile, stat duplicitèr. Primò, quatenus requirat prænosci obiectum, vt factibile: & hoc etiam est commune decreto efficaci intentiuo, cum Deus nequeat efficacitèr intendere creaturam nisi prænoscendo ipsam, vt absoluè possibilem, & consequentèr vt factibilem à Deo. Secundò, quatenus necesse sit ad decretum executiuum decernere obiectum ex motiuo formali suæ factibilitatis, & hoc est falsum; neque satisfaceret, quanuis esset verum. Est falsum: nam ad decretum executiuum obiecti requiritur quidem, quòd immediatè applicet omnipotentiam ad executionem; non vero quòd ipsa exequibilitas sit motiuum decernendi, vt patet in decretis, quibus nos ad executionem applicamus potentias nobis subditas. Deinde, quãuis illud esset verum non satisfaceret, quia decretum purè intentiuum decernere potest existentiam sui obiecti ex motiuo suæ factibilitatis. Nam, si decretum purè intentiuum, quanuis efficacitèr velit existentiam sui obiecti, potest esse purè intentiuũ, eo quòd non habeat vim inducendi immediatè executionem sui obiecti, cur non poterit ex eodem capite esse purè intentiuum, tametsi velit existentiam obiecti ex motiuo factibilitatis?

31 Quòd si propterea dicas, per decretum intentiuum decerni obiectũ; non verò actionem, qua producatur; per decretum autem executiuum decerni quoque actionem, qua producatur, ideoque per decretum executiuum decerni rem, vt factibilem; secus per purè intentiuum. Contra est: quia, vt benè vidit P. Aldrete de Incarnatione, disp. 26. sect. 3. nu. 3. potest Deus, iuxta vera principia, quæ tradidimus tract. de Prædest. ipsas actiones liberas creatas præ. definire efficacitèr. At non per decretum immediatè executiuum; sed purè intentiuũ: quia, vt constat ex ibi dictis, & tract.

de

de Auxilijs, omnia antecedentia, quæ immediatè causant actionem liberam, debent esse indifferentia ad illam, & eius omissionem, & sic indifferens nō est præfinitio efficax ipsius: ergo non solùm terminus productus; sed ipsa productio potest esse obiectum decreti efficacis purè intentiui.

32 Ex quibus etiam constat insufficientia alterius discriminis, quod solet assignari, scilicet voluntatem efficacitèr intendētem tendere in obiectum, vt producendum per hanc, vel illā actionem, & consequentèr ea voluntas indifferens est, vt obiectum executioni mādetur per diuersas actiones. At decretum exequens tendit in obiectum, vt producendum per determinatā actionem, ideoque non est indifferens, vt obiectum fiat per diuersas actiones; sed determinatum, vt producatur per talē actionem determinatam. Constat, inquam, ex dictis huius discriminis insufficientia. Nam Deus potest præfinire efficacitèr actionem liberam singularem, quæ non est indifferens, vt per diuersas actiones fiat, eaque præfinitio nō est decretum executiuum; sed purè intentiuum eius actionis. Contra hanc sententiam sumetur ex nostra explicatione ratio à priori; ex qua constabit, non solùm decerni posse per decretum purè intentiuum res indifferentes, vt per varias actiones fiant; sed etiam ipsas actiones determinatas, vt se ipsis fiant.

33 P. Ripalda supra citatus proprius ad veritatem accedens censuit, in eo situm esse discrimen harum voluntatum, quòd exequens operatur immediatè effectum; at non sic purè intendens, sed mediâ voluntate exequente. Si autem propter difficultatem positam num. 29 petas, quando voluntas efficax intendens non sit exequens; sed purè intendens, nō operans immediatè obiectum efficacitèr intentum; sed solùm mediatè? Respondet, tunc sanè, quando decernit executionem operis, vt ponendam per aliam voluntatem distinctam, quæ sit obiectum volitum tanquam mediū ad exequendum finem intentū. ¶ Indiget tamen hæc doctrina maiori explicatione. Nam benè stat, esse immediatā causam alicuius effectus eam ipsam causam, quæ ponit aliam causam immediatam eiusdem effectus: ergo benè stabit, id ipsum decretum, quod vult, & inducit aliam volūtatem tanquam medium immediatè operans effectum, operari immediatè ipsum effectum. Consecutio videtur bona, & antecedens patet. Nā, vt egregie obseruat P. Aldrete sup. sect. 4, num. 3. anima causat immediatè potentias operantes im-

immediatè actus vitales, quos ipsa anima simul cum potentijs immediatè producit. Item in sententia probabili, anima efficit immediatè cognitionem efficientem amorem, necnon præmissas formales efficientes immediatè conclusionem formalem; & tamen ipse animus efficit immediatè amorem, & actum conclusionis formalis.

34 Propterea fortè dicetur id, quod satis significat P. Ripalda, voluntatē purè intendentem non solùm velle, quòd obiectum executioni mandetur per aliam voluntatem; sed etiam quod *solùm* fiat per hanc aliam voluntatem: & cum hoc minimè stat fieri etiam per voluntatem intendentem; nam alioqui voluntas intendens exerceret contrarium illius, quod vult. Sed hoc etiam eget vberiori luce. Loquamur claritatis gratiâ de voluntate purè intendente, per quam Deus efficaciter decernat, actū amoris fieri per actionem singularem A. Nunc sic explico difficultatem huius solutionis. Hæc voluntas nequit decernere, quòd per ipsam non ametur prædictum obiectum, ne alioquin decernat oppositum illius, quod exercet: ergo propter eandem rationem decernere nequit, quòd per ipsam non applicetur immediatè omnipotentia ad actionem A. non enim aliud videtur esse omnipotentiam immediatè applicari per decretum ad actionem A. quàm dari in Deo voluntatem efficacem eius actionis. Confirmatur: quia nostra voluntas sibi contradiceret dicens * Volo efficaciter mouere brachium; nolo tamen potentiam motiuam immediatè per hanc voluntatem applicari ad motum * Etenim ea volitio vnum exerceret; & oppositum decerneret: ergo similiter, &c.

35 Dicendum mihi videtur id, quod satis insinuaui tract. de Prædest. disp. 12. num. 27. & 28. cui plurimum consonat ingeniosus P. Aldrete supra citatus disput. 26. sect. 6. à num. 3. scilicet, tunc decretum esse purè intentiuum rei; non verò immediatè executiuum, quando suapte natura, & ex proprijs prædicatis intrinsecis indiget ad executionem rei eis principijs, ac decretis Dei, quæ, tali intentione secluſa, & nullo alio eiusdem rei principio subrogato vice ipsius, inducent existentiam eius rei. Inde loco citato explicui, quare præfinitio efficax actionis liberæ singularis non pugnans cum libertate eius actionis sit purè intentiua; quia scilicet ad executionem eius actionis indiget eis rebus, sub quarum conditione præuisa est talis actio exe-

cutioni mandanda præscindendo ab eo, quòd existat, vel non existat ea præfinitio. Tunc autem decretum rei erit executiuum, quando siue coniungatur, siue non coniungatur cum prædicta rerum congerie, cum qua, secluso eo decreto, res esset; non tamen intrinsecè ex se ipso indiget coniungi cum eis omnibus rebus ad executionem sui obiecti.

36 Cuius rationem loco citato traditam sic declaro. Illud in quolibet genere nullius est roboris ad ponendam existentiam alterius, quod in se tale est, vt, non obstante sua existentia, tantum roboris exigatur in quolibet genere ad ponendam existentiam alterius, quantum illo non existente: ergo, quod similiter se habet in certo genere, nullius similiter est roboris in eo genere ad hoc, vt vi ipsius existat alterum. Sic, si ad eleuandum saxum requirantur vires vt quatuor, & in eo sis debilitatis statu, in quo ad talem effectum præstandum non sufficiat tibi impendere vires vt tria; sed necesse sit tibi adhibere plenè vires vt quatuor, manifestum est eum statum nullius esse virtutis in genere impulsiuo ad eleuandum saxum. At genus, in quo decretum diuinum executiuum valet ad executionem rei, vel actionis creatæ, est genus applicandi, impellendi, ac determinandi diuinam omnipotentiam ad executionem eius rei: ergo decretum circa talem rem, quod de se tale sit, vt, non obstante ipsius decreti existentia, planè, ac si nihil existeret, tantundem requiratur ad executionem eius rei in genere applicandi, impellendi, ac determinandi omnipotentiam, consequens erit non esse executiuum; sed purè intentiuum: quod autem se habuerit opposito modo, non erit purè intentiuum; sed immediatè executiuum.

37 Hinc fit primò, non repugnare decretum efficax purè intentiuum, tametsi per illud decernatur tale obiectum singulare vt tali singulari actione faciendum, quia nulla reperitur contradictio in decreto sic determinatè statuente; & tamen habente naturam, quam decreto purè intentiuo assignauimus. Fit secundò. Decretum circa rem creatam, quod se ipso essentialiter dependeat à decreto purè intentiuo eiusdem rei, nequit esse decretum immediatè executiuum eius rei. Cuius ratio est: quia non est decretum executiuum illud decretum, quod ad executionem rei desiderat plenam omnipotentiæ applicationem adæquatè distinctam ab eo decreto: probatur autem sic se habere decretum essentialiter dependens à pu-

purè intentiuo. Nam decretum essentialitèr dependens à purè intentiuo nequit coniungi cum executione rei intentæ, nisi datis illis, quæ necessaria sunt, vt decretum purè intentiuum eõiungatur cum tali executione. Vt autem decretum purè intentiuum coniungatur cum tali executione, est necessaria ad talem executionem plena, & adæquata omnipotentiæ ad eam executionem applicatio, quæ, secluso eo decreto intẽtiuo, induceret talem executionem, & consequenter plena omnipotẽtiæ applicatio non dependens essentialitèr ab eo decreto intentiuo, proindeque distincta adæquatè à decretis essentialitèr dependentibus ab eo decreto purè intentiuo. Quocirca, posito circa rem aliquam decreto executiuo, quod ponatur dependentèr à purè intentiuo, talis depẽdentia non identificabitur omnino cum ipso decreto executiuo; sed vel cum intentiuo se ipso quasi causante executiuũ, vel cum vtriusque coexistentia, vel cum habitudine intermedia, à qua sit separabile quodlibet ipsorum; imò & vtriusque coexistentia, iuxta principia generalia, quę statuimus tract. de Actibus humanis.

CAP. IV.

Quo pacto sit admittendus in decretis diuinis ordo intentionis, & executionis.

38 CErtũ est, res creatas esse prius in intentione Dei volentis ipsas esse propter aliquem finẽ, quàm exterius mandentur executioni: nam exterior, & temporalis executio rerum est effectus æternæ intentionis Dei eam executionem statuentis, ac dirigẽtis ad finem. Idcirco Theologorum controuersia in præsenti est: an sicut, existente fine causato à Deo, dantur hæc duo: decretũ æternum Dei statuentis finem, & executio temporalis eiusdem finis, ita vt hæc subsequatur ad illud; sic dentur hæc duo: decretum purè intentiuum Dei statuentis finem, & aliud decretũ Dei ad hanc intẽtionem virtualitèr, vel realitèr diminutè subsecutum, quod immediatè applicet omnipotentiam ad exteriorem executionem finis. Præterea, an similitèr sit sentiendũ in medijs electis propter finem, nempè, an duplici causentur decreto, altero electiuo ipsorum pertinente ad ordinem intentionis; altero executiuo spectante ad executionis ordinem. Et quidem affirmantes hanc veluti duplicationem decretorũ Dei

sic disponunt ordinem intentionis, vt prius virtualiter existat intentio finis, postea electio medij fini propinquioris, postea medij alterius vicinioris ei medio propinquiori, & sic deinceps vsque ad electionem medij remotissimi. Quamobrē hic ordo intentionis incipit ab intētione finis; at verò desinit in electionem remotissimi medij. Disponunt autem inuersim ordinem executionis; ita scilicet, vt prius virtualiter existat decretum executiuum remotissimi medij, postea minus remoti, & sic deinceps vsque ad decretum executiuum finis. Vnde talis ordo incipit à decreto remotissimi medij; desinit autem in decretum finis.

39 Eum igitur ordinem decretorum intentiui, & executiui (loquendo de decretis efficacibus) negant absolutè P. Vazquez 1. p. disput. 89, capit. 7. P. Moncæus, P. Ruiz, P. Becanus, P. Puente Hurtado. Pennotus, Aluarez, & alij plures apud P. Aldrete supra, disput. 26. sect. 3. num. 1. Quibus adde Basilium Legion. in Varijs, q. 6. scholastica, cap. 8. & 9. vbi putat, in quo plures RR. ei subscribunt, in sua sententia complente decreta libera Dei per extrinseca connotata impossibilē esse talem ordinem decreti efficacis intentiui, & executiui. At prædictum ordinem decretorum affirmāt P. Suar. P. Arrubal. Albel. Machin, & passim noniores apud eundem Aldrete supra n. 2. Plerique autem ingenioſi Recentiores nostræ Societatis, à quibus parum, vel nihil discrepabimus, medias opiniones tuētur, quæ placent P. Arriag. 1. p. disp. 35. sect. 7. & magna ex parte P. Ripal. disp. sæpè citata, & P. Aldrete sup. quanuis hi Autores sunt aliquibus dissideant. ¶ Porrò autem dissidium non est de inefficaci voluntate finis: Nam, ea semel admissa, indubitatum est posse Deum ex illa procedere ad executiua decreta finis, & mediorum.

40 Assero primò. Circa fines non pendentes à libertate creata potest Deus habere decretum efficax putè intentiuū distinctum ab executiuo; non tamen necesse est, quòd habeat ea duo decreta, vt tales fines perducantur ad executionē. Ita P. Ripal. sup. plureſque alij Prior pars probatur *primò* à paritate. Nam, vt vidimus tract. de Prædestinat. potest Deus vno decreto purè intentiuo decernere efficacitèr actum liberum creatum, ac rursus eundē exequi per decretum aliud executiuum: ergo poterit simile contingere circa introductionem, v. g. formæ equinæ in materia. *Secundò* à priori. Nam ante præuisam materiam dispositam ad formā equi potest Deus effi-

efficaciter decernere, vt ex præuisione dispositionum ea forma introducatur in materia per decretum subsequens præuisionē dispositionum, quod ad talem introductionem sufficeret, tametsi nō præcessisset decretum antecedens præueniens absolutam præuisionem dispositionū. At in hoc euentu, cuius possibilitas cōstare videtur ex ipsa terminorum propositione, primū decretum est purè intentiuum; secundum autem executiuum, vt patet ex cap. 3. Ergo, &c.

41 Posterior pars similiter probatur *primò* à paritate. Nam, vt constat ex eodem tract. de Prædestinat. potest Deus exequi actus liberos creatos per decretum executiuum siue indifferens antecedens; siue determinatum concomitans non præsupponens præfinitionem efficacem intentiuam ipsorum: ergo simile cōtingere poterit circa necessarios effectus. *Secundò*. Quia nec leuis quidem vmbra repugnantiæ potest in eo apparere, quòd Deus per primarium decretum efficax indiuisim velit, talibus singularibus dispositionibus per tales singulares actiones productis disponi materiam ad formam equi, & hanc formā tali determinata actione, taliq; modo produci non volēdo aliam voluntatem subsequētem executiuam harum rerum. At in hoc euentu tale decretum primarium erit executiuum; nō autem pure intentiuum, vt patet ex cap. 3. ergo ad executionem effectus necessarij non est opus, quòd decretū executiuū sit secundarium subsequens ad primarium purè intentiuū. Explicatur. Per decretum primarium potest Deus simul ex parte actus decernere tria hæc obiecta. Primum, disponi materiam talibus singularibus dispositionibus productis per tales singulares actiones: secundum, introduci per talem singularē actionem in materia formam equi. Tertiū, sic introduci hanc formam per aliud decretum de se sufficiens exequendum indepēdenter ab ea præintentione primariâ: ergo similiter Deus poterit sic se habere, vt per primarium decretum simul ex parte actus decernat præcisè duo illa priora obiecta; non verò tertium. At, iuxta cap. 3. in primo euentu primariū decretum erit purè intentiuum circa introductionem talis formæ in materiâ; in secundo autem, intentiuum simul, & executiuum: ergo vtrumque potest accidere.

42 *Tertiò*. Nam ex principijs cap. 3. decretum executiuū suapte ratione tale est, vt possit suum obiectum ad executionē perducere; imò re ipsa perduceret, quanuis non præcederet intentiuum: ergo, licet ex superabundantia possit; nō tamen ex

necessitate præcedere debet ad decretum exequens decretum aliud purè intendens. ¶ Vnde oritur secunda vniuersalis assertio, nempè, ad nullum effectum requiri simplicitèr, vltra decretum executiuum, decretum aliud purè intentiuum eiusdem effectus; quia ipsa natura decreti executiui est, quòd præter ipsum non requiratur aliud purè intentiuum, vt effectus executioni mandetur. ¶ *Tertia assertio est.* Possibile est decretum efficax antecedēs purè intētiuū actus liberi. *Quarta.* Tale decretum efficax antecedens non potest esse requisitum ad talem actum liberum. *Quinta.* Decretum efficax actus liberi antecedens ad ipsum non potest esse immediatè executiuum eius actus. Hæc omnia fusè statuimus tract. de Prædestin. agentes de prædefinitionibus actuum liberorum. Quòd si quid addendū occurrerit, tradem[9] in disp. de Concordia.

43 *Sexta assertio est* de illis rebus, quæ moralitèr causantur actib[9] liberis, v.g. de gloriâ, quæ moralitèr causatur à meritis. Assertio est. Intentio efficax rei moralitèr causatæ per actus liberos potest esse distincta à decreto executiuo talis rei. Nam potest Deus antecedentèr ad præuisionem absolutam meritorum decernere, vt post præuisa merita conferatur gloria mediâ illa volūtate merita præsupponente, quæ sufficiens est ad inducendam executionem gloriæ, siue præcesserit, siue non præcesserit ea præintentio, vt constat ex dictis tract. de Prædest. vbi de electione ad gloriā: vt autem constat ex cap. 3. in eo euentu talis intētio antecedens erit distincta à decreto executiuo gloriæ. *Septima assertio.* Intentio rei caulandæ moralitèr per actus liberos, & antecedens absolutam præuisionem ipsorum non sufficit ad executionem eius rei absque alia voluntate executiua concepta ex absoluta præuisione meritorum. Hanc assertionem statuimus, & argumentis in contrarium satisfecimus tract. de Prædest. disp. 14. cap. 1.

44 Addo tamen octauam assertionem consequentèr ad dicta cap. 3. num. 37. illatione secundâ, nempè, voluntatem efficacem, quæ antecedentèr ad merita decernit gloriam, vt coronam meritorum, posse esse non purè intentiuam; sed executiuam gloriæ in consortio alterius voluntatis gloriam decernentis ex præuisione meritorū: quia non repugnat hanc secundam voluntatem, non solùm essentialitèr dependere à præuisione meritorum; sed etiam à prima voluntate, vt si Deus illam exerceat ex motiuo se cōformandi cum priore, vt existen-

stente. Cum hoc autem non constat, iuxta eam illationem, voluntatem illam priorem esse purè intendentem: erit igitur gloriam exequens in consortio posterioris voluntatis. ¶ Ex dictis constat *primò*, voluntatem intendentem efficacitèr finem posse esse distinctam à voluntate executiua mediorum. Nam, cum possit esse distincta à voluntate executiua ipsius finis, potiori ratione distingui poterit ab executiua mediorum. *Secundò* constat possibile esse, vt media terminent duplicem amorem efficacem ipsorum, alium purè intentiuum; & alium executiuum. Rursus, possibile est ita existere, vt præcisè terminēt amorem efficacem executiuū. Nam, iuxta dicta, possunt similia circa finem contingere; neque specialis est repugnantia, vt sint impossibilia circa media. *Tertiò* constat, posse esse ordinē prioris, & posterioris virtualitèr intrinsecè, vel realitèr diminutè inter voluntatem efficacem intentiuam finis, & eiusdem finis executiuam inter se comparatas, necnon inter voluntatem intentiuam efficacem mediorum, & executiuam ipsorum; ac demum inter volūtatem intentiuam finis, & executiuam mediorum. Cum enim eiusmodi voluntates possint virtualitèr intrinsecè, vel realitèr diminutè distingui inter se, nihil obesse potest, quominus altera in eo ordine virtuali, vel reali diminuto deriuetur ex alia: in quo stat prædictus ordo prioritatis.

45 *Quartò*. Quia potest finis existere, quin detur circa ipsum duplex voluntas alia intentiua, & alia executiua; similiterque possunt existere media sine tali multiplicitate voluntatum circa ipsa, idcirco possunt existere absque prædicto ordine voluntatis intentiuæ, & executiuæ. Et quia *sæpè falsum* accidere potest, vt non detur alia voluntas efficax circa finem, nisi quæ sit prorsus identificata cum voluntate executiua mediorum citra distinctionem omnem virtualem intrinsecam, vel realem diminutam, vt ex postea dicendis constabit, ideo poterit accidere, vt nullus ordo virtualis intrinsecus, vel realis diminutus versetur inter voluntatem efficacem finis, & voluntatem executiuam mediorum. ¶ Restat tamen inter se conferre voluntatem efficacem finis, & electionem efficacem mediorum, prout pertinentes ad ordinem intentionis. At, quia vera doctrina de distinctione, vel indistinctione; prioritate, posterioritate, vel simultaneitate in ordine virtuali intrinseco intentionis, & electionis in Deo, tradenda est proportionalitèr ad ea, quæ docentur in creatis de distinctione, identitate, vel or-

dine in genere reali simpliciter inter intentionem, & electionem, & de hoc agimus accurate tract. de Actibus humanis: propterea, ne cogamur eadem molestè repetere, potius insinuabimus, quàm probabimus, quæ hic ex ibi generalitèr dicendis colliguntur, addentes, quæ magis Theologica sunt, & specialius ad diuinam voluntatem spectant.

46 *Primò* igitur in creatis, quando finis est consequibilis per diuersa media, potest voluntas intendere finem efficacitèr, quin ea intentione determinet media, & ex ea intentione procedere potest electio, per quam voluntas talia determinata media præ alijs eligit ad consecutionem finis. In Deo ergo similiter dicimus, posse dari intentionem efficacem finis consequibilis per diuersa media, quin ea intētione determinētur media singularia, quibus executioni mandetur; & consequentèr electio, per quam talia singularia media determinentur, poterit esse virtualitèr intrinsecè distincta ab intentione efficaci finis, & ab ea intentione virtualitèr intrinsecè procedēs. Nam in hoc non est in Deo specialis repugnantia, vt cap. seq. necnon disp. 22. constabit. *Secundo* contingere solet, finem esse alligatum essentialitèr singulari, ac determinato medio, vt si finis intentus sit actio essentialitèr exercens meam voluntatem. Nam talis actio est essentialitèr alligata meæ voluntati tanquam medio essentialitèr requisito ad eius existentiam. In creatis ergo potest dari intentio efficax finis non decernens directe singulare medium, cui essentialitèr alligatur finis, & ex ea intētione potest realitèr procedere decretum directè determinans tale medium. Dico ergo, si fortè Deo suppetant rationes dignæ, quæ moueant voluntatem diuinam (quæ nunc suppetere possint, valde dubito) vt eo actu, quo finem efficacitèr intendit, non decernat directè singularia media, quibus essentialitèr alligatur finis, distingui poterit intentio efficax eius finis ab ea electione directa eorum mediorum, eaque electio poterit virtualitèr procedere à tali intentione.

47 *Tertiò*. In creatis potest voluntas eodem simplici actu intendere efficacitèr finem, & eligere directè media ad consecutionem finis, ac proindè Deus à fortiori poterit eodem actu indiuiso citra distinctionem virtualem intrinsecam, vel realem diminutam efficacitèr intendere finem, ac directè decernere media. & consequentèr tunc nō erit inter intentionem & electionē ordo prioritatis virtualis, vel realis diminutæ.

nutæ. ¶ Tandem pro completa rei explicatione, nota primò. Non est necesse in decretis pertinentibus ad ordinem intentionis exactè obseruari ordinem illum, iuxta quem prius intendatur finis, postea medium immediatius fini; postea medium immediatius prædicto medio, & sic deinceps. Tum, quia simul possunt hæc omnia intendi. Tū, quia potest prius intendi finis vno actu; & postea alio indiuiso actu possunt intendi cuncta media immediatiora, & remotiora. Nota secundò. In decretis pertinentibus ad ordinem executionis necesse non est exactè obseruari ordinem illum, in quo prius decernatur executiuè medium remotissimum, postea minus remotum, postea minus, & sic deinceps, demumque finis. Tum, quia *sæpè* eodem simplici decreto executiuo possunt hæc omnia decerni. Tum, quia poterit Deus pro sua libertate vno simplici decreto executiuo decernere omnia media; & alio finem.

48 Nota tertiò. Non semper decretum executiuum mediorum potest esse prorsus identificatum, etiam virtualiter, cum decreto efficaci finis. Nam, vt vidimus disp. 2. de Prædest. decretum vnum executiuum auxiliorum ad actum liberum oportet esse indifferēs ad actum, & omissionem actus, & consequenter neque esse prorsus idētificatum cum intentione efficaci actus liberi, quæ absque dubio non est indifferens; sed determinata ad existentiam actus. Alia, quæ ad rem præsentem faciunt, videri possunt disp. 15. de Prædest.

CAP V.

Argumentorum solutio.

49 OMittam ad propria loca plura argumenta, de quibus tract. de Prædest. & tract. de Actibus humanis, necnon quæ dissoluemus disp. 22. agentes de decretis disiunctiuis. Obijcies primò, decretum efficax rei non posse esse purè intentiuum; sed esse etiam executiuum. Nam illud decretum est executiuum, quod sic versatur circa rem, quam decernit, vt cū ipsius executione connectatur infallibiliter. Tale est decretum diuinum eo ipso, quòd sit efficax: ergo eo ipso est executiuū. Caue dissidium de voce. Resp. Decretum pure intentiuum nō dicitur *purè* intentiuum ex eo, quod neque remotè, neque proximè inducat executionē obiecti, quod decernit; sed quia non applicat immediate omnipotētiā ad talē executionē. Itaq; ex prædicato *efficacis* habet infallibiliter inducere executionē obiecti, quod decernit. At, quia sic inducet ipsā, quanuis nō applicet im-

immediatè omnipotentiam ad talem executionem, nempè ex eo præcisè, quòd nequat non inferre aliam voluntatem immediatè applicantem omnipotentiam ad executionem, plane fit, tale decretum esse efficax, quin se ipso immediatè sit exequens. Neq; vrget, quod addit P. Granado, qui nobis hîc aduersatur: nempe, decretum efficax intentiuum respicere non quidem remotè; sed immediatè obiectū, quod intenditur. Non, inquam, vrget. Nam aliud est respicere immediatè rem intentam tanquam obiectum immediatè volitum eâ intentione; & aliud eā rem immediatè respicere tanquam effectum eâ intentione immediatè causatum. Primum est verum. Secundum falsum. Sic intentio, per quam nos intēdimus sanitatem, habet pro immediato obiecto sanitatem, quā ea intentio non causat immediatè.

50 Objcies secundò ex Basilio Legionensi. Omne decretum efficax *purè* intentiuum finis præcedit ad executionem finis. Nam ex eo decreto deriuantur causæ immediatè exequentes finem. At nullum decretum diuinum efficax circa finem præcedit ad executionem finis: ergo nullum decretum diuinum efficax circa finem est purè intentiuum finis. Minor probatur: quia omne decretum diuinum efficax circa finem cōstituitur, saltem partialitèr, ex ipsâ executione finis. Cum igitur cōstitutum ex ipsâ finis executione nō præcedat ad ipsam, planè fit, nullum decretum diuinum efficax circa finem præcedere ad executionem finis. Cōfirmatur ex doctrinâ P. Arrub. 1. p. disput. 59. cap. 2. & 3. Nam decretum efficax intentiuum finis completur partialiter per executionem alicuius rei creatæ. At nō est alia productio, per quam aptius compleatur, quàm executio primi medij cōnexa cum executione reliquorum mediorum, & finis: quia sic intentio efficax finis præcedet ad executionem finis, & ad executionem reliquorum mediorum præter primum: igitur ea intentio completur partialitèr per executionem primi medij: ergo implicat decretum efficax finis adeò purè putèq; intentiuum, vt nō sit executiuum primi saltem medij.

51 Sed hæc nituntur principijs minus veris. Ad argumentum, concessâ maiore, negatur minor maiorque probationis. Tum, quia libera decreta Dei non complentur per extrinseca connotata, vt constat ex disp. 16. Tum, quia ex dictis ibi à n. 30. satius esset, insistēdo tali cōstitutioni liberorum actuū Dei, complere decretum efficax purè intentiuum per modulum af-

fi-

fixum tali, vel tali rei, quo Deus constituatur partialitèr intendens in concreto antecedenter ad executionem omnium mediorum: quanuis necesse sit fateri, tale decretum non ita purè intentiuum esse, vt præueniat executionem cuiusuis distincti à Deo, quippè quod non præuenit executionem eius moduli. Ad confirmationem. *Primò* negatur maior. *Secundò*, admissa maiore, negatur minor. Nam aptius constituetur ea intentio per prædictum modum, vt eo pacto decretum intentiuum antecedat ad executionem omnium mediorum, quæ requirũtur ad finem, adhuc non excepto primo. *Tertiò*. Sicut ait P. Arrub. vnicam voluntatem intentiuam finis, & executiuam primi medij constituì per productionem primi medij connexam cum fine, dicere posset vnicam voluntatem intentiuam finis, & reliquorum mediorum præter primum constituì per productionem primi medij cõnexam cum fine, & alijs medijs.

52 Obijcies tertiò ex P. Granado de Prædest. tract. 5. disp. 8. num. 7. tunc saltèm anteire nõ posse decretum intentiuum finis ad executiuum mediorum, quando finis efficacitèr intenditur, vt obtinendus per talia determinata media. Probat. Quia tunc ea intentio ita connexa est cum voluntate executiua taliũ mediorum, vt nequeat exittere absque illâ: ergo non est ab ipsa independens, & consequenter neque ad eam præcedens. Hoc tamen infirmum est. Negatur assumptum. Ad probationem, concesso antecedente, distingui-tur primum consequens. Non est ab ipsâ independens indepẽdẽtiâ absolutionis, concedo cõsequentiam (quia non est absoluta ab ipsâ; sed ad eam alligata) independentiâ non prouenienti ab illa in genere impulsiuo, nego consequentiam, & similiter nego subillationem. Itaque bene potest vna formalitas præire virtualiter ad aliam, cum quâ connectitur, vt essentia ad personalitates, &, iuxta plurium opinionem, intellectio necessaria ad amorem necessarium, quia in hac opinione quanuis intellectio necessaria nõ possit esse sine amore necessario; tamen amor necessarius prouenit in genere impulsiuo ab intellectione necessariâ; hæc autem non sic ab amore.

53 Hæc satis contra distinctionem decreti intentiui ab executiuis: alia namque vel facillimo negotio expediuntur ex dictis, vel alibi soluta sunt. Iamverò contra illam nostræ doctrinæ partem, vbi diximus posse Deum incipere à decreto executiuo finis creati, non præmisso decreto efficaci purè intentiuo,

tiuo, potest opponi. *Primò.* D. Thom. sæpe agnoscit vsum actiuum post intentionē, & electionem. Talis autem vsus est decretum immediatè applicans omnipotentiam ad executionem. *Secundò.* Nam in artifice creato ante voluntatem vltimo determinantem ad executionē externam præcedit semper realiter intentio interna: ergo in Deo virtualiter. *Tertiò.* Quia decretū executiuum finis est post præuisa existentia media ad ipsum; hæc autem adhibentur ex intentione finis: ergo semper finis intentio præcedit ad voluntatem executiuam ipsius. *Quarto.* Nam aliter Deus applicat suā omnipotentiam, vt concurrat ad materiale peccati; & aliter vt concurrat ad finem naturalem. Hæc autem diuersitas in eo stat, vt voluntas applicans omnipotentiam ad finem naturalē supponat intentionem ipsius; alia vero non supponit intentionem peccati. Ita sibi obiecit P. Ripalda ex P. Suarez, vt ipse ait.

54 *Ad primum* respondeo ex dictis tract. de Prædest. disp. 15. num. 17. nihil aliud velle D. Thom. quàm decretum, per quod immediate applicamus ad executionem potentias voluntari subiectas, distingui frequenter ab intentione, & electione præuia; non tamen eum ordinem essentialiter esse tàm inuiolabilem, vt nunquam possit voluntas incipere à decreto executiuo, non præmisso intentiuo. *Ad secundum.* Negatur antecedens. Cur enim primum decretum formandi hos caracteres non sit decretum immediatè applicans manum ad eum effectum? *Ad tertium* resp. In primis non implicat Deum, post præuisionem mediorum existentium ex vnius finis intentione, decernere, vt per ea media obtineatur alius finis: & hoc decretum huius alterius finis poterit esse huius finis executiuum, non præmisso alio intentiuo eiusdem finis. Secundò non implicat, vt ante præuisionem absolutam mediorum, vt existentium, eodem indiuiso decreto non præsupponente aliud intentiuum applicet immediatè Deus omnipotentiam ad executionē eorum mediorum, & finis. *Ad quartum.* Plura diximus tract. de Prædest. de cōcursu Dei ad materiale peccati, nec pauciora dicemus tract. de Peccatis. Ex quibus resp. negando minorem. Nō enim est discrimen id, quod ibi assignatur; sed applicari omnipotentiam ad finem naturalem per directam volitionem eius finis; ad peccatum autem, vel nullatenus, vel tolum non impediendo voluntatem creatam quominus se ipsam, simulque omnipotentiam determinet ad hoc, vt ponatur actus malus defectuosè à voluntate creatâ; &

esse-

effectione sufficiente à voluntate Dei. Videantur dicta loc. cit.

55 Porrò autem contra partem aliam nostræ doctrinæ, quatenus diximus posse Deum vno actu intendere finem efficacitèr, & alio virtualiter intrinsecè posteriori eligere media, maximè cum finis est consequibilis per varia media, opponitur, exceptis Philosophicis, necnon soluendis disput. 22. imperfectionem arguere prius efficacitèr intendere finem, & postea eligere media. Nam vndenam potest id prouenire, nisi ex non benè perspectis medijs, quando finis intenditur? Si enim tunc plenè perspiciuntur, quorsum differtur, vel quasi differtur ipsorũ electio? *Secundò*, si benè putatur, arguere imperfectionem in Deo intellectus discursum, quo procedat ex cognitione causæ ad cognitionem effectus; quomodo non arguet imperfectionem, voluntatis discursus, vel quasi discursus, quo procedat ex intẽtione finis ad electionem mediorum? ¶ *Ad primum* resp. Nego antecedens. Ad probationem dicatur. Ea dilatio, vel quasi dilatio electionis ad signum posterius non prouenit ex ibi assignato capite, sed ex libertate Dei volentis potius electionem exerceri ex intentione præmouente ad ipsam; quàm purè ex cognitione mediorum, & finis. *Ad secundum*. Est discrimen. Nã ex vnâ partè voluntas est facultas libera, ac de cætero nihil obest, quominus Deus pro suo libito non se exerceat in electione, nisi intentione præmouente ad electionem. At intellectus diuinus est facultas necessaria, & infinitè perspicax: vnde, cum posita veritate præmissarũ, in quâ continetur veritas conclusionis, iam sit sufficiens determinatiuum obiectiuum, vt Deus clarissimè perspiciat veritatem cõclusionis, non potest tunmum intellectus diuini acumen se cõtinere, quominus pro tunc clarissimè penetret veritatem conclusionis, vnde non potest a veritate præmissarum ad veritatẽ conclusionis discurrere: quippe talis discursus in eo stat, vt à cognitione vnius veritatis cum alijs connexæ fiat processio ad cognitionem huius alterius veritatis non penetratæ perfectè pro signo antecedente prioris notitiæ. Vide dictatract. de Scientia, disp. 5. cap. 4. à num. 24.

56 Demum contra partem aliam nostræ doctrinæ, quatenus diximus posse Deum vnico voluntatis actu virtualiter indiuiso directè decernere finem, & media, potest argui (Loquimur sẽper de indistinctione virtuali intrinsecâ intentionis, & electionis, per quam istæ formalitates sint incapaces, vt in se suscipiant prædicata contradicentia; non autem disputamus, an aliter distin-

tinguantur distinctione, quam iure, vel iniuriâ placeat etiam vocare virtualem) potest, inquam, argui. *Primò*. Nam quoties Deus intendit finem, & eligit media, potius est verum eligere media, quia finem intendit, quàm è contra. Hoc autem non stat citra distinctionem aliquam intrinsecam intentionis, & electionis. *Secundò*. Quando finis est consequibilis per varia media, non potest Deus per ipsam intentionem finis se determinare ad talia singularia media præ alijs. Nam intentio finis solum determinat ad ea, quæ sunt necessaria ad finem; & non sunt necessaria talia singularia media præ alijs. *Tertiò*. Quia Deus intendens finem, & eligens media se determinat prudentissime ad electionem mediorum. Ad hãc autem summam prudentiam requiritur, quòd media non eligat nisi ex præuisione, quâ videat se intendere finem: ergo necesse est, vt prius intendat finem, & posteriùs eligat media.

57 *Ad primum* constat ex dictis disp. 4. & 5. vbi statuimus, intellectionem necessariam, & amorem necessarium Dei non distingui virtualiter intrinsece. Ex ibi dictis respondebis, si dicas, eam causalem non habere locum formalitèr ex parte rerũ; sed ex hâc parte tantum *fundamentalitèr*, & ex parte modi nostri concipiendi *formalitèr*, quatenus totus ille actus indiuisus, eo quòd reipsa sit similis duobus actibus nostris, quorum altero finem intendimus, & altero eligimus media, causante intentionis actu actũ electionis, fundamẽtum nobis præbet, vt eum actum concipiamus potius instar intentionis præmouentis ad electionem, quàm instar electionis præmouentis ad intentionẽ. Hic, & in similibus casibus non plus rei inuenio, vt verum ingenuè fatear. *Ad secundum*. Est æquiuocatio. Intentio efficax finis non determinat *vniuersaliter loquendo* ad ea, quæ intendenti non apparent necessaria ad consecutionem finis: cum hoc tamen constat, intentionem finis *singulariter loquendo* nempè hanc singularem intentionem finis, non præcisè quia est intentio efficax finis; sed quia est hæc, determinare talia singularia media præ alijs, quanuis ea præ alijs non requirantur ad finem. Sic non omnis amor charitatis erga Deum excludit omnia peccata actualia mortalia, & venialia; potest tamen dari singularis amor erga Deum adeò feruens, vt ea omnia peccata excludat. *Ad tertium*. Negatur minor. Nã se prudentissimè determinabit ad electionem, quanuis simul, & eodem actu finem amplectatur, & media, non videns prius intentionem exercitam, & postea procedens ad electionem: sci-

scilicet, eò præcisè quòd antei determinationem finis plenissimè perspiciat bonitatem finis, efficaciam mediorum, & cuncta, quæ euenient ex hypothesi talis determinationis.

DISPVT. XXII.

Diuisiones diuinorum affectuum.

HÆc disputatio necessaria est ad complementum præcedentium.

CAP. I.

Volũtas signi, & beneplaciti. Antecedens, & consequens.

1 DIuina voluntas diuidi consueuit ab antiquis Theologis in voluntatem beneplaciti, & voluntatem signi. Cuius diuisionis meminit Mag. in 1. distinct. 45. & 46. D. Thom. 1. p. q. 19. art. 11. & 12. Voluntas beneplaciti est illa, per quã Deus formaliter, ac propriè vult aliquid. Voluntas signi non est propriè, & formaliter volitio; sed est quoad nos indicium volitionis, quod figuratè accipitur pro re indicatâ: quemadmodum in phrasi sacræ Scripturæ interdum sumitur obiectum amatũ pro volitione, per quam amatur, iuxtà illud 1. Thessalon. 4. *Hæc est voluntas Dei sanctificatio vestra.* Et Matth. 11. *Qui fecerit voluntatẽ Patris mei.* Signa verò, vel indicia, quæ apud nos indicant aliquam in Deo volitionẽ, vel aliquem affectum existere, numerantur communitèr quinque cum D. Thom. sup. quæ hoc versu comprehenduntur.

Præcipit, aut prohibet, permittit, consulit, implet.

2 OBseruandum tamen est id, quod benè notatum inuenio apud Auersa in præsenti sect. 13. vers. *Alia diuisio*, voluntatem signi, prout à D. Thom. & alijs Theoll. antiquis vsurpatur, non esse accipiendam pro operatione, & effectu Dei, quatenus nobis significant, & à posteriori probant decretum efficax Dei circa eam operationem & effectum. Nam hoc modo signum constituens volũtatem signi potius esset diuidendum per omnia genera, & species operationum, & effectuum ad extra, quã per illa quinque signa, quæ D. Tho. assignauit. Vnde signum, in quo stat voluntas signi, prout à primoribus Theoll. accipitur, ponendum est, ni fallor, in illis effectibus Dei, qui procedentes à decreto diuino efficaci innuere solent, more humano loquẽdo, affectum alium in Deo; talisque affectus quandoque datur, & quandoque non datur. Explicatur in singulis quinque

sig-

signis sapientèr recensitis ab Angelico Præceptore. *Primò*. Præceptum oritur à decreto efficaci præcipiendi: at præter hoc decretum, innuit, humano more loquendo, affectum, vt actio præcepta mandetur executioni: quia frequentèr homines volunt executionem eius, quod præcipiunt. *Secundò*. Prohibitio venit ex decreto efficaci prohibendi; more tamen humano rursus innuit affectum nolitionis circa executionem rei prohibitæ; quia frequentèr humani legislatores, nisi nimiæ sint malignitatis, ea nolunt, quæ seuerè prohibent.

3 *Tertiò*. Permissio, quæ stat in non-impedire, quod impedire pores, prouenit ex decreto efficaci permittendi; sed iuxta morem humanum indicat rursus nonnullum affectum circa rem permissam, quia in hominibus solenne est nonnihil affici erga rem, quam non impediunt, maxime si facillime possunt impedire. *Quartò*. Consilium prouenit ex efficaci decreto consulendi; sed iuxta morem humanum indicat rursus affectum ergà rem consultam, quia frequens hominibus est non inducere consilijs, nisi ad ea, quæ ad effectum perduci desiderant. *Quintò*. Operatio (quæ significatur illo verbo *implet*) sæpè talis est, vt non solum oriatur ex efficaci decreto ipsius; sed iuxta morem humanum indicat alium affectum. V. g. acris, & seuera punitio (vt vtamur exemplo D. Thom. sup. art. 11. in corp.) non solum prouenit ex efficaci decreto puniendi; sed iuxta morem humanum passionem, vel affectum iræ innuit. Nam hominibus acriter castigantibus frequens est irâ corripi ad puniendum. Vnde, sicut dicebamus, affectus signatus voluntate signi quandoque datur in Deo, & quandoque non. Nam frequentissimè dantur in Deo volitiones rerum, quas præcipit, & consulit, nolitionesque actionum, quas prohibet; nunquam vero Deo inest siue affectus erga peccata, quæ permittit; siue passio iræ circa peccatores, quos seuerè mulctat. Quæ doctrina consonat D. Thomæ sup. art. 12. ad 2.

4 At statim occurrit difficultas, cuius post D. Thom. sup. art. 11. in 2. argum. & post alios antiquos, meminit P. Ruiz de Volunt. disp. 17. sect. 2. quia, cum Deus nequeat falsum adhibere signum, quomodo potest adhibere signum affectus, quem non habet? Omissis solutionibus ex Albert. Alex. & Dur. quas adæquatè non satisfacere, bene probat P. Ruiz sup. melior omnium solutio est, quam adhibet D. Thom. art. 11. ad 2. si benè percipiatur: nimirum signa, in quibus consistit diuina voluntas signi,

ni, non esse prò prie, siue naturaliter, siue ex beneplacito Dei signa, quibus Deus testetur affectum, quem non habet: nam omnino repugnat Deum testari falsum: sed sunt large signa, quatenus sunt obiecta, ex quibus coniunctis cum eo, quod in nobis in simili contingit, ansa potest arripi, vt fallamur putantes, in Deo existere affectum, qui nō existit. Deum autē ponere posse eiusmodi obiecta, indubitatum est.

5 Ex dictis prompta est decisio dubij, quod hīc occurrit: Num scilicet voluntas signi cōiunctam secum afferat voluntatem beneplaciti? Negant S. Th. eo art. 11. ad 2. vbi Bañez, Gab. in 1. dist. 46. q. 1. P. Vazq. disp. 83. cap. 1. Herrera in 1. dist. 23. Affirmant P. Molina ad artic. 12. §. vlt. Zumel ibid. Smising. de Deo vno, tract. 3. disp. 5. num. 23. Fœlix de Volunt. cap. 5. diffic. 1. P. Suar. lib. 3. de attribut. cap. 8. P. Ruiz sup. sect. 3. P. Granad. de Volunt. tract. 5. disput. 2. num. 3. Hæc tamen apparens discordia facilè redigitur ex dictis in veram concordiam. Nam signum constituens voluntatem signi vel potest referri ad decretum, ex quo causatur; vel ad alium affectum, quem indicat. Iuxta primam comparationem secum affert necessariò coniunctam voluntatem beneplaciti, quia quodlibet à Deo per se causatum secum affert vēram, & propriam voluntatem Dei, per quam causetur. Iuxta secundam comparationem non affert secū necessariò, & semper coniunctū cum affectum, quem humano more innuit, vt patet in irâ, & in affectu ad peccatum, quæ punitio, & permissio secum in creaturis afferre solent. Vnde, secundùm hanc comparationem, tametsi voluntas signi coniungi soleat cum affectu indicato; ea tamen coniunctio de ratione ipsius non est. In primo sensu accipiendi sunt affirmantes. In secundo negantes.

6 Ex dictis sciendum est *primò*, id quod bene obseruat P. Granad. sup. n. 6. cum Albel. verum esse modum, quo diximus sup. *operationem* constituere voluntatem signi. *Secundò*, notante optimè D. Tho. art. 12. in corp. prædicta quinque signa sunt ea, ad quæ reduci possunt illa, quibus innuitur, quomodo nos habemus in ordine ad nostram; & in ordine ad alienā voluntatem. Nam *operatio*, prout signū condistinctum ab alijs quatuor, est indicium monstrans exterius, quomodo voluntas se habet interius. In quo signo includendæ sunt operationes directè voluntariæ, & omissiones operationum, quas possumus exercere, quæ omissiones indirectè volūtariæ dici solent. In ordine autem ad voluntates alienas, quas

non possumus determinare; sed inclinare, nos habemus vel obligãdo: & hoc fit per præceptum, quod ligat ad rem præceptã; vel per prohibitionem, quæ ligat ad omittendam rem prohibitam: vel non impediendo alienæ voluntatis exercitium, quod impedire possemus; & hoc fit per permissionem: vel neque ad tale exercitium se habendo tam debili modo, ac purè permissiuè; neque adeò vrgenti, ac præceptiuè; sed inclinatiuè, vel inuitatiuè; & hoc fit consilijs, ad quæ reuocari possunt preces, similesque modi voluntatem flectendi, sicut ad prohibitionem cõminationes. Nec dissimili modo poteris ad eã quinque signa reuocare, quæ assignant Guillelmus Estius in 1. dist. 45 § 7. & P. Martinon de Deo, disp. 15. sect. 3. num. 20.

7 Expositâ voluntate signi, veniamus ad diuisiones voluntatis beneplaciti. Hæc primò diuidi solet in volũtatẽ antecedẽtẽ, & consequentẽ. Hos terminos diuersè diuersi explicant. Omissis illis explicationibus, quæ iam cõmuniter deseruntur, vt infirmo fundamẽto innixæ, quę legi possũt apud P. Val. 1. p. q. 19. punct. 2. col. 2. P. Suar. lib. 3. de Attributis cap. 8. P. Vazq. 1. p. disp 83. cap. 3. sciendum est, non esse dubium, quo pacto possint isti termini vsurpari. Nam pro libito hominũ possent intelligi de pluribus antecessionibus, & subsecutionibus, quę circa rem præsentem non adhuc venerunt in mentem Theologorum. Quamobrem dubiũ est duntaxat, quomodo accipiendi sint ad mentem eorum Patrũ, à quibus primò vsurpati sunt. Patres isti fuerũt D. Chrysost. hom. 1. in Epist. ad Ephes. exprimens has voluntates sub nominibus primariæ, ac secundariæ. S. Damascenus lib. 2. fidei Orthod. illis verbis: *Illud quoque nos ne fugiat, Deum, vt bonitate præstantem, primariè quidem omnes homines seruari, ac regni sui compotes esse velle: vt iustum autem ijs quoque, qui peccant, pœnam inferni nihilominus velle. Ac prius illud antecedens voluntas, seu beneplacitum dicitur, ex ipso manans: secundum autem insequens voluntas, atque permissio à nostro vitio ortum ducens.* Idem repetit in Dialogo contra Manichæos versus finem. Patres alios non absimiliter loquentes vide, si placet, apud P. Ruiz de Volunt. disp. 19. & 20.

8 P. Molina ad art. 6. huius quæst. disp. 1. ait, voluntatẽ cõsequentem, esse actum liberum diuinæ volũtatis, quo Deus vult aliquod obiectum propter adiũctas circumstantias, cum tamen habeat velleitatem circa oppositum. Sic Deus propter peccata hominum vult ipsorum damnationem, cum tamen habeat cõplacentiam simplicem, quam velleitatem vocant, circa salutẽ ipso-

ipsorum. At voluntas antecedēs est actus liber, quo præcisiuè ab adiunctis circūstantijs vult Deus aliquod bonū secundùm se sumptum citra vellcitatem ad oppositum, quo pacto vult omnium salutem ūne complacentia circa salutis carentiam. ¶ P. Vazq. sup. cap. 3. putat, iuxta Chrysost. & Damascenum, eam voluntatem esse antecedentem, per quā Deus aliquid vult ita purè ex se ipso, vt non eam concipiat, captatâ ex creaturis occasione; & hanc voluntatem putat esse posse, non solum inefficacem; sed etiam efficacem, vt quādo Deus vult præuenire hominem gratiâ vocationis. P. Suarez supra conueniens cum D. Thoma infra citando in explicatione voluntatis antecedentis, & consequentis, censet D. Thom. & D. Damascenum nonnihil discrepare, quatenus, iuxta Damascenum, omnis illa voluntas est antecedens quâ Deus purè ex se ipso bonum vult creaturis siue efficacitèr, siue inefficaciter. At, iuxta D. Th. omnis voluntas efficax est consequens.

9 S. Thom. 1. p. q. 19. art. 6. ad 1. de verit. q. 23. art. 2. & in 1. dist. 46. q. 1. art. 1. ad finem corp. & 1. ad Timoth. 2. lect. 1. post mediū subtilitèr explicans mentem Damasceni, ait, bifariam posse rem accipi. *Primò* secundū se, in vniuersali, & abstractè (id est, præscindendo ab adiunctis contingentibus) secundùm primariam cōsiderationem (id est, secundùm considerationē prædicatorū essentialiū rei) *Secundò* nō solū secundū se, abstractè, & absolutè; sed secundū adiuncta, & peculiares circumstantias ipsi rei adiacentes: item, non solum secundùm primariam, antecedentem, & essentialem consideration; sed secundùm considerationem secundariam, cōsequentem, & accessoriorum cōsiderationem, *cōsideratis omnibus circumstātijs particularibus.* Hoc posito. Voluntas, quæ fertur in rem spectatam secūdùm primariam, & essentialem considerationem est antecedens. At, quæ fertur in rem spectatam secūdū considerationem secundariam, & accidentalem, nempè *consideratis omnibus, &c.* est voluntas consequens. Illustratur subiunctis corollarijs, quæ sequuntur.

10 Nam *primò*. Interdum idē obiectum terminat voluntatem antecedentem, & etiā cōsequētem. Sic se habet prædestinatorū salus: hæc enim terminat voluntatē antecedentē diuinam, quatenus Deus affectu simplici cōplacet in bonitate, quam ea salus importat secundùm se spectata: simplici, inquam, affectu, qui ex suo modo amandi non aliam eius salutis considerationem postulat, quam illius considerationem naturalem, & essentialē. Terminat rursus voluntatē con-

sequentem, quatenus terminat decretum, quo Deus sic resolutorie statuit * Decerno, vt hæc salus executioni mandetur * Ad hunc autem statuendi modum summè prudentè, vtpote diuinum, postulatur, vt Deus consideret omnia etiã accessoria salutì æternæ: v.g. an, posità ea executione hîc, & nunc, dabitur salus æterna merenti; an verò non promerenti ipsam, &c. *Secundò*. Interdum idem obiectum terminat volitionem antecedentè; non autem volitionẽ cõsequentem; sed potius nolitionem. Sic Deus habet hos duos affectꝰ circa reprobum: *Placet mihi id, quod est hunc hominem esse saluũ*. Item, *Quandoquidem hic homo decedit in peccato mortali, nolo, vt salutẽ æternam consequatur*. Prior affectus de se requirit primariã cõsiderationem salutis præcisè. Posterior secundariam, nempè hîc, & nunc dignum esse hunc hominem, vt eam salutẽ nõ obtineat.

11 *Tertiò*. Quia cõsideratio, quæ primaria, & essentialis non est respectiuè ad aliquã rẽ secundùm se acceptã, potest esse primaria, & essentialis respectiuè ad aliquod cõplexum ex ipsa, & ex alio, ideo ex tali cõsideratione potest haberi voluntas antecedens circa tale cõplexũ. V.g. cõsideratio, per quã Deus considerat essentiã huius cõplexi. *Cõiungi gloriã cum meritis*, quæ est consideratio primaria, & essentialis eius complexi, potest mouere Deũ ad cõplacentiã simplicẽ circa tale cõplexũ, & ea cõplacentia est volũtas antecedẽs. *Quartò*, vt expressit D. Th. loc. cit. ex 1.p.q.19.art.6.ad 1. voluntas antecedens nõ est voluntas simpliciter, definitiuè, & efficaciter decernens obiectũ; sed est volũtas secundùm quid sui obiecti, est cõplacentia simplex circa ipsum, est velleitas; non amor definitiuus, ac resolutorie decretorius; contrà verò voluntas consequens. Nã affectus, qui ex suo tendendi modo postulat præcisè cõsiderationem primariam, & essentialem rei, nõ plus est, quàm simplex cõplacẽtia erga rem; affectus autem, qui rursus postulat considerare omnia, quæ accident, si res mandetur executioni, non potest esse alius, quàm plenissimè decretorius ipsius. Hinc, decretum, quo Deus vult hominem præuenire gratiã vocationis, ideo erit voluntas consequens, quia postulat considerationem omnium, quæ accident, eã vocatione data. In hac explicatione, quam ingenio plane Angelico tradidit D. Thom. notetur obiter, quã ab Angelico Præceptore deflexerint Auctores, quos adduximꝰ disp. 12. c. 2. negantes Deo simplicem cõplacentiã circa res consideratas secundùm prædicata essentialia.

12 Prædictæ expositioni volũtatis antecedẽtis, & cõsequẽtis subl-

subscribunt Albel. disp. 56. Ioan. à S. Tho. 1. p. q. 19. disp. 5. art. 8. P. Granado de Volunt. tract. 5. disput. 1. & communiter Thomistæ. Franciscus Fœlix (qui pro se affert Scotum) de Vol. cap. 5. diffic. 2. à num. 15. Omitto dissidiū inter Auctores huius sententiæ petitum ex eo, quòd alij volunt, eam simplicem complacentiam, seu voluntatem antecedentem esse liberam; alij necessariam. Nam de hoc satis in superioribus. In hac re. *Primò* arbitror, voluntates, quas D. Thom. explicuit, prout ab ipso explicantur, satis aptè dici antecedentem, & consequentem. *Secundò*, ingenuè fateor cum P. Vazq. & P. Suarez sup. nihil apparere in verbis Damasc. quòd omnia decreta efficacia excludat à ratione voluntatis antecedentis. Nam ad hanc postulat præcisè Damasc. quòd pure emanet à Deo, non arreptâ occasione ex aliquo præexistente in creaturâ. Plures autem voluntates efficaces huius conditionis esse possunt, vt patet in voluntate efficaci producendi primam creaturam, & in alijs, quæ non sumūt occasionē ex rebus præexistentibus. *Tertiò*, nihil similitèr apparet in verbis Damascen, quòd omnes actus purè inefficaces excludat à ratione voluntatis consequentis. Nam, vbi sit voluntas à nostro vitio ortū ducens, est consequens. Potest autem esse purè inefficax affectus, qui ducat ortum à nostro vitio, vt si Deus displiceat erga hominem propter peccatū cōmissum, eâ tamen simplici displicentiâ, quá nullū effectum decernat efficacitèr. Dicatur ergo, voluntatem antecedentem esse, quæ ex nullo præexistēte ex parte creaturarum ducit ortū; cōsequentem autem, quæ contrario modo se habet.

CAP. II.

Voluntas inefficax, & efficax, efficaciſque subdiuisio in disiūctiuā, ac determinatam.

13 DEinde. Voluntas Dei alia est efficax; & alia inefficax. Efficax est illa, per quā Deus sic vult, quòd obiectum existat, vt ex modo volendi obiectum, & tendendi ad hoc vt existat, maneat Deus determinatus ad illius existentiā. Inefficax autem est, quæ non sic tendit in obiectum. Hinc *primò*. Gaudiū circa obiectum existens non est amor efficax, quia non est affectus voluntatis tendentis ad hoc, vt obiectum existat; sed in existentiâ iam adeptâ quiescētis. *Secundò*. Simplex complacentia nessaria circa obiectum bonum, licet interdum sit quasi remotè efficiēs suum obiectum, quatenus mouet Deum ad decretum efficax, per quod efficitur tale obiectū; non tamen est efficax, quia ipsa de se nō relinquit Deum determinatum ad existentiā talis ob-

iecti; sed indifferentem ad existentiam, & non-existentiã. *Tertiò.* Licet voluntas illa generalis, per quam Deus vult omnes homines saluos fieri, non sit præcisè complacentia simplex necessaria circa salutem omnium; sed amor liber eius salutis, vt dicebam disput. 6. de Prædest. non tamen est simpliciter efficax eius salutis, quia non relinquit Deum simpliciter determinatũ ad existentiam talis salutis; sed summùm determinatum, vt ea salus non deficiat, nisi aliquo interueniente abusu creati arbitrij. *Quartò.* Non omnis Dei voluntas impletur: quod non arguere imperfectionem in Deo patet ex loc. cit. *Quintò.* Impletur tamen omnis voluntas efficax Dei, nempè omnis illa, quæ sic Deum afficit erga obiectum, vt non sinat Deum præstare, vel permittere, quòd tale obiectum impediatur. Esset enim contra Dei omnipotentiam non impleri talem voluntatem. Nam ad diuinam omnipotentiã spectat, quòd nihil fiat nisi Deo faciente, vel permittente. De hac voluntate efficaci sunt intelligenda testimonia illa Script. Isai. 46. *Consilium meum stabit, & omnis voluntas mea fiet.* Esther 13. *Non est, qui possit tuæ resistere voluntati.* Ad Ro. 9. *Volũtati eius quis resistet?*

14 Difficile tamen videtur volũtatem inefficacem liberam in Deo defendere iuxta sententiã totam disp. 16. discussam partialiter constituentem actus liberos Dei per extrinseca connotata. Nam, ei sententiæ insistendo, omnis amor liber Dei circa gloriam constituitur in recto per actum necessarium diuinæ voluntatis; & de connotato per productionem gloriæ. At, iuxta eam sententiam, non est aliud amor efficax Dei circa gloriam, quàm actus ita constitutus: ergo, iuxta eam sententiam, omnis amor liber Dei circa gloriam est efficax. ¶ Dici tamen poterit, insistendo principijs eius opinionis, iunctis illis, quæ dedimus disp. 17. n. 30. voluntatem liberam Dei; inefficacem tamen circa gloriam, constitui de connotato per modum quendã alicui rei creatæ affixum, qui simul cũ actu necessario diuinæ voluntatis cõstituit Deum ita circa gloriam affectum, sicut in alia sententiâ constituit libera terminatio inefficax circa gloriam. Similiter, iuxta eam sententiam, dici poterit decreta efficacia, præsertim intentiua, & antecedentia ad executionem rei intẽtæ, constitui de connotato per modum alium alicui rei creatæ affixum, qui simul cum actu necessario diuinæ voluntatis constituit Deum ita se habentẽ circa rem intentam, sicut in alia sententiâ se habet per terminationem liberam efficacem.

15 At præter Basiliũ Legion. &

& alios Theologos, quos citat P. Herice disp. 17. cap 3. n. 45. & 50. qui negant Deo voluntates *formales* inefficaces: idem denuo negat P. Recupitus tom. 2. in 1. p. lib. 2. q. 10. Mouetur. Quia voluntas illa, quâ Deus fertur in salutem omnium, dicitur conditionalis: nam per illam Deus ipsorum salutem sub certis conditionibus vult. Ergo non est inefficax. Nam vel conditio purificatur; vel non? Si primum: iam ea voluntas sortietur effectum, ac proinde iã erit efficax. Si autẽ non purificatur conditio, non minus ea voluntas implebitur. Nam qui volitionem habet, vt aliquid ponatur sub certâ conditione, pariter habet nolitionem, vt ponatur, si desit cõditio. V.g. qui hoc modo se exercet: *Volo hoc, si Rex consenserit, & non aliter*, pariter habet hunc actũ. *Nolo hoc, si non consenserit.* Ergo Deus volens salutem omnium, si per ipsos non steterit, pariter est nolens illã, si gratiæ suæ desint. Cũ igitur gratiæ diuinæ desint, qui non saluantur, fit, negatâ ipsis salute, diuinam impleri volũtatẽ. Patet ergo illam voluntatẽ impleri, siue datâ, siue negata salute. Vnde Recupitus concludit sup. n. 14. *quòd in Deo omnis volitio libera sit efficax, & sic quòd dari non possit in Deo actus liber, & inefficax.*

16 Hic tamen discursus non est firmus. *Primò*: quia, licet ea voluntas dicatur conditionalis; non tamen omnis voluntas libera inefficax est cõditionalis. Nã Deus vult, non quidem cõditionaliter; sed absolutè, & quidẽ libere, conuersionem impiorũ, vt constat ex loc. cit. de Prædest. Vultque similiter abstinẽtiã hominũ à peccatis, iuxta illud Pauli ad Thessalon. 4. *Hæc est volũtas Dei sanctificatio vestra, vt abstineatis vos à fornicatione, &c. & ne quis supergrediatur, neque circumueniat in negotio fratrẽ suum.* Vbi constat, Deum voluisse actualem continentiã, & iustitiã, & quidẽ non restrictè ad conditionẽ nũquã extiturã, sed prout res iacebant; & tamen indubitatũ videtur, aliquos ex Thessalonicensibus eam cõtinentiã, & iustitiam neglexisse. *Secundò*: falsũ est, qui volitionem habet, vt aliquid ponatur sub certa cõditione, pariter habere nolitionẽ, vt ponatur, si desit conditio. Nam esto id interdum contingat; non semper. Nam quis dubitet, hominẽ bene affectum ad statũ religiosum posse proponere religionẽ ingredi *saltẽ* sub cõditione, quòd pater consenserit, neq; reijciens interim; neque decernẽs ingressum, tametsi pater resistat? *Tertiò*: ea voluntate generali gloriæ, non solum Deus vult gloriam sub cõditione, quòd nõ desint homines gratiæ diuinæ; sed absolute vult; inefficaciter tamen cõiunctum hoc *Nõ deesse*

homines gratiæ Dei, & sic adipisci gloriã, quę volũtas nõ impletur, deficiẽtib⁹ hominib⁹ gratiæ Dei.

17 Porrò volũtas efficax subdiuiditur in decretũ efficax determinatũ, & disiunctiuum. Determinatũ est, quo Deus ita efficacitervult talẽ rẽ singularẽ existere, vt ad ipsius existẽtiã determinatus maneat, scilicet ad non sinẽdũ, quòd aliqua ex parte impediatur. Disiunctiuum est, quo Deus efficaciter vult, talẽ rẽ singularẽ, vel aliam existere, nõ determinando tali decreto alterã præ altera; sed nõ deesse vtrãq;. Dubiũ est inter nostros præcipuè RR. agitatũ, an hæc decreta disiunctiua sint Deo possibilia? Negat P. Petrus Hurtado de Incarn. disp. 13. sect. 8. Affirmat P. Ripto. 2 de Ente sup. disp. 86. sect. 5. à n. 34. P. Arriaga 1. p. disput. 35. sect. 7. P. Ald. de Incarn. disp. 26. sect. 2. n. 10. & cõmuniter nostri RR. quibus ego subscribo. *Primò*. Quia, cũ libertas Christi D. conducens sit ad actus incõpossibiles æqualis valoris, & honestatis, quorũ alter nõ sit dignior, quàm alter amore Dei, satis ex se verosimile apparet, posse Deum eã libertatẽ decernere, vt vnus, aut alter eorũ actuũ exerceatur, non magis volendo vnũ, quã alterũ: hoc autẽ est ferri disiunctiuè circa prædictos actus. *Secũdò*. Nã cõsequentèr ad disp. 13. Deꝰ habet circa prædictos actus cõplacentiam simplicem necessariam allicientem ad ipsorũ existentiam. At non allicientem ad existẽtiam simultaneã ipsorum, quippè sunt incompossibiles; neque allicientem magis ad existẽtiam vnius, quàm ad existẽtiam alterius, quippè sunt æqualis amabilitatis: ergo disiunctiuè allicientem ad hoc, vt vnus, aut alter ponatur. Cur igitur non poterit diuina voluntas simili modo disiunctiuo decernere liberè ea extrema, circa quæ necessariò versari potest per complacentiã disiunctiuam?

18 Etenim iam constat non arguere imperfectionem in Deo tendentiam disiunctiuam in genere sumptam, vt patet in prædicta complacentiã, necnon in scientia, per quã Deus necessariò cognoscit, neque hãc actionẽ A. neque B. &c. requiri ad existẽtiã Petri; neque hoc decretũ A. neque B. &c. sed vnam, vel aliam actionem; vnũ, vel aliud decretũ efficax circa Petrũ ad eius existentiam requiri. Deinde non est aliud caput, ex quo imperfectionẽ arguant in Deo prædicta decreta disiunctiua, vt constabit ex argumẽtorũ solutione; necnon ex eo, quòd potest Deus dupliciter versari liberè circa salutẽ æternã. *Primò*, per amorẽ inclinatè efficacẽ determinantẽ ad exhibẽda media sufficiẽtia pro cõsecutione salutis. *Secũdò*, per amorẽ cõsũmatè efficacẽ determinãtẽ ad exhibẽda media efficacia

cacia cõiũgenda infallibilitèr cũ adeptione eiusdem: ergo similiter Deus pro sua libertate poterit bifariam ferri liberè circa merita salutis, vel determinatè decernendo, vt talibus singularibus meritis obtineatur; vel indeterminatè decernẽdo, vt vel his meritis, vel alijs acquiratur. Et quidem, quæ pugnare videntur contra hæc decreta disiunctiua, pugnant pariter contra ea, quæ proposuimus, & aduersarij non negant.

19 Obijcitur primò. Talia decreta disiunctiua arguunt imperfectionẽ in Deo. Tum, quia talibus decretis non fertur *distinctè* diuina voluntas circa tale obiectum singulare; sed *confusè* circa hoc, vel illud: at confusio dicit imperfectionẽ, ideoque procul à Deo est omnis præcisio intellectualis, per quã cognoscat hominem *vt sic*, non discernendo singularitates. Tum, quia affectus, quo Deus decerneret finem, vt faciendum per medium A, vel per medium B, insufficiens esset se solo ad positionem finis. Nam ad huius positionem desideraretur alius affectus determinans alterũ medium præ altero. At decretum efficax obiecti insufficiens ad positionem obiecti est imperfectum; ergo tale decretum disiunctiuum est imperfectum.

¶ Negatur antecedens. Ad primam probationem dicatur. Importat imperfectionem confusio obscuritatis in cognoscendo; non autem indeterminationis in decernendo, siue propriè; siue impropriè talis indeterminatio dicatur *confusio*, de quo non curo. Ratio prioris est: quia imperfectio mentis est non distinguere clarè, quæ re ipsa distinguuntur, suntque clarè discernibilia. Item, cognoscere obiectum instar illius, quod nõ est. Tandem, non penetrare ipsum penetratione sufficiente ad distinguendum illud à quolibet alio: in quibus stat confusio obscuritatis in cognoscendo. Ratio posterioris est. Nã indeterminatio in decernendo, de qua nunc loquimur, stat præcisè in eo, quòd decernens sic afficiatur erga aliqua obiecta, vt neque disponere, neque permittere valeat omnia illa impediri; tametsi disponere, vel permittere possit quoduis eorum seorsim acceptum nõ existere. Hoc autem non arguit imperfectionem decernentis; sed libertatem ipsius nolentis se magis determinare, sicut posset non se determinare adhuc disiunctiue.

20 Ad secundam probationem, concessâ maiore, distinguo minorem: esset imperfectũ imperfectione negatiuâ non dicendi omnes perfectiones speciales aliorum decretorũ, transeat minor. Nam hoc modo se habere decreta Dei videtur certum:

tum: ideoque Deum decernere Iudam reijcere à gloriâ non habet illam specialem perfectionē liberam, quæ esset in decreto admittendi ipsum ad regnum. Imperfectione, quæ minus bonam arguat diuinam voluntatem, nego minorem: & sub eadem distinctione occurrendum est conclusioni. Vt enim non arguit in diuina voluntate defectum perfectionis; sed libertatis præstantiam posse bifariam tendere liberè in salutem hominū, nempè non omnino efficacitèr, & omnino efficacitèr; sic etiam posse ferri in obiecta tùm disiunctiuè; tum etiam determinatè.

21 Obijcitur secundò. Qui perspectissimas habet omnes cōuenientias, conducentias, & proportiones mediorum ad finem, non decernit finem suspēdendo determinationem mediorum; sed eodem actu decernit finem, ac determinat media. Atqui Deo cuncta illa notissima sunt, vt patet: ergo Deus eodem actu decernit finem, ac determinat media, proindeque tàm videtur impossibile Deo decernere finem, & indeterminatè versari circa media, quàm impossibile est decernere finē, non perspectis optime medijs. Respon. Maior est vera, frequentèr loquendo; non tamen est necesse semper esse veram: potest enim prouenire ex libertate Dei, quòd, etiam omnibus illis ipsi perspectissimis, velit se exercere erga media duplici actu: altero disiunctiuo non determinante vnum medium præ alio; & altero determinante vnum præ alio, vt nuper dicebamus.

22 Obijcitur tertio. Decretum disiunctiuum efficax infert infallibilitèr; & non infert suum obiectum: ergo est implicatorium. Prior pars antecedentis patet, quia de ratione decreti efficacis est sic inferre obiectū, quod decernit. Posterior pars probatur: nam implicat existere obiectum decreti disiunctiui: huius enim decreti obiectum est aliquid indeterminatum: omne autem, quod potest existere, est vel singularis, ac determinata res, vel singularis, ac determinata multitudo singularium rerum. Confirmatur primò. Nam eo decreto, quo Deus decernit humanitatem Christi, vult illam existere ab alio, nam essentialitèr est ens ab alio: ergo eo decreto vult eam produci ab alio. At non per productionem indeterminatam, quia solùm produci potest per actionem determinatam: ergo vult eam produci ab alio per talem singularem, ac determinatam productionem: & consequentèr locus non erit, vt diuina voluntas versans determinatè circa terminum, vertetur indeterminatè circa actiones, quibus ille produci potest.

Con-

Cõfirmatur secundò. Quia perinde est dicere * Volo existere humanitatem hanc per actionẽ A. vel per actionem B. * ac si diceretur * Volo existere per A. si non voluero existere per B. & similitèr conuersim * Hinc autem volendi modus indignus est, & puerilis, ideoque Deo repugnans.

23 Ad argumentum respõdeo. Prior pars contradictionis est vera cum limitatione mox adhibendâ; posterior autem est falsa. Ad cuius probationem negatur implicare [illegible] eius decreti. Probatio implicationis distinguitur sic. Tale obiectum est indeterminatum ex parte sui indeterminatione excludente singularitatem entitatiuam: est falsum. Est indeterminatum ex parte decreti indeterminatione in eo consistente, quòd decretum indifferenter respiciat obiecta, circa quæ versatur: est verum. Tametsi autem impossibile sit quicquid singularitatem entitatiuam excludit; possibile tamen est decretum diuinum indifferentèr versari modo statim declarando circa singulares, ac determinatas res creatas. Explicatur. Decernat sic Deus, *Statuo humanitatem Christi existere, vel per actionem A. vel per B.* Distinguẽda hic sunt duo. *Primum*, obiectum, quod decernitur. *Secundum*, modus decernendi se tenens intrinsece ex parte decreti. Quod decernitur, non est aliud, quàm singulares, ac determinatæ actiones A. & B. Modus decernendi (vi cuius decretum dicitur disiunctiuũ, & indeterminatum) est modus permittens non existere actionem A. nec non permittens nõ existere actionem B. pugnans tamen cum eo, quòd vtraque simul desit. Hinc oritur limitatio, quæ adhibenda est illi propositioni * Decretum disiũctiuum efficax infert infallibiliter suum obiectum * Non enim illud infert modo inferendi determinato non permittente defectum cuiusuis sui obiecti seorsim accepti; sed modo inferendi disiunctiuo, & Indeterminato, scilicet, permittente defectũ cuiusuis sui obiecti seorsim accepti; cum eo tamen pugnante, quòd obiecta omnia, circa quæ vagatur, deficiant simul.

24 Ad primam confirmationem, concesso antecedente, & admissâ priori consequentia, distinguenda est minor subiuncta: verum enim est Deum non decernere, quòd producatur terminus per actionem indeterminatam, id est, non singularem; at falsum est non decernere, quòd producatur per actionem eo decreto non determinatam præ aliâ; nam eo decreto sic Deus vult existere terminum per actionem singularem A, vel per actionem singularem B. vt

eo

eo decreto non determinet A. præ B. aut B. præ A. Vnde similiter distinguendum est primum consequens hoc modo. Vult produci per talem singularem actionem, determinante eo decreto illam præ alia, nego consequentiam; non determinante eo decreto illam præ alia, concedo consequentiam: vltimaque consecutio negatur. ¶ Ad secundam confirmationem respond. Perinde est in genere effectiuo prædictum decretum indeterminatum; vel, vt melius loquar, indeterminans actiones, ac esset decretum illud conditionatum, si caderet in Deum. Nam sicut hoc decretum conditionatum determinaret Deum ad efficiendam actionem A. excluso decreto circa actionem B. ita similiter prædictum decretum disiunctiuum; non tamen perinde est in genere affectiuo decretum disiunctiuum, & decretum conditionatum: quia, vt constabit ex cap. 5. longè diuerso modo afficitur voluntas erga obiectū per decretum disiunctiuum, & conditionatum. Deinde, transmissa minori, de qua modo non disputo, tantùm sequitur hunc modum tendendi neque puerilem, neque indignum * Decerno existere humanitatem Christi productam aliqua actione: quâ verò, decernetur alio decreto * æquiualere in genere effectiuo alij actui indigno, si caderet in Deum: quod nihil interest. Nam, vt omittam alia, perinde est in ordine ad hoc, vt peccata committantur, permittere illa propter altissimos fines, ac esset permittere illa propter prauos fines, quod indignum Deo esset.

CAP. III.

Diuisio decretorum efficacium in absoluta, & conditionata.

25 DEcretum efficax diuidi [illegible] in decretum absolutum & conditionatum. Absolutum accipi potest, vel pro absoluto ex parte subiecti tantùm; vel pro absoluto ex parte subiecti & obiecti simul. Absolutum ex parte subiecti tantùm, dicitur illud, quod absolutè, & simpliciter existit in decernente; per illud tamen non decernitur, quòd aliquod obiectum existat absolutè. Absolutum ex parte subiecti, & obiecti simul dicitur illud, quod & absolutè existit in decernente; & per illud decernitur, quòd aliquod obiectum existat absolutè. Conditionatum cogitari potest diuersimodè. *Primò.* Conditionatum ex parte subiecti; & est illud, quod non existit absolutè in decernente; existeret tamen, si certa conditio poneretur. Sic modo non existit absolutè in Deo decretū conferendi Iudæ

Iudæ gloriam æternam; existeret tamen, si decessisset in gratia. *Secundò*. Conditionatum ex parte obiecti, & est illud, per quod non decernitur, quod aliquod obiectum existat absolutè; sed quòd existat, si certa detur conditio. *Tertiò*. Conditionatum ex parte subiecti, & obiecti simul, & est illud, quòd nõ existit; sed existeret; & aliunde, si daretur, non decerneretur per ipsum; quòd aliquod obiectum absolutè existat; sed quòd existat, si detur certa conditio. *Quartò*. (considerationibus alijs omissis, ne prolixus videar) Cõditionatum ex parte obiecti; & absolutũ ex parte subiecti; vel, vt alij loquuntur, absolutum ex parte actus, & est illud, quod absolutè existit in decernente; per illud tamen non statuitur, quòd aliquod obiectum absolutè existat; sed quòd existat, si detur certa conditio.

26 Porrò circa diuisionem istam indubitatum est, existere absolutè in Deo decreta, quibus statuit res creatas existere absolutè. Indubitatum etiam est, quòd, si certæ conditiones ponerentur, existerent in Deo decreta, quæ nunc non existunt. V. g. si plurium damnatorum decessus in gratiâ extitisset, existeret in Deo decretum ipsos saluandi. Vertitur autem in dubium, an Deo cõpetere possint decreta absoluta ex parte subiecti, & conditionata ex parte obiecti? Pars negatiua placet P. Vazquez 1. p. disp. 67. num. 11. cuius sententiam fusè defendit P. Alarcon tract. 3. disp. 5. cap. 8. & seqq. etiam in voluntate creatâ negans possibiles esse affectus conditionatos ex parte obiecti, pro quo etiam stare contendit P. Vazq. Idem Alarcon num. 9. pro sententiâ negante Deo tales affectus citat Henriquez, Mendoza, & Molinam apud quos Auctores non aliud inuenio, quã otiosum, & sine fundamẽto esse ponere in Deo decreta conditionata ex parte obiecti circa omnia futura cõditionalia. Stat autem pro sententia, quæ talia decreta negat esse Deo possibilia Author Anonimus de ordine cap. 21. ¶ At sententia affirmans possibilitatem talium decretorum placet P. Suar. lib. 2. de Scientia, cap. 7. lib. 4. de Prædest. cap. 2. num. 11. Prologom. 2. de Gratia, cap. 8. à num. 4. P. Ruiz de Volun. disp. 8. sect. 7. & disp. 71. de Scient. sect. 7. P. Arrub. disp. 45. cap. 4. P. Herice 1. p. disp. 7. cap. 7. P. Fasol. 1. p. q. 14. dub. 15. P. Tanner. disp. 2. de Deo, q. 10. dub. 3. num. 6. P. Martinon disp 14. de Deo, sect. 9. Ioannl à S. Tho. 1. p. q. 20. artic. 2. & 5. q. 19. disp. 5. art. 7. Carmelitanis Salmant. disp. 9. dub. 5. Aluarez lib. 2 de Auxil. disp. 7. & lib 1. Respons. cap. 4. Albelda 1. p. disput. 44. & com-

mu-

cretum dandi gloriam reprobis, si decedant in gratia, vtile est, vt promissio ipsis facta de gloria conferenda sub ea conditione sit perfectissima in ratione promissionis. Vtile est, vt certo agnoscant reprobi Deum non solùm obligare suam fidelitatem ad tam eximium ipsorum bonum, si per ipsos non steterit; sed etiam sub eadem conditione plenissimè affici diuinam voluntatem erga tanti boni collationem. ¶ Ad secundam probationem dicetur. Quanuis impossibile sit coniungi positionem conditionis secundùm se possibilis cum eo, quòd nunquã sit ponenda; tamen adhuc dato, quod nunquã sit ponenda, manet secundùm se possibilis, aliter quàm chymæræ productio, quæ nunquam est possibilis adhuc secundùm se. Vnde nihil mirum posse aliquid sub illa cõditione decerni; non autem sub ista. Cæterum, licet hæc solutio vera sit; non tamen est omnino plena. Sicut enim productio chymæræ impedita est sua impossibilitate, quominus existat; ita conditio possibilis nunquam extitura impedita est suâ sempiterna defuturitione, quominus existat: ergo sicut primum impedimentum præstat, vt sub ea conditione nihil serio decerni possit, idem præstabit postremũ impedimentum existendi.

31 Propterea, veram esse existimo doctrinam, quam benè notatam reperio apud P. Aldrete de Incarn. disp. 26. sect. 2. num. 4. nimirum, quanuis Deus non possit decernere euentum sub conditione, quam pro signo priori, vel independenter ab eo decreto iam videt absolutè non esse purificandam, vel absolutè videt esse purificandam; benè tamen sub conditione, quæ non est purificãda, vel sub conditione, quæ purificanda est, modò Deus independenter ab eo decreto non videat eam purificationem; vel non purificationẽ. Hinc fit primò, posse Deum decernere obiectum sub conditione secundùm se possibili, & indifferente, vt existat, & non existat, siue illa sit extitura; siue nũquã extitura. Quia potest Deus, vt postea exponemus, sic res disponere, vt neque talis conditio sit determinatè extitura; neque determinatè non extitura independenter ab eo decreto conditionato. Fit secundò, nõ posse Deum decernere obiectum sub conditione simpliciter necessaria, v. g. sub conditione prædicatorum essentialium Dei: quia tales cõditiones necessariò existunt absolutè, & à Deo videntur independenter ab omni decreto libero, vt absolutè existẽtes. Fit tertiò, non posse Deum decernere obiectum sub conditione simplicitèr impossibili, v.g. sub cõditione, quòd existat, vel

vel producãtur chymæra: quia talis cõditio necessariò nõ existit absolutè, & à Deo videtur independenter ab omni decreto libero, vt absolutè non existens. Ex quib⁹ patet ad id, quod afferebatur in fine num. præced.

32 Fit quartò, non satis firmo fundamento niti exceptionem decretorum conditionalium, quam adhibuit Doctor Eximius prologom. 2. de Gratia, cap. 8. num. 22. & seqq. P. Petrus Hurtado de Incarn. disp. 13. sect. 7. §. 204. Ea exceptio est, non posse Deum decernere obiectum sub conditione non pendente ab arbitrio creato; sed à sola libertate diuinâ. Motiua sunt. *Primò*, Quia nugatorium esset Deum decernere aliquid sub conditione à solo nutu ipsius Dei dependente, simulque decernere absolutè talem conditionem excludere. *Secundò*. Quià Deus per tale decretũ esset ex se paratus ad executionem obiecti, quod decernit; & non esset sic paratus. Primum, quia ea est decreti conditionati natura. Secundum, quia non est paratus ad executionem rei, qui conditionem petitam ad exequendum, quam pro solo suo nutu ponere potest, pro sua libertate excludit.

33 Ex dictis, inquam, horum infirmitas colligitur, vt benè vidit P. Aldrete sup. nostriq; RR. Nam, vt potest Deus decernere obiectum sub cõditione, quam ipse Deus videt non esse purificandam, & cuius existentiam facillimè, & infallibiliter posset ipse disponere, quantumuis ab arbitrij creati cooperatione pendentem, quia nimirum visio de nunquam purificãda conditione non existit independenter ab eo decreto, & cõsequentèr non existit accõmodatè ad impediendam existentiam eius decreti; sic poterit decernere obiectum sub cõditione, quam ipse Deus decernit excludere; quam tamen pro suo nutu ponere posset: scilicet, quia non decernit eam excludere decreto exclusiuo existente independenter à decreto conditionato. Similiter potest Deus disiũctiuè decernere, quòd terminus existat per actionem A. vel per actionem B. & quanuis hoc non constet cum eo, quòd independenter ab eo decreto disiunctiuo existat decretũ excludens actionem A. benè tamẽ cum eo, quòd pro posteriori ad decretum disiunctiuũ exerceatur exclusiuũ actionis A. Ex quo patet ad primũ ex num. superiori. Item ad secundum. Nõ enim infertur, Deum eo decreto non esse paratum ad executionẽ obiecti, quod decernit. Nam, vt Deus in eodem æternitatis momento pro signo indifferentiæ ad decernendum, ac nolendum mundum est ad vtrunque paratus,

tus, & expositus præparatione libertatis ad vtrunlibet, vt pro signo se determinādi ad decretum mundi reijcit nolitionem mundi, sic in eodem æternitatis momēto pro signo decernendi gloriā Iudæ sub cōditione, quòd decedat in gratia; vel decernēdi gloriam B. Virgini sub conditione, quòd illam eligat in Matrem, est paratus præparatione promptitudinis ad executionē gloriæ, prout conditio succesferit; cum quo stat reijcere, vel decernere pro signo posteriori conditionem.

34 *Quinto* ex nuper dictis sublucet ratio à priori, propter quam nequit existere independenter à decreto conditionato siue visio conditionis purificandæ, siue visio conditionis nunquam purificandæ. Etenim signum decreti conditionati est suapte natura signum promptitudinis, per quam expositus est decernens ad hoc, vt conditio existat, & nō existat; & ad hoc, vt euētus ponatur, aut nō ponatur, prout venerit, vel nō venerit cōditio. Eiusmodi autē prōptitudo nō est perceptibilis, nisi iudiciū firmū, & visio clara de purificatione, vel nō purificatione conditionis aliquomodo subsequens sit ad decretū cōditionatum, huiusque signū. At statim petes, quâ ratione possint decreta cōditionata præcedere ad decretum exclusiuum cōditionis? V. g. decernat Deus eximiā gloriam Annæ conferre, si eam eligat in Matrem Dei. Quomodo poterit hoc decretum antecedere ad decretū negandi Annæ talem maternitatem? Ratio dubitandi est, quia hæc antecessio nō est durationis, cum vtrūque decretum sit æternum: non est causalitatis, vel quasi causalitatis: licet enim benè percipiatur, tale decretū conditionatū posse aliquo modo allicere, & quasi causare moraliter decretum purificandi conditionem, vt eo modo perducatur ad effectum obiectum conditionalitèr præfinitum; ægrè tamen percipitur tale decretum conditionatum allicere posse, & aliquomodo causare moralitèr decretum exclusiuum conditionis. Quænam ergo est eiusmodi antecessio?

35 At in primis, vt sunt decreta cōditionata, quæ apta sunt mouere ad decretum purificatiuum conditionis; ita etiam quę apta sunt mouere ad decretum exclusiuum conditionis. Vt enim Deus decernens B. Mariæ incredibilem gloriæ celsitudinem sub conditione, quòd sit Mater Dei, potest, eo decreto viso, moueri ad conferendum Mariæ tantæ maternitatis donum, vt eo collato sequatur ea gloriæ celsitudo, quæ diuinam omnipotentiam mirum in modum commendet; sic Deus decer-

cernens Petro pœnam acerbissimam, si talia scelera turpissima cõmittat, potest eo decreto viso moueri ad decretum impediendi talia scelera, ne tam miseram sortem ille homo subeat. *Secũdò.* Ne his alligemur, obseruare liceat, nõ raro accidere id ipsum, quod vno nomine retrahit ab aliquo opere præstando, non parum alio nomine mouere, vt idem præstetur. V.g. difficultas omnia relinquendi plurimum reuocat ab hoc opere. At ea ipsa difficultate, quo maior illa est, tam excellens, Deoque gratum hoc opus redditur, vt inde plurimum prouocet generosam voluntatem, quò illud amplexetur. Plura alia eiusdem rei exempla sunt obuia. Quo prænotato dici poterit, decretum conferendi Mariæ excelsam illam gloriam, si fiat Mater Dei, esse infallibilitatem de collatione talis gloriæ, si detur maternitas; eamque infallibilitatẽ posse mouere, tum ad decretũ conferẽdi maternitatem, vt sic eueniat ea gloria magnopere diuinam potentiam ostẽtans; tum etiam ad decretum exclusiuum maternitatis, quatenus Deus ex eâdem infallibilitate moueri sic potest * Quia hîc, & nunc est infallibile, cõcessa tali maternitate eam gloriam euenturam magnopere meæ virtutis ostentatiuam, nolo eam maternitatẽ cõcedere, vt sic appareat, quàm nõ indigeam bonis mihi extrinsecis quantuncũque magnis *.

¶ *Tertiò.* Per decretum conditionatum potest Deus sic indiuisè statuere: *Volo, vt si Maria eligatur in Matrem Dei, euehatur ad talem gloriam: idem de Anna, si eligatur Anna, & sic de reliquis; volò tamen, vt vna sola ipsarum eligatur*: ex quo decreto moueri poterit ad excludendã Annam à maternitate, electâ Mariâ; necnon contrà: quo moueri poterit ex decreto conditionato ad exclusiuum conditionis. Breuitatis causâ missas facio speculationes alias.

36 Tandem ex dictis patet ad vltimam probationem ex num. 29. Fatendum enim est, notitiam claram de existentiâ conditionis, necnon claram notitiam de non-existentia ipsius habitas independẽter à decreto conditionato impedire physicum exercitium; vel saltem prudens exercitium eius decreti: quapropter non immeritò decreta ibidem enumerata nugatoria censentur. Eædem autem notitiæ, si haberentur dependenter ab ipsis decretis conditionatis non impedirent ipsa, vt patet, quippè existerent in signo ad eam impeditionem inepto.

(*)

tus, & expositus præparatione libertatis ad vtrumlibet, vt pro signo se determinādi ad decretum mundi reijcit nolitionem mundi, sic in eodem æternitatis momēto pro signo decernendi gloriā Iudæ sub cōditione, quòd decedat in gratia; vel decernēdi gloriam B. Virgini sub conditione, quòd illam eligat in Matrem, est paratus præparatione promptitudinis ad executionē gloriæ, prout conditio successerit; cum quo stat reijcere, vel decernere pro signo posteriori conditionem.

34 *Quintò* ex nuper dictis sublucet ratio à priori, propter quam nequit existere independenter à decreto conditionato siue visio conditionis purificandæ, siue visio conditionis nunquam purificandæ. Etenim signum decreti conditionati est suapte natura signum promptitudinis, per quam expositus est decernens ad hoc, vt conditio existat, & nō existat; & ad hoc, vt euētus ponatur, aut nō ponatur, prout venerit, vel nō venerit cōditio. Eiusmodi autē promptitudo nō est perceptibilis, nisi iudiciū firmū, & visio clara de purificatione, vel nō purificatione conditionis aliquomodo subsequens sit ad decretū cōditionatum, huiusque signū. At statim petes, quâ ratione possint decreta cōditionata præcedere ad decretum exclusiuum cōditionis? V. g. decernat Deus eximiā gloriam Annæ conferre, si eam eligat in Matrem Dei. Quomodo poterit hoc decretum antecedere ad decretū negandi Annæ talem maternitatem? Ratio dubitandi est, quia hæc antecessio nō est durationis, cum vtrūque decretum sit æternum: non est causalitatis, vel quasi causalitatis: licet enim benè percipiatur, tale decretū conditionatū posse aliquo modo allicere, & quasi causare moraliter decretum purificandi conditionem, vt eo modo perducatur ad effectum obiectum conditionalitèr præfinitum; ægrè tamen percipitur tale decretum conditionatum allicere posse, & aliquomodo causare moralitèr decretum exclusiuum conditionis. Quænam ergo est eiusmodi antecessio?

35 At in primis, vt sunt decreta cōditionata, quæ apta sunt mouere ad decretum purificatiuum conditionis; ita etiam quę apta sunt mouere ad decretum exclusiuum conditionis. Vt enim Deus decernens B. Mariæ incredibilem gloriæ celsitudinem sub conditione, quòd sit Mater Dei, potest, eo decreto viso, moueri ad conferendum Mariæ tantæ maternitatis donum, vt eo collato sequatur ea gloriæ celsitudo, quæ diuinam omnipotentiam mirum in modum commendet; sic Deus decer-

cernens Petro pœnam acerbissimam, si talia scelera turpissima cõmittat, potest eo decreto viso moueri ad decretum impediendi talia scelera, ne tam miseram sortem ille homo subeat. *Secũdò.* Ne his alligemur, obseruare liceat, nõ raro accidere id ipsum, quod vno nomine retrahit ab aliquo opere præstando, non parum alio nomine mouere, vt idem præstetur. V.g. difficultas omnia relinquendi plurimum reuocat ab hoc opere. At ea ipsa difficultate, quæ maior illa est, tam excellens, Deoque gratum hoc opus redditur, vt inde plurimum prouocet generosam voluntatem, quò illud amplexetur. Plura alia eiusdem rei exempla sunt obuia. Quo prænotato dici poterit, decretum conferendi Mariæ excelsam illam gloriam, si fiat Mater Dei, esse infallibilitatem de collatione talis gloriæ, si detur maternitas; eamque infallibilitatẽ posse mouere, tum ad decretũ conferẽdi maternitatem, vt sic eueniat ea gloria magnopere diuinam potentiam ostẽtans; tum etiam ad decretum exclusiuum maternitatis, quatenus Deus ex eâdem infallibilitate moueri sic potest * Quia hîc, & nunc est infallibile, cõcessa tali maternitate eam gloriam euenturam magnopere meæ virtutis ostentatiuam, nolo eam maternitatẽ cõcedere, vt sic appareat, quàm nõ indigeam bonis mihi extrinsecis quantuncũque magnis *.

¶ *Tertiò.* Per decretum conditionatum potest Deus sic indiuisè statuere: *Volo, vt si Maria eligatur in Matrem Dei, euehatur ad talem gloriam: idem de Anna, si eligatur Anna, & sic de reliquis; volo tamen, vt vna sola ipsarum eligatur*: ex quo decreto moueri poterit ad excludendã Annam à maternitate, electâ Mariâ; necnon contrà: quo moueri poterit ex decreto conditionato ad exclusiuum conditionis. Breuitatis causâ missas facio speculationes alias.

36 Tandem ex dictis patet ad vltimam probationem ex num. 29. Fatendum enim est, notitiam claram de existentiâ conditionis, necnon claram notitiam de non-existentia ipsius habitas independẽter à decreto conditionato impedire physicum exercitium; vel saltem prudens exercitium eius decreti: quapropter non immeritò decreta ibidem enumerata nugatoria censentur. Eædem autem notitiæ, si haberentur dependenter ab ipsis decretis conditionatis non impedirent ipsa, vt patet, quippè existerent in signo ad eam impeditionem inepto.

(*)

CAP. IV.

Alijs argumentis solutis, comparantur inter se decreta conditionata, & decreta disiunctiua.

37 OBijcit tertiò P. Alarcõ, & quidẽ fusissime rationem, quam validissimam arbitratur. Ea potest sic breuiter perstringi. Non potest voluntas ferri actualitèr in obiectũ, quod actu non est bonum; sed præcisè esset bonũ, si purificaretur conditio. At obiectum conditionatum non est actu bonum; sed præcisè esset bonum, si cõditio purificaretur: ergo nequit voluntas ferri actualitèr in obiectũ conditionatum; sed ferretur, si purificaretur conditio. Maior patet: nam appetibilitas cõmẽsuratur cum bonitate: vnde, quod non est actu bonum, non est actu appetibile. Minor etiam constat, quia conditionatum sistens intra terminos conditionati nihil habet; sed haberet, si poneretur conditio. Confirmatur primò. Repugnat voluntati hic affectus: *Volo me interficere, si id esset bonum.* At repugnantiæ ratio est, quia voluntas sic affecta satis ostendit non inuenire bonitatem in eo obiecto; & aliunde nequit affici erga obiectum, in quo non inuenit bonitatem: ergo, quod non est; sed esset bonum, non potest actũ amari; sed amaretur, si haberet bonitatem. Confirmatur secũdò. Sic voluntas fertur in bonũ, sicut visus in coloratum, & lucidum. At visus ferri non potest in id, quod actu non est coloratum, aut lucidum; sed præcisè esset: ergo nequit ferri voluntas in id, quod actu non est bonum; sed præcisè esset. Confirmatur tertiò, vt præcludantur effugia. Nam ad talem, vel talem affectum non sufficit bonitas, quæ ad illum non mouet; sed requiritur bonitas, quæ mouet ad ipsum. At bonitas obiecti mouens ad affectum conditionatum, non est bonitas obiecti secundùm se sumpti; sed prout subest tali conditioni, & aliunde bonitas hæc non datur; sed daretur, si poneretur conditio: ergo talis affectus conditionatus est implicatorius.

38 Authores Thomistæ sunt, quibus maximè interest decreta conditionata defendere, ne cogantur alioquin in sciẽtiam mediam summè ipsis inuisam incidere. Tamen, si aliqui possunt argumento proposito vrgeri, soli ipsi sunt, quatenus simili ratiocinatione contendunt enixè, Deum non amare creaturas possibiles, præscindendo ab eo, quod ad exercitium existentiæ traducendæ sint. Recognoscatur disputat. 12. Cæterum, absolutè lo-

loquendo, mẽ prorsus latent ingentes illæ argumẽti vires, quas adeò extollit arguens. Et in primis argumentum pluribus instãtijs obnoxiũ est. *Primò*. Quia, sicut Deus non amat nisi obiectum dignum amore; ita non promittit, nisi obiectum dignũ, quod promittatur, & executioni mandetur. At obiecta conditionata non carent dignitate, vt promittãtur, & executioni mãdentur, adeò vt nequeãt actualem promissionem conditionatam terminare: ergo obiecta cõditionata non ita carent dignitate vt amentur, vt actualem affectũ conditionatũ terminare non valeant. *Secundò*. Ex vi voluntatis generalis, quâ Deus vult omnes homines saluos fieri, habet saltẽ Deus aliquã animi præparationem, & propensionẽ ad impertiendam ipsis salutem, si per ipsos nõ steterit. Sicut ergo potest animi præparatio, quãuis sit ad bonum, esse ad aliquid sub aliqua cõditione; ita poterit decretum conditionatum. *Tertiò*. Creaturæ possibiles, quanuis nõ sint, sed possint esse bonæ, non solùm possunt amari; sed actu amantur à Deo. Item, quanuis creaturæ futuræ non sint actu; sed futuræ sint bonæ, non solùm amabuntur; sed iam actu à Deo amantur: ergo, quanuis obiecta conditionata non sint; sed essent bona, poterũt actualitèr amari.

39 Tandem. Vt bonitas est obiectum amoris; ita veritas est obiectum scientiæ. At obiectum conditionatum verum est modo sufficiente non solùm vt sciretur, si poneretur conditio; sed etiã vt actu sciatur: alioqui scientia conditionatorum tolleretur è medio: ergo obiectum conditionatum bonum est modo sufficiente, nõ solùm vt amaretur, si poneretur conditio; sed etiam vt actu ametur. Quòd si in obiecto conditionato fingas aliquid, quod vel cõnexionem, vel aliter voces constitutiuum illius in ratione veri sufficientis, vt actu sciatur; cur similitèr quid simile non fingis constitutiuum illius in esse boni sufficientis, vt actu ametur? ¶ Ad argumentũ ergo respõdeo ex dictis in simili disp. 12. n. 26. & 28. Nequit voluntas ferri actualitèr in obiectum, quod actu non est bonum *actualitate obiectiua* bonitatis in mente amantis; benè tamen in obiectum, quod nondum actu sit bonum *actualitate exercita* bonitatis extra mentem amantis. Nam obiectum voluntatis prosequentis est bonum apparens, quod quidem dum apparet bonum, quanuis nondum sit exercitè bonum, potest amari. Porrò, quia obiectum conditionatum, tametsi nihil habens exercitè, ac proinde non habens exercitè bonitatẽ, habet actualitèr bonitatem actualitate *obiectiua, intentionali, apparente, &*

signata in mente amantis, idcirco potest amari. Ratio autem, cur habeat actualiter bonitatem actualitate obiectiua, &c. ea est: quia id in eo consistit, quod actu repræsentetur in mente amantis ea ipsa bonitas, quam haberet, si poneretur conditio, potestque actualiter ante positionem conditionis repræsentari in mente amantis ea ipsa bonitas, quam haberet, si poneretur conditio. Recolantur dicta loco cit.

40 Ad primam confirmationem. Affectus ille: *Volo mei interficere, si id esset bonum*, non ideo repugnat, quia sit de obiecto, quod nondum est exercitè in se ipso bonum; sed quia omnis affectus vel absolutus, vel conditionatus regulatur vel ex notitia, per quam absolutè appareat obiectum bonum, vel ex notitia, per quam appareat sub aliqua hypothesi bonum. Cum igitur ille affectus ex nulla prædictarum cognitionum dirigatur, vt patet ex modo, quo ipsius natura exprimitur, idcirco repugnat. Ad secundam confirmationem. Vt vilis fortur in coloratum, & lucidum reale, exercitum, & præsens, ita voluntas in bonum apparens, signatum, & mentaliter repræsentatum. Vnde, sicut propterea possunt amari bona purè possibilia, & absolutè futura, quatenus nequeat corporaliter videri coloratum purè possibile, & absolutè futurum; sic amari poterit obiectum conditionatum, quatenus nequeat corporaliter videri coloratum conditionatum. Ad tertiam confirmationem patet ex dictis ad argumentum principale. Nam ad affectum requiritur bonitas ad ipsum mouens; at non requiritur in statu exercitij physici extra mentem; sed in statu repræsentationis mentalis: bonitas autem, quam haberet obiectum sub tali conditione, si talis conditio daretur, iam datur in statu repræsentationis mentalis, quando affectus conditionatus exercetur.

41 Obijcitur quartò ex P. Vazquez, nihil esse, in quo possit consistere decretum Dei absolutum ex parte subiecti, & conditionatum ex parte obiecti. Non enim in essentia diuina sumpta præcisè secundum se, quippe quæ est indifferens ad quodlibet decretum liberum conditionatum, & ad exercitium libertatis oppositum. Non in essentia diuina sub ratione cum obiecto conditionaliter futuro. Tum, quia iuxta veram doctrinam, potest optimè stare, quod obiectum sit conditionaliter futurum, & quod Deus nullum decretum exerceat actualiter erga ipsum. Tum, quia ad decretum liberum actualiter existens requiritur aliquid contingens existens actualiter: obiectum autem purè

rè conditionaliter futurum non existit actualiter; sed existeret. Neque tale decretum stare potest in essentia Dei simul cum aliquo creato extra Deum, siue illud sit externa reuelatio, siue promissio, siue modulus aliquis. Sicut enim Deus, quauis nihil extra se produceret, haberet scientiam contingentem conditionatam; ita posset habere conditionata decreta, quibus statueret, quid in his, vel illis circumstantijs, si ponerētur, foret. Respon. Negatur intentum argumenti. Ad probationem dicendum est, falsam esse sententiam, quæ constituit liberos actus Dei per connotata creata. Consistet ergo decretum conditionatum in speciali determinatione libera Dei ad obiectum, quæ, si vera sunt dicta disp. 17. neque simpliciter identificatur; neque simpliciter distinguitur ab essentia Dei.

42 Aluarez lib. 1. Responsionum, capit. 4. quem Thomistæ RR. sequuntur, stando sententiæ, quæ liberos actus Dei complet per extrinseca connotata, dicunt, non aliud esse connotatum decreti subiectiuè absoluti, & obiectiuè conditionati, quàm ipsum obiectum conditionaliter futurum. At quàm difficile hoc sit, insinuauimus in ipsa propositione argumenti, latiusque expendimus disp. 16. capit. 4. Vnum duntaxat valde notandum non preteribo, nempè Thomistas, quibus placeat ea constitutio liberorum actuum Dei partim per extrinseca connotata, si aliunde cum Aluarez, & RR. assignent ipsum euentum conditionatum pro connotato decreti subiectiuè absoluti, & obiectiuè conditionati, fateri teneri, Deum cognoscere in se ipsis euentus liberos conditionatos; non verò in decretis antecedentibus determinantibus præuiè tales euentus. Nam Deo sic liberè statuente: *Decerno, vt, si Tyrij, & Sidonij conspiciant miracula Christi, pœnitentiam agant*, certè in hoc decreto, iuxta eam sententiam, præcise sunt duo (nisi terminis non significātibus proteruire contendas) intrinsecum *esse* Dei in recto; euentus ipse conditionatus de connotato. Intrinsecum *esse* Dei, vtpotè indifferens ad eum euentum, & ad oppositum, non est medium aptum ad cognoscendum infallibiliter eum euentum præ opposito: solùm ergo restat eum euentum cognosci in se ipso; nō aliquo medio & ad ipsum præuio, & cum eodem infallibiliter connexo. ¶ Tandem noto: in sententia connotantium forsan dici posset, decreta conditionata constitui de connotato per modulos, quorum sæpè meminimus. Casu autem, quo Deus nihil prorsus producere vellet,

id ipsum esset impedire omnia connotata constitutiua decretorum liberorum conditionalium, & consequenter ea omnia decreta libere suspendere. Facillimè soluuntur ex dictis obiectiones aliæ, quæ videri possunt, si placet, apud P. Martinon supra.

43 Rogas. An decretum disiunctiuum sit conditionatum; & conuersim decretum conditionatum sit disiunctiuum? Sunt docti RR. affirmantes, quibus fauere videtur P. Ripalda loco cit. capit. præced. Mouentur quoad priorem partem, quia perinde est decerni terminum produci per actionem A. vel per actionem B. quam decernere, vt si non producatur per A. producatur per B. & si non producatur per B. producatur per A. Mouentur quoad secundam partem. Quia perinde est decernere, vt si Petrus vocetur auxilio A. conuertatur, quàm decernere, quòd vel non vocetur eo auxilio, vel conuertatur. Mihi semper magis placuit pars negatiua, quam optimè illustratam nuper inuenio apud P. Aldrete de Incarnat. disp. 6. sect. 3. à num. 7. Ex hoc Authore probatur decretum disiunctiuum non esse confundendum cum conditionato. *Primò*. Nã, vt quis ostendat animi sui indifferentiã ad bene valendum, vel secus, potest elicere hunc actum * Mihi placet æqualiter bona valetudo, vel eius carentia * At hic actus non est amor, per quem huic homini placet bona valetudo sub conditione, quòd non detur eius carentia, & per quem placet carentia bonæ valetudinis sub cõditione, quòd non detur bona valetudo: quia, cum sint formaliter idem non dari carentiam illius, & ipsam dari; necnon ipsam non dari, & dari carentiam ipsius, planè affectus ille esset iste affectus nugatorius: *Placet mihi dare bonam valetudinem, si detur; & eius carentiam dari, si detur*: quod est absurdum.

44 *Secundò*. Quia modus hic tendendi respondens particulæ *vel* * Volo A. vel B. * non tendit quasi bis in A. & bis in B. sed semel in quodlibet, vt experimentum probat. At quasi bis tendit in A. & bis in B. modus ille conditionatus * Volo A. si non detur B. & B. si non detur A. * ergo alius est modus disiunctiuus; & alius conditionatus. Omitto alia argumenta eiusdem Authoris, subtilia quidem; sed quę me non adeo mouent: & probo *tertiò* ex his, quæ dicebam alibi tractans de notitia conditionata in genere. Nam in notitia modus tendendi disiunctiuus non est modus tendendi conditionatus: ergo neque in amore.

Con-

Consequentia videtur bona à paritate rationis. Antecedens probatur. *Primò*. Quia, inspecta infinitudine auxiliorum, quæ Deus Iudæ negare decreuit, alia sunt ea, quæ si Iudæ darentur, perseueraret in gratia; & alia, quæ tametsi darentur, non perseueraret. Tunc sic. De quolibet eorum auxiliorum verificatur modus ille disiunctiuus: *Vel non dabitur hoc auxilium, vel Iudas cum illo perseuerabit in gratia.* Nam vera est prior pars eius disiuncti, nempè non esse dandum hoc auxilium, & ad verificationem disiunctiuæ sat est vna ex partibus, quas asserit. At non verificatur de quolibet eorum auxiliorū modus ille conditionatus. *Si hoc auxilium detur Iudæ, perseuerabit in gratia.* Ergo ille, & iste modus alius est, & alius. *Secundò*. Quia eo præcisè, quòd ad meliorem vitam non conuertar, verifico modum hunc asserendi disiunctiuum: *Vel non conuertar, vel Ioannes amicus conuertetur.* At non eo præcisè verifico modum istum asserendi conditionatum: *Si conuertar, Ioannes amicus conuertetur*: quia stat me conuerti; & non conuerti Ioannem: ergo id, quod prius.

45 Iam verò affectum conditionatum eundem non esse ac affectum disiunctiuè prosequentem vel conditionem deficere; vel existere absolutè conditionatum. *Primò* probatur. Nam affectus disiunctiuus indiscriminatim prosequitur quodlibet extremorum, circa quę vagatur, & quolibet ipsorum dato satis expletur. At affectus conditionatus non sic se habet circa defectum conditionis ex vnâ parte, & ex aliâ circa existentiam absolutam conditionati: ergo cōditionatus non est ille disiunctiuus. Minor probatur. Nam, si quis constitutus in magno vitæ discrimine, quod vehementèr exoptat euadere, sic se exerceat: *Decerno religionem ingredi, si hoc periculum euadam*, absurdè diceretur prosequi periculum huiusmodi non euadere, eoque periculo non cessante, voluntatem ipsius satis expleri. Vnde minor iam tibi meditanti, meque tacente, innumeris exemplis notissima fiet. *Secundò*. Nam, vt vidimus tract. de Prædest. disp. 11. num. 68, nequit Deus habere disiunctiuum affectum circa peccatum. At posset, si affectus conditionatus esset velle disiunctiuè carentiam conditionis, vel existentiam absolutam conditionati: ergo conditionatus affectus non est sic velle. Minor probatur. Nam Deus habere potest hoc decretum conditionatum: *Decerno, vt si hic, & nunc nō pecces, decedas in gratia.* At carentia illius conditionis * hîc, & nunc non peccare * est peccare hic, & nunc: ergo, si affectus conditio-

tionatus est velle disiunctiuè carentiam conditionis, & Deus potens habere prædictum affectum cõditionatum, habere poterit hunc affectum disiunctiuũ: *Volo, vt pecces hic, & nunc, vel decedas in gratia*

46 Iam, quæ dicebantur n. 43. initio, momenti non sunt. Nam, vt constat ex probationibus nostris, illi affectus non se habent perinde quoad modum tẽdendi affectiuum; quanuis perinde se habeant quoad modum logicè inferendi sua obiecta, in quo stare videtur aduersariorũ deceptio. Sicut enim hoc decretum disiunctiuum ✻ Decerno A. vel B. ✻ simul sumptum cum exclusione extremi A. infert per bonam consequentiam extremum B. ita similitèr hoc decretum conditionatum ✻ Decerno, vt si excludatur A. ponatur B. ✻ & sicut hoc decretum conditionatum ✻ Decerno, vt si excludatur A. ponatur B. ✻ & sicut hoc decretum conditionatum: *Decerno, vt si Petrus vocetur auxilio A. conuertatur* infert per bonam consequentiam vel non dari id auxilium, vel Petrum cõuerti; sic similitèr hoc decretum disiunctiuum: *Decerno, vt Petrus non vocetur eo auxilio; vel conuertatur.*

[t]

CAP. V.

Percurrimus diuisiones alias diuinorum affectuum.

47 ANtequam descendamus ad speciales affectus, quibus Deus fertur ad obiecta creata (nam de his, quibus ad se ipsum fertur, satis in superioribus) prænotandum est, nullo prosecutionis affectu ferri Deum circa peccatum. Id constat; Scripturæque testimonijs comprobatum est tract. de Prædest. disp. 8. à num. 19. & disput. 11. Item in præsenti tract. disp. 12. cap. 5. & 6. quibus locis satisfactum est sophisticis obiectionibus, quæ ex varijs capitibus peti poterant. Etenim quanuis peccata conducant ad plurimos fructus, qui ex ipsis decerpi possunt, vt ad opera pœnitentiæ, & humilitatis, necnon ad exercitiũ diuinæ misericordiæ, propterea que Deus ab ipsorum permissione non reuocetur; adeò tamen horrenda sunt, vt nullo nomine, nulloque prætextu possint amari sine peccato, quod à diuinâ, ideòque rectissimâ voluntate longissimè abest, iuxta illud Deuteron. 32. *Deus fidelis, & absque vlla iniquitate.* Psalm. 144. *Sanctus in omnibus operibus suis.* 1. Ioan. 3. *Peccatum in eo non est.* Ad Rom. 3. *Nunquid iniquus est Deus? Absit.*

48 At

48 At cõtendes inferre Deũ amare peccatum ex ipso odio, quo prosequitur ipsum. Nam, cum nulli sit magis intrinseca malitia, quàm ipsi peccato, fit peccata nõ solùm peccatori; sed etiam sibi esse mala. Tunc sic. Vel Deus amat ipsis hoc malũ, vel odio habet, quòd ipsis competat tale malum? Si primum, iam amat malum peccati, quippè amat peccato tale malum. Si secundum, etiam sequitur amare peccatũ: nam, sicut velle bonum alicui est hunc amare; ita nolle alicui malum est ipsum amare, saltem virtualiter. Respõdet P. Ruiz, posse Deum velle peccato suam malitiam ex displicentiâ ipsius, idque potius esse odio habere peccatum, quàm ipsum amare. Sed contra. Nam etiam posset Deus velle peccatori noua peccata, eaque decernere efficaciter ex displicentiâ peccatoris quod nullus auſit cõcedere. Melius respondetur, posse Deum nolle peccato suã malitiam, non quidem volendo, vt *existat sine malitia*, quia hoc est chymæricum; sed nolẽdo ipsum existere, & hoc sanè non ex complacentiâ in ipso peccato; sed ex motiuis, quæ Deo placuerint; idque præstat Deus, quoties efficaciter odio habet, quòd peccatum existat. Porrò, nolle peccato suam malitiam, si hæc nolitio non sit ex complacentiâ peccati; sed quia bonũ est non existere peccatum; vel propter aliam rationem, non est amare peccatum: sicut alicui velle bonum, non ex complacentiâ ipsius; sed quia bonum ipsum bonum est; vel propter aliam rationem, non est tale subiectum amare, vt dicebamus disput. 10. n. 38.

49 Hoc prænotato. Affectus prosecutionis, & fugæ, iuxta doctrinam D. Thom. 1. 2. q. 23. assignari solent vndecim. Amor, & Odium. Desiderium, & Fuga. Gaudium, & Tristitia. Spes, & Desperatio. Timor, & Audacia. Demum, Ira. *Primò*. Certum est cum communi sententia Theologorum, in Deo dari specificũ, & strictum amorem saltem circa creaturas. Id statuimus disp. 11. n. 73. nullamque difficultatẽ habet, tum ex dictis eâ disput. tum disp. 10. Tum etiam disp. 12. & 13. vbi de simplici complacentiâ Dei circa creaturas possibiles. Num verò Deo conueniat odium propriè sumptũ, necnon strictum, & specificum, decernemus postea. Sed quid de desiderio? Cõstat ex disp. 11. num. 3. non posse Deum habere affectus desiderij, aut spei circa sua bona intrinseca necessaria, & absoluta. Constat etiam ex eâdem disput. cap. 5. neque posse Deum habere hos affectus circa sua prædicata notionalia. Tertiõ tamen difficultas supereſt, an possit habere desiderium circa

ca creaturas? Ex cuius quæstionis diffinitione deducemus, an illud habere possit circa suos actus liberos?

50 Deum habere posse desiderium rerum creatarum affirmant P. Suarez lib. 3. de attributis, cap. 7. num. 4. P. Vazq. disp. 84. cap. 1. num. 1. P. Herice disp. 20. cap. 3. M. Aluiz tract. de Volunt. disp. 9. sect. 1. P. Alarcon tract. 3. disp. 7. cap. 2. Auersa 1. p. quæst. 20. sect. 3. §. *Affectum desiderij*, P. Martinon disp. 16. de Deo, sect. 4. num. 29. & alij. Negant D. Thom. 1. p. quæst. 20. art. 1. ad 2. vbi eius interpretes Caietan. Bañez, Zumel, Nazar. Ioannes à S. Tho. P. Arrub. P. Molina, P. Fasol. P. Didacus Ruiz disp. 52. de Volunt. sect. 7. num. 3. apud quem Ferrar. & Capreol. Adde P. Granad. de Volunt. tract. 6. disp. 4. num. 3. Cui sententiæ adhæreo consequenter ad dicta de desiderio in genere disp. 10. cap. 1. Quia desiderium est de obiecto, quod apparet neque habitum in se, neque constitutum plene in dominio amantis facillimè potentis pro suo arbitrio illud habere. Omne autem bonum creatum ita plenè constitutum est in dominio Dei, vt facillimè possit pro suo arbitrio illud habere: ergo nullum bonum creatum simplicitèr, ac propriè desiderat. Videantur ibi dicta. Inde propter eandem rationem non desiderat propriè suos actus liberos. Quapropter testimonia, quibus Deus plura desiderare significatur, intelligenda sunt de amore stricto inclinante Deum, vt ea reddat existentia: qui amor est quoddam improprium desiderium. Inde etiam constat, non esse in Deo spem propriè dictã: quia est quoddam desiderium obiecti sperati animum erigens ad media adhibenda propter futuritionis credulitatem, cum quâ coniungitur.

51 Fit præterea, non esse propriè in Deo *fugam*, vt contrapositam desiderio. Quia, sicut desiderium est de bono, quod non est plenè constitutum in dominio amantis facillimè pro suo nutu potentis illud comparare; ita fuga, vt contraposita desiderio, est de malo, cuius cuitatio non est simili modo plenè constituta in dominio fugientis. Plene autē cōstituti est in dominio Dei facillimo negotio vitare quodlibet malum. Fit rursus non esse in Deo desperationem, vt contrapositã spei. Quia desperatio est quædam fuga voluntatis à malo, quod vellet euitare, crucians, & deijciens animum; quia vel minime, vel ægre vitandum apparet. Patet autem, non cadere in Deum affectum ita cruciantem, & deijciẽtem. Ad hæc. Non est in Deo audacia, quæ tendit ad aggrediendum opus difficilè assequibile,

bile; difficultate contempta. Nullum autem opus Deus aggredi potest, cuius assecutio nō sit Deo facilis. Nec est in Deo timor: quia suapte natura est de malo imminente, quod pro tuo nutu non vales facile declinare. Potest autem Deus quodlibet malum facilè declinare.

52 Quid de ira? Nulla controuersia de re hîc esse potest, vt optimè plerique notant. Aristot lib. 1. de Anima, cap. 1. text. 16. iram definit: *feruorem sanguinis circa cor.* In quo sensu patet, in Deo non esse iram. Vnde ira secundùm materiale, quod importat, nempe secūdùm corpoream perturbationem, lōgè abest à Deo. Idem Aristot. eodem cap. iam magis respiciens formalem rationem iræ eam diffinit esse *appetitum recontristationis*, quatenus ex tristitiâ, doloreque nobis illato concitamur ad recruciationem lædētis. Et iuxta hanc diffinitionem ira non est in Deo, in quem non cadit dolor, & tristitia. *Qui autem irascitur, dolet; & ira est cum dolore animi*, vt iterū Arist. 2. Rhetor. cap. 2. & 4. Neque aliud volunt Autores excludentes à Deo iram propriè dictam. Illi sunt D. Th. quæst. 20. art. 1. ad 2. quem sequuntur communiter Thomistæ, & P. Vazq. disp. 84. cap. 4. fauentibus pluribus Philosophis, & Ecclesiæ PP. Arist. Cicer. Posidon. Senec. Damascen. Nyssen. Origen. Epiphan. Chrysost. Nazianç. Basil. Cyprian. Ambros. August. qui metaphoricè solùm abscribūt Deo iram; sicut Scriptura interdum ipsi tribuit manus, pedes, & alia membra corporea.

53 Tertiò. Lactantius de ira Dei, cap. 17. diffinit iram: *Est motus animi ad coercenda peccata insurgentis*: cum igitur in Deo proprie, ac formalitèr detur affectus coercendi peccata, comminatoriusque pœnæ peccatoribus, patet, iram sic acceptam competere Deo propriè, & formaliter. Vnde illam Deo tribuunt Lactantius, P. Suar. opusc. de diuina iust. sect. 5. n. 2. Nec parum fauet D. Thom. 1. 2. q. 47. art. 1. ad 1. & in corp. & q. 46. art. 6. & 7. Rebellus de obligationibus p. 1. quæst. 4. sect. 5. num. 28. Franciscus Fœlix de Volunt. cap. 6. diffic. vnic. num. 18. qui pro se adducit Scot. De re quidem satis constat. An verò nomen *Ira* impositum fuerit in vi præcisè vsurpationis Philosophicæ, de qua num. 52. an etiam Theologicæ, de quâ in hoc n. nihil inuenio firmum; ideoque nihil melius, quod dicatur, quā in Deo non esse propriè iram, vt accipitur à Philosophis; bene tamen vt accipi solet à Theologis. Id quod forsan non absimilitèr dicendum esset de misericordiâ, quæ Philosophicè quidem; non verò Theologicè impor

portat animi compassionem, quæ in Deum non cadit, vt benè Doctor Eximius supra.

54 Gaudium, etiam circa bona creata, datur in Deo, vt docent Theologi cum D. Th. 1. p. q. 20. art. 1. & l. 1. contra Gent. cap. 9. Tum, quia id constat ex Script. Prouerb. 8. *Delectabar per singulos dies*. Deuteron. 30. *Reuertatur enim Dominus, vt gaudeat super te, sicut gauisus est in Patribus tuis*. Isaiæ 62. *Gaudebit super te Deus tuus*. Tum, quia nullam imperfectionem importat, eum, qui bonum amat, in ipso vt existente, & possesso complacere. Nihil ergo est, quod impediat, quominus Deus bona etiam creata amans, in ipsis, vt existentibus, & possessis, complaceat: in quo stat gaudium. Potestque Deus de creaturis, vt possibilibus gaudere. Nam, iuxta nos, possibilitas necessaria ipsarum consistit in prædicatis diuinis necessarijs, circa quæ Deũ gaudere non est dubium. ¶ Iam tristitia cõtraposita gaudio, nũ sit in Deo, dubitari potest, vt optimè vidit perdoctus Raphael Auersa quæst. 20. sect. 3. § *Affectum tristitiæ*, & seqq. Quia, sicut Deus habet simplicem complacentiam strictam de bonis creatis; ita etiam simplicem displicentiam circa peccata, quæ propterea fiunt contra voluntatem Dei. At circa bona creata iam præsentia, vtpote quæ existunt iuxta Dei voluntatem, gaudet: ergo circa peccata iam præsentia, quippè quæ existunt contra Dei voluntatem, tristatur. Confirmatur. Quanuis Deus ad plenissimam fœlicitatem nõ egeat bonis creatis; ea tamen præcisiuè ab existentiâ terminant complacentiam; & iam præsentia gaudium: ergo, tametsi Deus ad plenissimam fœlicitatem non egeat euitatione peccatorum, sane cum illa præcisiuè ab existentia terminent displicentiam; iam præsentia terminabunt tristitiam. Alia, quæ nouas vires nõ addunt, vide, si placet apud Auctorem cit.

55 Cum quo standum est pro sententia communi Theoll. negantium Deo tristitiam propriè dictam cum D. Thom. q. 20. art. 1. *Primò*. Quia tristitia propriè dicta potest vexare, cruciare, affligere, & exacerbare animum. Nullus autem affectus potest id præstare respectu Dei, vt notabam disput. 11. cap. 4. n. 57. quia sic iucundè capitur ex toto à se ipso summè bono, vt nulla rimula mœrori maneat. *Secundò*. Quia, vt supra dixi, non est in Deo proprium, & strictum desiderium, vt euitentur peccata absentia, quia eorum euitatio facillimè, ac plenissimè subest diuino nutui: ergo neque in Deo stricta tristitia de peccatis præsentibus, quia diuino arbitrio facillimè, ac plenissimè subest sic

ea

ea mala destruere, vt fructus ex ipsis decerpti plus placeant, quã ipsa displicebant: vt si pro peccatis displicentibus merita infiniti valoris ponantur non minus; sed magis placentia. Quamobrem (omissis alijs, quæ me non mouent) Scripturæ locutiones de dolore, ac pœnitentiâ Dei metaphoricæ sunt, vt appareat quãtum Deo nonnulla displiceant. Ex quibus patet ad proposita num. præced.

CAP. VI.

An odium sit propriè, & formaliter in Deo?

56 OMne odium propriè, & formaliter sumptum excludere videtur à Deo D. Thom. 1. contra Gẽt. cap. 96. & ibi Ferrar. Capreol. in 1. dist. 45. quæst. 1. art. 1. Nauarrete controu. 27. Gonçalez 1. p. disp. 62. Ioannes à S. Thom. de Vol. disp. 6. art. 2. pluresque Thomistæ, quos sequitur Pascualigus de Deo, disp. 37. sect. 1. Concedunt Deo, odium abominationis negantes odium inimicitiæ P. Suarez lib. 3. de attribut. cap. 7. n. 5. P. Ruiz disput. 54. sect. 2. & 3. P. Coninch. disp. 29. de actibus supern. dub. 1. n. 22. At absolutè Deo concedunt odium proprie, & formaliter dictum, etiam inimicitiæ P. Tanner. disp. 2. de Deo q. 10. dub. 2. P. Vazq. 1. p. disp. 84. cap 3. P. Arrub. q. 20. n. 6. P. Herice disp. 20. cap. 4. P. Alarc. tract. 3. disp. 7. cap. 3. P. Martinon de Deo, disp. 16. sect. 5. P. Arriaga 1. p. disp 25. sect. 4. n. 43. P. Franciscus de Lugo disput. 35. de Deo cap. 3. à num 6. P. Ribas de Vol. disp. 12. cap. 3. num. 22. Auersa. 1. p. quæst. 20. sect. 2. Fuster de Volunt. num. 747. & 748. P. Præpositus 1. p. q. 20. num. 8. Ex Scotistis Sanising. tract. 3. disp. 5. n. 52. Felix de Volunt cap. 6. diffic. vnic. num. 8. apud quos plures alij, quibus non parum fauet D. Th. 1. p. q. 20. art. 2. ad 4. Hanc sententiam, cui subscribo, sequentibus assertionibus explico.

57 Assero primò. Habet Deus circa peccata displicentiam, vel, quod in idem apud me recidit, odium auersiuum propriè, ac formaliter dictum. Hoc enim significant Scripturæ testimonia, & ex dicendis constabit nõ esse cur impropriè accipiantur. Ierem. 44. *Nolite facere verbum abominationis huiusce modi, quam odiui.* Prouerb. 8. *Arrogantiam, & superbiam, & viam prauam, & os bilingue detestor.* Psalm. 44. *Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem.* Extant alia innumera. Ratione probatur. Non minus est digna odio, ac displicentiâ moralis turpitudo, quàm est digna amore, complacentiâque moralis, & physica pulchritudo. Deinde non magis ex suâ formali

mali ratione imperfectionem importat amor vnius, quàm odium alterius. At illis de causis amor propriè dictus tribuitur Deo: ergo eisdem de causis oportet odium tribui propriè dictum. Aliæ rationes omittuntur, quia debent ad hanc reduci, ad cuius efficaciam necesse solũ est secundam partem minoris stabilire, quæ constabit ex dicendis post alias assertiones. ¶ Assero secundò. Potest Deus contra peccata concipere odium abominationis formale, & propriũ. Sicut enim bonum est dignum, vt Deus illud prosequatur, conuertatur ad illud, & in ipsius existentiam propendeat, & in hac prosecutione, conuersione, ac propensione nulla datur imperfectio; ita peccata digna sunt, vt Deus ea fugiat, auersionem contra ipsa concipiat, & in eorum non-existẽtiã propendeat, & in hoc nulla imperfectio est: in hoc autem stat odium abominationis. Idque odium satis exprimit Scriptura Prou. 16. *Abominatio Domini est omnis arrogans.* Ibid. c. 15. *Abominatio est Domino via impij.* Sap. cap. 12. *Quos exhorruisti, Domine, quoniam odibilia tibi opera faciebant.*

58 Assero tertiò. Deus habet proprium, & formale odium contra peccatores, quà tales. Nam, vt pulchritudo gratiæ, & se ipsâ est amore digna, & reddens hominem iustum præstat, vt homo iustus sit amabilis ratione gratiæ; ac tandem nulla est imperfectio Deum amare hominem iustum ratione iustitiæ; sic turpitudo peccati, & se ipsa est odio digna, & hominem reddens peccatorem præstat, vt ille sit odibilis ratione peccati, ac demum nulla est imperfectio Deum odio habere peccatorem ratione peccati. Quamobrem sic testatur Scriptura, Sapientiæ 14. *Odio est Deo impius, & impietas eius.* Ecclesiastici 12. *Altissimus odio habet peccatores.* Psalm. 5. *Odisti omnes, qui operãtur iniquitatem.* Plura alia sunt obuia. Quocirca tandem asserendum est, Deum concipere proprium, ac formale inimicitiæ odium cõtra peccatores. Nam, si semel potest displicere contra ipsos ratione peccati, poterit ex hac displicentia velle ipsis malũ pœnæ, quia ipsorum cruciatiuũ: neque aliud intelligitur nomine odij inimicitiæ; sicut nomine amoris amicitiæ non aliud intelligitur, quàm ex complacentiâ personæ rationalis velle illi bonum, quia bonum ipsius est. Et quidem hoc inimicitiæ odium satis exprimit Scriptura, Psalm. 8. *Ex ore infantium, & lactentiũ perfeciſti laudem propter inimicos tuos.* Psalm. 36. *Inimici vero Domini mox, vt honorificati fuerint, &c.* Psalm. 109. *Donec ponã inimicos tuos scabellum pedum tuorum*

rum. Iacobi 4. *Qui voluerit esse amicus sæculi huius, inimicus Dei constituitur.*

59 Dices primò cum Pascualigo, displicentiam dicere imperfectionem. Tum, quia inquietudinem affert; sicut complacentia quietem. Tum, quia complacentia plenitudinem excludit. Sed cōtra. Quia, tametsi dentur displicentiæ, quæ inquietudinem, & anxietatem afferāt, vt displicentiæ circa mala præsentia, vel imminentia, quæ displicentis fœlicitatem aliquatenus diminuant; id tamen non est de ratione præcisa displicentię. Quis enim inquietetur ex eo, quod illi displiceat fœditas alterius, quando nihil ipsi interest fœdum esse, vel pulchrum? Præterea contra secundam rationē. Quia non minus carentia gaudij excludit plenitudinem gaudij, quàm displicentia plenitudinem complacentiæ. At stat vnius gaudij carentiam (nempe carentiam illius gaudij, quod haberet Deus circa beatitudinem Iudæ, si hic esset beatus) non excludere infinitatem, & plenitudinem requisitam ad perfectionem Dei in ratione gaudentis, quia scilicet tanta est pax, quies, & gaudium Dei circa se ipsum, vt nulla terminatio eius gaudij circa creaturas possit constituere quietem simpliciter maiorē in genere delectātis: ergo stabit, vnam displicentiam circa peccatum non excludere plenitudinem, & infinitatem Dei in ratione amantis; quia, præcindendo ab ea displicentia, diuina cōplacentia circa Deum, & omne bonum tanta est, vt nullatenus possit diminui, vel crescere.

¶ Dices secundò cum eodem. Talis displicentia, & odium non esset propter diuinam bonitatē: quod probat ratione, quam proposuimus disp. 19. num. 3. At ibi vidimus, quàm parum vrgeat.

60 Dices tertiò, vt solent Thomistæ dicere. Deus non punit peccatorem ex ipsius odio, & quia pœna est ipsi mala; sed quia rectum est, quòd peccata non maneant impunita. Primū requiritur ad odium inimicitiæ. Secundum non sufficit: ideoque iudex puniens reum, ne delicta maneant impunita, non concipit odium inimicitiæ contra reum: idemque cernere est in Patre castigante delicta filiorū. Confirmatur, quia vitiosum est castigare ex odio: ergo Deus non ex odio peccatoris; sed ex amore iustitiæ castigat. Sed contra est. Quia Deus amat pœnam peccatori, quatenus idoneā ad exercendam iustitiam punitiuā. At non est idonea ad exercendā iustitiam punitiuam, nisi quatenus est peccatori mala malitiâ incommoditatis, & vexationis: ergo amat illam, quatenus peccatori malam ea incommoditatis malitiâ. Aliunde non assig-

natur imperfectio in eo, quòd illam, vt sic malam, amet peccatori ex displicentia ipsius: in quo stat odium inimicitiæ: ergo, &c. Confirmatur: quia, iuxta communem sententiam Thomistarum, bene stat Deum amare iustos amore amicitiæ, amando ipsis bona ex complacentia ipsorum, quatenus ipsis bona sunt, vt hac ratione fiat, quod diuinam decet bonitatem, in qua sistitur tanquam in vltimo fine: ergo similiter bene stabit, Deum odisse iniustos odio inimicitiæ, volendo ipsis mala, quatenus ipsorum mala, ex displicentia ipsorum, vt hac ratione exerceatur bonum iustitiæ.

¶ Neque vrget aduersariorum confirmatio. Nam, licet vitiosum sit castigare reum ex odio personæ secundùm se; non tamen ex odio illius, vt peccatoris, vt post D. Thom. hîc, quæst. 20. art. 2. ad 4. bene obseruat cum alijs P. Præpositus. Hinc, iudices, & parentes nullam turpitudinem contrahent, si ex odio reorum, & filiorum, non quatenus homines sunt; sed quatenus homines peccatores, ipsos plectant.

61 Dices quartò cum Ioanne à S. Thom. odium proprie, & strictè dictum habere pro directo, & immediato motiuo dissonantiam, & contrarietatem obiecti respectiuè ad appetentem. Repugnat autem Deo concipere contra peccata auersionem eius naturæ. Tum, quia ea secundùm entitatem materialem fiunt, Deo autore; & secundùm malitiam formalem, Deo permittente; & consequenter non sunt proprie contraria voluntati diuinæ, eiusque beneplacito resistentia. Tum, quia secundùm positiuam entitatem non dissonant Deo, cum sit causa eorum vt sic; at secundùm priuatiuum, v. g. rectitudinis debitæ (licet id addere claritatis gratia) non auertitur Deus ab ipsis directè, & immediatè ex motiuo dissonandi Deo; sed ex motiuo consonantiæ, quam cum Deo habet rectitudo debita. Vnde talis affectus non est propriè, & strictè odium eius malitiæ; sed potius quædam extensio amoris circa rectitudinem oppositam. Hanc arbitror esse mentem huius Magistri: si sit alia, nõ eam percipio.

62 At proprium, & formale Dei odium contra peccata nullo ex assignatis capitibus excludendum est à Deo. Non ex primo. Nam bene stat contingere malitiam, eo permittente, qui propriè, & formaliter displicet contra ipsam. Quis enim dubitet propriè, & formaliter displicere nobis peccata, quæ committunt homines in excelsa dignitate constituti, quæ tamen possemus absolute impedire, tamen impedire nolumus propter magna, quæ timemus in-

incommoda, si impediamus? ergo Deus poterit verè, & propriè contra peccata displicere, quin obstet quòd ea permittat, ne deficiant magni momenti fructus inde colligendi. Quamobrem oporteret, quod hic auctor distinxisset dissonantiam, & contrarietatem obiecti cum appetitu, quæ stat in eo quòd obiectū existat, appetitu resistente simpliciter tali existentiæ; & quæ stat in deformitate fugante amorem oppositæ formositati conciliantī. Posterior necessaria est ad odium; non prior.

63 Non ex secundo capite. *Primò*. Quia siue malitia peccati ster in priuatiuo, siue in positiuo, sanè, vt verum ingenuè fatear, nunquam potui satis percipere, cur nequeat æquali iure Deus ex displicētia peccati moueri ad amorem rectitudinis præceptæ, ac moueri ex amore, & consonantiâ rectitudinis præceptæ ad nolitionem malitiæ; eo vel maximè, quia malitia longè deterior est in ratione turpitudinis, quàm bona rectitudo præcepta in ratione honestatis, præsertim iuxta communiorem sententiam Thomistarum defendentium malitiam læthalem habere sibi annexam rationem offensæ simpliciter infinitæ; nullamque honestatem nostrorum operum sibi annexam habere rationem obsequij simpliciter infiniti. *Secundò*. Quia, licet ex communi sententiâ, quam libēter amplectūtur Thomistæ, motiuum immediatum diuinorum affectuū sit bonitas diuina, cum hoc stat affectum Dei erga iustos non esse præcisè extensionem charitatis erga Deum; sed etiam verè & propriè strictum amorē amicitiæ erga iustos: ergo, tametsi bonitas aliqua sit motiuū immediatum diuinæ auersionis contra peccatores, bene stabit hunc affectum non esse præcisè extensionem amoris circa bonum; sed vere, & propriè odium contra malum. *Tertiò*. Actus cōtritionis, quō detestamur peccata, quia sunt contemptus Dei, etsi exerceatur ex complacentiâ in bonitate diuina, propter quā tanquam propter immediatum motiuum detestamur, quæ ipsam paruipenderunt, non solùm est propriè Dei amor; sed etiam odium peccati. Idem cernere est in actibus, quibus homines sancti diuini honoris zelo tabescentes detestantur offensas diuinæ maiestatis. Hæc sufficiant, omissis alijs, quibus ex assensibus, ac dissensibus intellectualibus prædicta firmari vlterius possent. Porrò autē nonnulli ex PP. qui à Deo videntur excludere odiū, intelligēdi sunt vel de odio passionis cōmouentis, & perturbātis; vel de odio terminato nō solū ad res, vt infectas maculâ à Deo non factâ; sed ad ipsas secundùm se. Mens D. Thom. in-

uenietur expoſita apud P. Granado de Volunt. tract. 2. diſp. 2.

DISPVT. XXIII.

De obiecto formali diuinæ voluntatis.

EXpoſitis affectibus diuinæ voluntatis, & obiectis materialibus, circa quæ verſantur, aſſignandum eſt formale motiuũ.

CAP. I.

Relatis Theologorum ſententijs, ponuntur nonnulla nobis certa, & quid de motiuo amoris neceſſarij eſſentialis?

1 DEus amat ſe ipſum, & creaturas: difficultas igitur præſens eſt, quænam ſit bonitas, ad quam tales affectus tẽdunt, tanquam ad motiuum, quod diuinam voluntatem inducit ad amorem talium obiectorum? Obiectum formale, ſeu motiuum amoris, quo Deus amat ſe ipſum, diuerſimodè aſſignatur. Nam alij putant, motiuum eius amoris eſſe ſolam eſſentiam diuinam, vt virtualitèr diſtinctam à perſonalitatibus. Ita ſentiunt P. Alarcon tract. 3. diſp. 2. cap. 1. P. Hemelm. tit. 5. diſp. 1. cap. 2. apud quem nu. 3. Ferrar. Bañez, Gonçalez cum communiori ſententiâ Thomiſtarum. Henric. & Scotus, quem ſequuntur Smiſing. tract. 3. diſput. 3. quæſt. 2. Alij cenſent, obiectum formale motiuum eius amoris eſſe diuinam eſſentiam, attributa, & perſonalitates. Sic ſentiunt plures RR. ex noſtris cum P. Ruiz de Vol. diſp. 3. ſect. 3. vbi pro ſe adducit Caietanũ, OKam, & P. Molinã. ¶ Circa bonitatem autem creatam prima ſententia eſt, non poſſe talem bonitatem eſſe obiectum formale motiuum; ſed pure terminatiuum, & materiale diuini amoris. Ita P. Molina 1. p. q. 19. art. 2. P. Valent. punct. 4. & 5. P. Ruiz de Vol. diſp. 3. P. Gran. de Volunt. tract. 1. diſp. 3. P. Alarcon tract. 3. diſp. 2. cap. 1. & 2. P. Tanner. diſp. 2. quæſt. 10. diſput. 1. num. 3. & diſp. 5. num. 2. P. Hemelm. tit. 5. diſp. 2. cap. 6. apud quos plures Thomiſtæ, & Scotiſtæ.

2 Secunda ſententia eſt, etiam bonitatem creatam poſſe eſſe motiuum formale affectus diuini. Sic M. Aluiz diſp. 8. de Volũtate, ſect. 2. P. Petrus Hurt. 2. 2. diſput. 21. P. Ripal. tomo de fide diſp. 31. P. Quiedo tomo etiam de fide, tract. de Charit. cõtrou. 5. punct. 2. P. Torres 2. 2. diſp 66. dub. 2. §. *Tandem*. P. Herice 1. p. diſp. 18. cap. 2. Eſtoſcia lib. 1. ſuæ Theologiæ num. 441. P. Gaſpar Hurt. diſp. 1. de Vol. diſſ.

diff 4. & disp. 2. diff. 1. P. Arriaga, & P. Ribas de Volunt. Ille disput. 26 sect. 4. Hic disp. 3. cap. 2. P. M. Aldrete disp. 3. de Incarnat. sect. 6. Fauet P. Vazq. 1. p. disp. 82. cap. 2. num. 9. nec parũ D. Tho. lib. 1. contra gent. cap. 86. Clarius tamen fauere videtur priori sententiæ in hâc q. 19. artic. 2. Cæterum nonnulli ex Authoribus secundæ sententiæ putant, ita Deum amare posse creaturas propter bonitatem creatam, vt possit eas propter eam solam amare. Alij tamen putant, quanuis eas possit propter bonitatem creatam amare; necesse tamen esse, vt eas amet simul propter bonitatem diuinam.

3 At, vt optimè nonnulli obseruant, plurimum hîc potest de voce disceptari propter inconstantem vsurpationem istorum terminorum: *Obiectum formale motiuum*; quâ de re legi poterũt, quæ diximus tract. de Scientia, disp. 3. *Primò* certum est ex ibi dictis, bonitatem creatam non posse esse obiectum *physicè* motiuum diuini amoris, prout ibi tale obiectum accipiebatur. Nã bonitas creata neque est causa physica diuini amoris, neque principium virtuale illius, neque constitutiuum intrinsecum ipsius per intrinsecam identitatẽ: & istorum aliquid, ex ibi dictis, requiritur ad obiectum *physicè* motiuum actus. *Secundò*, in hac acceptione, nullius diuini amoris essentialis sunt in ordine virtuali obiectum physicè motiuũ personalitates diuinæ: quia constitutum supponunt in ordine virtuali essentialem amorẽ necessarium. *Tertiò*, si nomine motiui formalis significes obiectũ, quod primarium est prioritate principalitatis, profectò, cum omnino sit manifestum bonitatem creatam non esse obiectum principalius diuinæ voluntatis, indubitatum erit non esse formale motiuum in eâ acceptione. *Quartò*, si nomine motiui formalis non aliud significes, quàm finem, in ordine ad cuius consecutionem adhibẽtur media, certum erit, neque diuinam essentiam, neque prædicata necessaria ipsius esse motiuum formale diuinæ voluntatis, quippe quæ nihil præstat, vt ea prædicata consequatur.

4 Igitur obiectum formale motiuum diuini amoris mihi videtur in præsenti vsurpandũ, vt disputationi reali locus maneat, pro ratione intentionali amandi. Ea vero ratio est bonitas illa, ad quam amor sic se habet, vt inspecto modo, quo fertur in suum obiectum, rectè illa vt ab amante cognita detur pro ratione sic tendendi circa tale obiectum. V.g. voluntas sic statuit: *Volo pharmacum hoc, quia est vtile ad sanitatem*: si interroges, quænam ratio voluntati appa-

ruit, quæ direxerit ipsam ad sic statuendum? Recte satisfier, si dicatur eam rationem fuisse, bonam esse sanitatem, & vtile esse pharmacum ad hoc bonum obtinendum: ea igitur bonitas, eaque vtilitas motiuum formale dicitur. Porrò autem quâ ratione bonitas ab intellectu diuino cognita dirigat ad affectum diuinæ voluntatis, tametsi talis cognitio, & affectus omnibus modis identificentur intrinsecè, solùmque distinguantur extrinsecè ex modo nostro concipiendi, satis explicuimus disp. 5.

5 Iam vero, loquendo de amore necessario, & essentiali, quo Deus amat se ipsum, conclusio sit. Motiuum formale huius amoris est totus Deus secundùm omnia sua prædicata necessaria, etiam personalia, si hæc se ipsis, vt virtualitèr distincta ab essentiâ, importent perfectionē (à quo nunc abstrahimus) Plura possunt videri satis eruditè congesta apud P. Ruiz sup. Mihi tamen sufficit ratio à priori, ad quam reliquarum vires tandem reducuntur. Eam sic formio. Cūcta prædicata diuina, etiam personalia, sunt se ipsis infinitè simpliciter perfecta, ac proinde paritèr ac essentia diuina: ergo, quantum est ex parte bonitatis, æquè dignum motiuum sunt diuini amoris, ac essentia diuina, maximè si munus motiui exerceant (vti reuera exercent) non seorsim; sed coniunctim cū essentia diuina. Deinde nihil aliud impedire potest, quominus sint obiectum formale motiuum: ergo, &c. Minor subiumpta probatur. Si enim aliquid impedire posset, sanè nō aliud, quàm ea prædicata personalia non dari pro signo amoris essentialis; sed pro posteriori: hoc autem obstare nequit. Nam, vt bonitas moueat ad affectum non requiritur, quòd pro signo affectus existat realiter; sed intentionalitèr, tempè, quòd pro tunc appareat. At pro signo amoris essentialis, quo Deus amat se perfectissimè, datur cognitio perfectissima, quâ Deus se cōprehendit perspiciens clarissimè prædicata personalia, eorumque bonitatem existentem pro suo signo: id igitur, quod alsignabatur, impedire nequit, quominus prędicata personalia exerceant munus motiui formalis.

6 Dices primò. Prædicata personalia non sunt motiuum scientiæ diuinæ necessariæ, & essentialis, vt dicebamus disput. 3. de Scientia, cap. 3. ergo neque amoris diuini necessarij, & essentialis. Respondeo. Ibi tantum diximus, personalitates non esse motiuum *physicum* eius scientiæ, quia cum physicè dētur posteriori ad illam, nequeunt physicè tribuere *esse* tali scientiæ siue principiatiue, siue constituti-ue. Simul tamen diximus ibi n. 17.

17. esse obiectum formale motiuum *intentionaliter* eius scientiæ: & hoc posteriori modo nũc dicimus esse motiuum formale prædicti amoris; & num. 3. ab eis personalitatibus excluſimus rationem motiui physici talis amoris in ordine virtuali. ¶ Dices secundò. In eodem prædicato diuino, in quo stat ratio vltimi finis, stat motiuum formale diuini amoris. Ratio autem vltimi finis stat in essentiâ Dei, vt condistinctâ à personalitatibus; sicut in eadem essentiâ, vt hic accepta, stat ratio primi principij: ergo in essentia, non verò in personalitatibus stat prædictũ motiuum. Resp. Idem, quod est primum principium, est vltimus finis. Nam Deus Trinus, & Vnus est Alpha, & Omega, primum principium, & vltimus finis. Datur tamen nonnihil discriminis quoad rationem formalem. Ratio enim constituens vltimum finem Deum Trinum, & Vnum est bonitas simpliciter infinita prædicatorum essentialiũ: nec non bonitas simpliciter infinita prædicatorum personalium. Nã vltimus finis constituitur in ratione talis per bonitatem nulli bonitati inferiorem, talisque est omnis bonitas simpliciter infinita. At Deus Trinus, & Vnus constituitur in ratione primi principij per omnipotentiam omnibus personis communem; non verò formaliter per ipsas personalitates.

7 Dices tertiò. Obiectum motiuum diuinæ voluntatis est illud, in quo solo existente quiescit perfectissime Deus, quia illud amat propter se, cæteraque alia propter ipsum. At huiusmodi entitas Deitas, vt condistincta à personalitatibus: ergo ipsa sola est obiectum motiuũ. Minor probatur. Tum, quia sola essentia diuina sufficiens est satiare, ac beare Deum. Tum, quia ipsa præcisè sumpta clarè à nobis visa, perfectèque amata sufficit ad nos beandum, & satiandum. Tum, quia Pater Æternus pro priori originis ad Filium, & Spiritum Sanctum intelligitur plenè beatus, ac proinde plenè quiescens in sua beatitudine obiectiua; & tamen pro illo tunc non quiescit in personalitatibus Filij, & Spiritus Sancti, quæ pro illo tunc nondum existunt.

¶ Resp. Admissa pro nunc maiore, nego minorem. Ad cuius primam probationem dicatur, eam habere verum in sensu significante, nihil simpliciter distinctum ab essentia diuina requiri tanquam obiectum satiãs, & beatificans Deum. At falsa est in sensu significante, sic essentiã diuinam satiare, & beare Deum, vt eum non satient, & obiectiue beent prædicata virtualiter distincta ab illa, & identificata realiter simpliciter cum eâdem: cum enim hæc prædicata sint

æquè bonitas infinita Dei, ac ipsa essentia diuina, non minus ea prædicata, quàm essentia sufficientia sunt satiare diuinam voluntatem, Deumque beare.

8 Ad secundam eius minoris probationem dicatur. Esto demus, solam visionem essentiæ, & delectationem in ipsâ sufficere ad nos beandum; perfectior tamen erit beatitudo, quâ totâ Trinitatem videamus, & in ea totâ visa delectemur suauissimè. Quamobrem hinc deduci non potest, voluntatem diuinã non habere pro obiecto suæ plenissimæ quietis totam Trinitatem; sed potius sequitur oppositum. Ad tertiam eiusdẽ minoris probationem dicatur, Patrẽ Æternum pro eo priori originis plenissimè beatum esse, plenissimèque in sua beatitudine obiectiuâ quiescẽtem; quia, licet pro eo priori non dentur personalitates Filij, & Spiritus Sancti; pro eo tamen signo datur clarissima ipsarum visio, iucundissimumque gaudium circa ipsas, vt existentes pro posteriori, vt dicebam disp. 11. cap. 5. Missas facio confirmationes alias, quæ videri poterunt apud Hemel. cit. quia, me iudice, vires præcedentibus non addunt.

CAP. II.

An bonitas creata possit esse motiuum formale diuini amoris?

9 Assero primò. Bonitas creata potest esse motiuum formale, saltẽ inadæquatum, diuini amoris. Hanc assertionem satis probabiliter ab authoritatibus suadet P. Ripalda tract. de Charit. disp. 31. sect. 1. à n. 6. Ratione probabitur clarius conclusio, si præ oculis habeatur id, quod adnotabimus n. 3. scilicèt Deum, non quidem eatenus amare creaturas propter diuinam bonitatem, quatenus ipsas amet, vt media ad cõsecutionem diuinæ bonitatis; sed quatenus ipsas amat, vt opera Dei, quæ suâ perfectione per quandam similitudinem participant diuinam bonitatem, & perfectionem: & quatenus ipsas amat, quia *condecet diuinam bonitatem etiã alia ipsam participare*, vt loquitur D. Thom. in præsenti quæst. 19. art. 2. in fine corp. Quamobrem amor ille, quo Deus amat creaturas propter diuinã bonitatẽ, neq; respicit diuinã bonitatẽ, vt finẽ, qui medijs creaturis obtineri prætenditur, neq; vt formã, quâ creaturæ cõstituũtur formaliter bonæ, & perfectæ, quippe quæ tales cõstituũtur bonitate, perfectioneq; creata, non increata; sed tanquã ex-

extremum, ex quo magis, vel minus participato maior, vel minor perfectio creata pensanda est, adeò vt maior, vel minor perfectio creata cõsistat in maiori, vel minori accessu ad bonitatem diuinam. Respicit etiam talis amor diuinam bonitatem tanquam finem *cui* decentiæ, nempè, tanquam id, *cui* decens est ipsum ab alijs participari. Relictis igitur in suâ probabilitate argumentis, quibus alij suadent nostram conclusionem, mihi sunt efficaciora, quæ subijcio.

10 Omnis amor, quo Deus amat creaturas, amat ipsas vel propter diuinam; vel propter creatam bonitatẽ. Sed, quouis modo ex his se habeat, respicit vt motiuum formale bonitatẽ creatam: ergo hæc est motiuum formale diuini amoris. Sola minor indiget probatione, quatenus per illam affirmatur etiam amorem creaturarum propter diuinam bonitatem amare ipsas propter bonitatem creatã. Probatur ergo *primò*. Motiuum formale diuini amoris erga creaturas propter diuinam bonitatem est vel ex toto; vel ex parte (de quo non ago nunc) ea bonitas, per quam creaturæ constituuntur bonæ relatè ad diuinam bonitatem. At per bonitatẽ creatã constituuntur ita bonæ formaliter, quia per bonitatem creatã constituuntur in ratione operũ Dei, in quibus splendet diuina bonitas, & in ratione particularum diuinę bonitatis: ergo creata bonitas est vel ex toto, vel ex parte motiuum formale prædicti amoris Cætera constãt præter maiorem; quæ tamen ex ipsa propositione terminorũ verissima apparet. Tum, quia sicut obiectum materiale voluntatis, vt amantis, est quod bonum est; ita formale est bonitas, quâ bonum est: & sicut obiectũ formale bonitatis, vt amantis obiectum propter ipsum obiectum, est bonitas, per quam obiectum est bonum in se ipso absolute; ita formale obiectũ voluntatis, vt amantis obiectum propter aliud, est bonitas, per quam obiectum est bonum relatè ad aliud. Rursus. Nam respectu intellectus, vt assentientis, obiectum materiale est obiectũ verum; veritas autem, per quã hoc obiectũ est verum, est obiectum formale: ergo respectu voluntatis, vt amantis, obiectũ materiale est obiectum bonum; bonitas autem, per quam hoc obiectum est bonum, est obiectum formale.

11 *Secundò* probatur, vel explicatur, vt euasiones præoccupentur. Motiuum formale eligendi media ad obtinendum finem, nõ solùm est bonitas finis, in ordine ad quam obtinendam bona sunt media; sed etiam ipsa bonitas, per quam media constituuntur formaliter bona, id est,

est, vtilia ad consecutionem finis; quare qui pharmacum eligit ad consecutionem sanitatis, rogatus cur sic eligat, non solùm respondebit: *Quia bonum est esse sanum*; sed etiam: *Quia hoc pharmacum vtile est ad comparandam sanitatem*: ergo motiuum formale amandi creaturas propter diuinam bonitatem non erit sola diuina bonitas, in ordine ad quam creaturæ sunt bonæ; sed etiam ipsa bonitas, per quam in ordine ad bonitatem diuinam constituuntur formaliter bonæ: quam bonitatem iam vidimus esse creatam. *Tertiò*, & ad rem nostram magis appositè. Quando volumus opera studiosa quia condecentia naturam rationalem, quia consona dignitati naturæ rationalis, hic actus respicit dignitatem naturæ rationalis, vt extremum, & mensuram, vnde pendatur honestas operis amati, necnon vt finem *cui* condecentiæ, nempè cui expediunt, & quem condecent talia opera. Sed, his non obstantibus, ea volitio talium operum censetur optimo iure habere pro motiuo formali, non solùm naturam rationalem secundùm prædicata intrinsecè identificata cum ipsa; sed etiam ipsam operum honestatem, scilicet, quia talia opera eâ ipsa honestare constituuntur formaliter expedientia dignitate naturæ rationalis, eâque naturam cõdecentia: ergo, similibus nihil obstantibus, diuinus amor erga creaturas, quia sunt opera Dei, quia sunt particulæ diuinæ bonitatis, quia dignitati diuinæ expedit ipsarum *esse*, quia diuinam bonitatem condecet, iure censendus est habere pro motiuo, non solam diuinam bonitatem; sed creatam etiam, quâ creaturæ constituũtur formaliter consonæ diuinæ bonitati.

12 *Quartò* ex amore amicitiæ, per quam amicis ex ipsorum complacentia amantur alia bona. Nam ille amor, quo volumus amicis dignitatem, vel honorem, quia hæc sunt bona ipsis, non solùm habet pro motiuo formali ipsum amicum, in ordine ad quem prædicta sunt bona; sed etiam bonitatem ipsam, per quam prædicta constituuntur formaliter bona amicis: ergo amor, quo Deus vult creaturas, quia diuinæ bonitati consonas, non solùm habet pro motiuo formali bonitatem diuinam, cui creaturæ consonant; sed etiam bonitatem creatam, per quam creaturæ formaliter constituuntur consonæ bonitati diuinæ. *Quinto*. Tametsi æstimabilitas remissionis peccati pensanda sit ex malitia peccati tanquam ab extremo, à quo receditur per remissionem; tamen volitio remissionis, quatenus recessus à peccato, non solùm habet pro motiuo formali malitiam peccati

cati, in ordine ad quam bonum est ab illa recedere; sed ipsam etiam bonitatem recedendi à peccato, per quam remissio cō-stituitur formaliter bona relatè ad malitiam, quam excludit: ergo, quamuis creaturarum æstimabilitas respectiuè ad bonitatem diuinam pēsanda sit ex bonitate diuina vt extremo, ad quod accedendo creaturæ sunt bonæ; tan en amor, quo Deus amat creaturas, quatenus accedentes aliquo modo ad bonitatem diuinam, non solùm habet bonitatem Dei pro motiuo formali, sed etiam ipsam bonitatē creatam, per quam creaturæ formaliter constituuntur participantes bonitatem diuinam, & ad ipsam accedētes. Simili proportione poteris idem suadere, ducto argumento ex odio, quo detestaris omissionem rectitudinis præceptæ, quia pugnantē cum ea rectitudine, quod quidē odium nō solùm habet pro motiuo formali rectitudinem præceptam, penes quā sumitur malitia omissionis; sed ipsam malitiam constituētem eam omissionem malā in ordine ad eam rectitudinem, quam excludit.

13 Horum omnium ratio à priori sumitur ex dictis num. 4. Nam obiectum formale amoris, & odij est ratio intentionalis amandi, & odio habendi, nēpè, quòd inspectis modis affectiuis amoris, & odij, rectè redditur pro ratione cognita sic se habendi ad obiecta. Vt autem facilè constabit percurrenti argumenta proposita, redditur rectissimè pro ratione cognita affectuum, quos assignauimus, ea obiectorum bonitas, & malitia, quas in eis argumentis exposuimus.

14 Assero secundò. Nequit Deus ita præcisè amare creaturas propter bonitatem diuinā, vt non amet illas simul propter bonitatem creatam. Hæc assertio non indiget probatione, supposito antea dictis. Nam ex illis patet, in ipsa ratione amādi creaturas propter bonitatem diuinā essentialitèr includi, quòd bonitas creata sit motiuum eius amoris. ¶ Assero tertio. Motiuum formale diuini amoris erga creaturas nequit esse bonitas creata seorsim accepta; sed solùm in consortio bonitatis diuinæ. Quamobrem illud Prouerb. 16. *Vniuersa propter semetipsum operatus est Dominus*, non solùm intelligendum est, quatenus sic de facto fuerit operatus; sed etiam quatenus ex hypothesi, quòd operetur, non potest nō operari propter suam bonitatē. Hæc assertio probabitur efficacitèr, si duo prænotentur. *Primum*. Diuinus intellectus nullatenus distinguit in creatura esse creaturam, & esse opus Dei: itē, in tali creatura esse talem creaturam, & esse tale opus Dei. Nā

ita

ita exactè diuina mens se accõmodat obiectis, vt in se sunt, vt rationes obiectiuę prorsus in esse reali indistinctæ; prorsus etiã indistinctæ sint in esse apparenti in mente diuina. Rationes autẽ prædictæ sunt prorsus idem in esse reali: ergo in intellectu diuino, à quo procul est omnis vmbra falsitatis.

15 *Secundum* (quod ex pluribus locis huius tractatus colligitur) Diuinus amor circa creaturas, siue sermo sit de amore simpliciter necessario ipsarũ, siue de ipsarum libero decreto, sic imbibit necessariam complacentiam, per quam Deus in sua bonitate complacet, vt quanuis ab ea complacentia non sit vere, ac propriè egressiuè; benè tamen mirabiliori, & eminentiori modo, nempè constitutiuè: quemadmodum iuxta nostram sentẽtiam, quæ nullatenus distinguit virtualitèr intrinsecè diuinam intellectionem necessariam, & amorem necessarium, profectò quanuis amor non sit propriè, ac verè processiue à cognitione; benè tamen constitutiuè.

¶ Hinc assertio nostra probatur. Omnis amor, quo Deus amat creaturas propter bonitatẽ creatam, est amor, quo amat ipsas ex complacentia in diuina bonitate, & quia sunt opera Dei, bonitatisque diuinæ particulæ. At omnis amor sic se habens non amat illas seorsim propter bonitatem creatam; sed simul propter diuinam: ergo omnis amor, quo Deus amat creaturas propter bonitatem creatam, est amor, quo Deus amat ipsas simul propter diuinã. Minor, & consecutio patent. Maior pro prima parte constat ex secundo prænotato. Pro posteriori parte patet ex prænotato primo. Nam, cum bonitas creata re, & mente diuina non sit aliud, quàm opus Dei, bonitatisque diuinę particula, nõ est aliud amari obiectũ à Deo, quia bonum creatum; quàm amari, quia Dei opus est, & particula bonitatis diuinæ. Vide disp. 11. num. 20.

16 Omissis rationibus aliorum satis quidem pulchris; sed, quæ mihi non adeo firmæ videtur. *Primò* sequitur ex dictis, motiuũ formale odij, quo Deus auersatur peccatum, non posse esse malitiam ipsius seorsim acceptam; sed solùm in consortio diuinæ bonitatis. Quia, sicut amor diuinꝰ erga creaturas propter bonitatem creatam ex vna parte existit constitutiuè ex cõplacentia necessaria Dei circa diuinam bonitatem, & ex alia parte amat creaturas, quia sunt opera Dei, & particulæ diuinæ bonitatis, quia in Deo hoc est idem formalissimè, ac amare creaturas, quia bona creata; ita diuinum odium contra peccatum, ex vna parte existit constitu-

tui-

tutiuè ex complacentia Dei necessaria circa diuinam bonitatem; & ex alia auersatur peccatum, quia peccatum est; & sic auersari peccatum est in Deo idem formalissimè, ac ipsum odisse, quia offensiuum Dei. Patet autem affectum, quo ex complacentia diuinæ bonitatis odio habetur peccatum, quia offensiuum Dei, non solùm habere pro motiuo formali malitiam peccati; sed etiam bonitatem illi Dei, vt cernere est in actu contritionis elicito ex virtute charitatis.

Secundò sequitur, posse Deum amare suos actus liberos propter liberam bonitatem ipsorum simul cum bonitate necessaria Dei, & non aliter. Hic enim eadem est ratio, ac in creaturis; vt perspicienti superiora planum erit.

17 *Tertiò* sequitur. Tametsi Deus amet creaturas propter bonitatem creatam, vt motiuum; amat tamen ipsas propter seipsum, vt finem *cui*: nam ex complacentia sui ipsius ipsas amat, vt sibi ipsi consonas. At petes. Num Deus possit seipsum amare creaturæ, vt fini *cui*? Respond. Potest vt fini *cui* non vltimo; non potest vt fini *cui* vltimo. Ratio prioris est, quia ex complacentia circa hominem iustum potest Deus amare se ipsum, vt existentem; quia Deum ipsum existere bonum est ad hoc, vt homo iustus Deum ipsum, vt existentem, intueatur, & possideat. Ratio posterioris non est præcisè, quia id ipsum, quod est Deum esse bonum prædicta ratione homini iusto, amatur à Deo ex complacentia bonitatis diuinæ, & quia id ipsum diuinæ bonitati consonat; sed ratio est: quia sicut illud in genere entis est primum principium effectiuum, à quo cætera omnia efficienter dimanant, eoque magis vel minus habent esse, quo magis, vel minus ab eo tanquam ente derivantur; cum tamen ille fons à nullo cæterorum suum habeat esse; ita illud in genere boni est vltimus finis, eoque magis ad amorem, & appetitionem qui talis est, vt per conformitatem cum illo cætera, quæ reuera bona sunt, sint bona, eoque magis, vel minus, quo magis, vel minus conformia cum ipso, ipsi consonent, ipsumque decorent, cum tamen ipsius bonitas ex nullius alterius bonitate mensuretur; sed ipsa omnem mensuram summa sit. Vnde voluntas id solum respicit tanquam vltimum finem cui, quod suo affectu æstimat, & appretiat, vt eo modo se habens, quem diximus. Cum igitur solus Deus sic se habeat, Deusque seipsum solum sic se appetiet, & æstimet affectiuè, patet suo affectu circa se solum vt vltimum finem verari.

(u*.)

CAP.

CAP. III.

Soluuntur obiectiones.

18 PLura possunt cõtra nostras assertiones obijci, sed quæ non difficultèr soluentur ex explicatione ipsarum. *Primò* potest obijci, Deum non posse amare creaturas propter bonitatem diuinam, maximè affectibus illis, quibus creaturas liberè amat. Tum, quia Deus antecedenter ad affectus liberos bonitatem suam amat amore necessario plenissimè, ac perfectissimè. Non ergo est cur ipsum per affectus liberos verse tur circa eandem bonitatem, & consequentèr eis affectibus amabit creaturas propter bonitatem creatam præcisè. Tum, quia superfluum est amare creaturas propter id, quod existit omnino independenter ab ipsis. At existit bonitas Dei omnino independenter à creaturis: ergo superfluum est amare creaturas propter bonitatem Dei. Nõ ergo Deus ipsas amat propter bonitatem Dei, sed propter solam bonitatem creatam. Tum propter argumentum positum disp. 12. cap. 1. num. 4. ¶ Respon. Fallum est assumptum. Ad primam probationem dicatur. Amor necessarius non præcedit ad amorem liberum creaturarũ præcedentiã excludentis, & excluſi; sed necessarius est intimissimè in libero. Quare Deus amans creaturas propter bonitatem Dei non id præstat exercẽdo nouum amorem ex æquo condistinctum ab amore necessario, sed terminans se ad creaturas terminatione, quæ ipsum amorem necessariũ diuinæ bonitatis transcendenter imbibit, quin possit incomplexè, seorsimque accipi, sed solùm complexè cum amore necessario. Videatur disp. 17. Ad secundam probationẽ (quæ probaret etiã nos minus rectè per amorẽ charitatis amare obsequia creatã propter bonitatem Dei) dicendum est. Tametsi frustra sit amare creaturas propter id, quod existit omnino independenter ab ipsis tanquam propter finem quoad existentiam comparandum per influxum illarum; non tamen tanquam propter id, cui decentes sunt ipsæ creaturæ: & hoc modo Deus amat creaturas propter bonitatem Dei, non illo primo. Tertia, quæ tãgitur probatio, satis soluta est loco cit. à num. 5.

19 Obijcies secundò, posse Deum amare creaturas præcisè propter bonitatem diuinam, quin se tenear ex parte motiui bonitas creata. Tum, quia nos possumus amare creaturas, v. g. opera creata honesta purè, ac præcisè propter bonitatem Dei, quâ ratione talia opera amamus,

mus, quando amor purè elicitur ex virtute charitatis erga Deũ. Tum, quia perfectior modus amandi creaturas est ipsas amare purè propter Deũ sine vllâ mixtura motiui creati. At absurdũ est non tribuere Deo modum perfectiorem amãdi creaturas, tribuereque solùm imperfectiorem: ergo potest Deus amare creaturas ita præcisè propter bonitatem diuinam, vt non intret ex parte motiui bonitas creata. ¶ Respon. Tametsi possit Deus amare creaturas, nõ intrante ex parte motiui bonitate creatâ *absoluta* ab ordine ad bonitatem diuinam, quia Dei affectus nequit attingere bonitatem creatam præcisim ab ordine ad diuinam; non potest tamen amare creaturas, non intrante ex parte motiui bonitate creatâ, vt respectiua ad diuinã, quod satis euicerant superiora. Hinc ad primam probationem respond. Non possumus amare opera creata studiosa sic purè, putaque propter bonitatem diuinam, vt non intret ex parte motiui bonitas creata adhuc tacta respectiuè ad diuinam: nam amare talia opera propter bonitatem Dei est ex complacentia iuxtà amare talia opera, quia in se habent bonitatem creatam, quâ formaliter reddũtur consona bonitati Dei; bene tamen possumus sic amare propter bonitatem diuinã ea opera, vt non amemus illa simul propter bonitatem creatam absolutè spectatam, præciso ordine ad diuinã: & hoc pacto ea opera amat affectus purè elicitus ex charitate erga Deum.

2. Hinc ad secundam probationem dicatur. Non est perfectior modus amandi creaturas sic ipsas amare propter bonitatẽ Dei, vt non amentur propter creatam, adhuc vt relatiuam ad Deum: hic enim modus est implicatorius; sed dari ipsas amare propter bonitatem Dei, vt non aliter amẽtur propter creatam, quàm propter ipsam, vt relatam ad Deum, & sic Deus eas amat.

3. Obijcies tertiò, posse bonitatem creatam seorsim, & adæquatè acceptam esse motiuũ formale diuini amoris. *Primò*, quia veritas creata seorsim accepta potest esse motiuum formale adæquatum scientiæ diuinæ. Nam ex communi sententia Societatis Deus cognoscit in se ipsis immediatè, non in alio medio obiectiuo futura libera cõditionata: ergo bonitas creata seorsim accepta potest esse motiuum formale adæquatum diuini amoris. Si enim stat perfectio alicuius scientiæ diuinæ sine motiuo perfectissimo diuino, cur non similiter perfectio alicuius diuini amoris? *Secundo*. Stat tota omnipotentiæ perfectio, quin ex parte termini efficien-

ciendi detur aliquid diuinum: ergo tota perfectio amoris, quin ex parte obiecti amandi detur bonitas diuina. *Tertiò*. Nam etiã ex obiectis materialibus præstãtioribus crescit, cæteris paribus, moralis honestas affectuũ: quapropter honestior est affectus, quo efficaciter quis decernit propter bonitatem diuinam votum perpetuæ castitatis, paupertatis, & obedientiæ, quàm affectus, quo decernit exiguã eleemosynam. At, hoc non obstãte, non tenetur Deus decernere obiectum materiale perfectissimũ ex suppositione, quòd aliquid decernat: ergo neque tenetur ex hac suppositione ad hoc, vt motiuum decernendi sit perfectissimum, nempè diuina bonitas.

22 *Quartò*. Si per impossibile Deus nõ amaret se ipsum haberet ex parte obiecti bonitatem motiuũ, vt illud amaret, & ex parte obiecti turpis motiuũ sufficiẽs, vt illud odio haberet. Videtur enim certũ, quòd in ea hypothesi posset Deus honestãtem creatã amare; & auersari turpitudinẽ: ergo obiecta creata bona sunt sufficiẽter à Deo amabilia propter iplorũ bonitatẽ; & obiecta turpia sufficienter odibilia propter suã turpitudinẽ, præscindẽdo à bonitate diuina. *Quintò*. Nam odium, quo Deus auersatur peccata, si præcisè sumatur, quatenus odium, non habet pro motiuo formali bonitatem Dei, hæc enim non est motiuum odij; sed amoris: ergo sumptum præcisè, quatenus odium, habet pro motiuo formali solam turpitudinem peccati, ac proinde nihil increatum. Confirmatur primò, quia motiuum dissensus, præcisè quà dissensus, est sola falsitas, non veritas: ergo motiuũ odij, præcisè quà odij, est sola malitia, non bonitas. Confirmatur secundò. Peccatum non solùm est malum Deo malitia relatiua dissonantiæ, vel dedecentiæ ad Deum; sed etiam malitiâ absoluta, quâ in se est turpe. At, quamuis possit ratione prioris formalitatis odio haberi propter Deum; non tamen ratione posterioris, quæ nullatenus est in ordine ad Deum: ergo ratione posterioris formalitatis poterit odio haberi seorsim à diuina bonitate, vt mouente. De aliis, quæ peti possunt ex obiectis virtutũ moralium, & ex æqualitate, vel inæqualitate diuinorũ affectuũ dicemus disp. seq.

23 Hæc tamen non vrgent. Ad primum. Concesso antecedenti, negatur consequentia. Discrimen est: quia Deum cognoscere veritates creatas in se ipsis, præscindendo à manuductione medij obiectiui se tenentis ex parte Dei, nullam in Deo arguit imperfectionẽ; sed magnum diuinæ mentis acumen, vt ex disp. de Scientia constat. Cæterum imperfectio argueretur in

in Deo, si creaturas amaret præcisè propter bonitatem creatã. Ad hoc enim alterum ex duobus requiritur, nempè vel diuinum amorem erga creaturas non imbibere necessariam complacentiam, per quam Deus complacet in sua bonitate; vel aliud, & aliud esse in mente Dei creaturas esse bonas bonitate creata; & esse opera Dei, particulasque diuinæ bonitatis. Vtrumque autem impossibile, & contra diuinam perfectionem est, vt ex dictis patet. Ad secundum. Cõcedo antecedens; quia chymærica, & imperfecta omnipotentia esset, quæ Deum efficere posset, vt constat: negatur autẽ cõsequentia propter immediatè ante dicta. Ad tertium. Admissa maiori, & cõcessa minore, negatur consequẽtia. Quia nulla imperfectio arguitur in Deo ex eo, quòd non decernat obiectum materiale creatum perfectissimum. Tum, quia hoc obiectum forsan implicat. Tum, quia inde potius arguitur diuina independentia, & sufficientia intra se ipsum. Arguitur autem imperfectio, vt nuper dicebamus, si creaturam velit, & non propter bonitatem Dei.

24 Ad quartum. Nego antecedens. Nam, vt cõstat ex dictis sæpè, nequit Deus bonitatem creatam amare, nisi quatenus aliqualẽ accessum ad diuinam; nequitq; malitiã auersari, nisi quatenus recessum â bonitate Dei, neque aliter potest talem amorem, & odium exercere, nisi in eis affectibus imbibitâ complacentiâ necessaria circa Dei bonitatem; cumque hypothesis illa demat eam complacẽtiam, destruit pariter hos affectus, vt eos destrueret hypothesis, in quâ fingeretur, vel Deum non inuenire motiuum honestũ ad eos exercendos; vel deficere conditionẽ necessariam, vt Deo exhibeant denominationem amantis, vel odio habentis. Ad quintum, quo motus fuit Paschalis sup. cit. ad negandum Deo odium propriè dictum, ne Deo tribuatur affectus extra motiuum bonitatis diuinæ: ad quintum, inquam, respond. Odium sumptum in eâ præcisione *non habet* pro motiuo formali bonitatem Dei, sumptò ly *non habet* præcisiuè ex modo nostro concipiendi; secus sumpto exclusiue ex parte rei: quia, licet illud odium sub expressione pura odij non cõcipiatur à nobis tanquam amor prosequens diuinam bonitatem, ac proinde præscindatur à nobis ab attingẽtia diuinæ bonitatis, vt motiui placentis; illud tamen odium ex parte rei non excludit attingentiam diuinæ bonitatis, vt placentis motiui: quia ex parte rei imbibit complacẽtiam diuinæ bonitatis, propter quam auersatur turpitudinem. Similẽ cernitur in contritione, quæ peccatũ detestatur, & elicitur ex virtute Charitatis; vnde solùm fit, prædictũ

odium posse à nobis exprimi in ordine ad motiuũ creatum; nõ eo expresso in ordine ad bonitatem Dei; non tamen sit, ipsum in se posse attingere motiuũ creatum displicens, & non attingere motiuũ placẽs bonitatis diuinæ.

25 Ad primam eius quinti argumenti confirmationẽ. In primis nullatenus est aliud, & aliud; sed idem prorsus, esse quid falsũ; & esse verum contradictorium: esse falsum Petrum non existere, & esse verum Petrum existere. Vnde, si motiuum dissentiendi sit falsitas obiecti negati, motiuũ etiam erit veritas cõtradictorij. At quicquid sit de hoc. Transeat, motiuum dissensus *puri* esse præcisè falsitatem; motiuum autem actus, qui est dissensus circa vnũ, & assensus circa aliud, erit falsitas, & veritas. Quia igitur diuinum odium circa peccatum nõ est re ipsa odium *purum*, sed tantùm præcisiuè ex modo nostro cõcipiendi, certè licet in ea præcisione nostrâ non exprimatur sub alio motiuo præter malitiã; in se tamen re ipsa habebit motiuum malitiæ peccati; quod auersatur, & simul bonitatis Dei, quem prosequitur. Ad secundã confirmationem. Transeat, peccatum habere duas illas formalitates ex modo nostro concipiẽdi distinctas, quia forsan possumus cõcipere peccatum sub expressione abominabilis in se; nõ cognito eodem sub expressione recessus à bonitate Dei. Hæc autem distinctio impossibilis est in mente diuinâ: illę namque rationes reuera sunt omnino idẽ; sunt que indiscreta in mente Dei, qę in se discreta non sunt.

26 Demum opponuntur nõnulla ad probandum, bonitatem creatam neque in consortio diuinæ posse esse motiuum formale diuini affectus. *Primò*. Quia obiectum formale amoris est specificatiuum ipsius, nempè suã speciem, & perfectionem tribuens amori. At nihil creatum potest perfectionem & speciem tribuere amori diuino: ergo nihil creatum potest esse obiectũ formale motiuum amoris diuini. *Secundò*. Formale motiuum diuini amoris est centrum, in quo diuina voluntas quiescit: cũ enim obiectũ formale nõ propter aliud; sed propter se ipsum ametur, eo iam adepto, quietè voluntas in ipso sistit. At voluntas diuina tanta est, vt in solâ bonitate Dei possit quiescere: ergo sola bonitas Dei est obiectum formale diuini amoris. Confirmant, & acutè promouẽt RR. hanc rationem. Gaudium Dei neque extensiuè crescere potest supra gaudium, quod Deus habet de se ipso; quippè Deus adeò sibi sufficiens est, vt nequeat felicius, ac iucundius viuere possidens se simul cum alijs extra se, quàm se præcisè possidens. Nam vique adeo eminenter cunctas continet perfectiones creatas, vt se præcisè pos-

possidens, iure censeatur mirabili, & eminentissimo modo cuncta possidere. At, si bonitas creata esset motiuum formale diuini amoris, possessa bonitate creata, gaudium Dei cresceret, saltem extensiuè, supra gaudium, quo Deus in se ipso quiescit: ergo bonitas creata non est motiuum formale diuini amoris.

27 Minor probatur. Obiectum, quod non purè propter aliud; sed propter se amatur, sanè, si possideatur, parit gaudium quietans voluntatem in ipso supra gaudium quietans voluntatem in alio obiecto: hoc enim est discrimen obiecti purè propter aliud amati, & obiecti amati propter se, quòd amatum purè propter aliud, hoc iam obtento, contemnitur; amatum autem propter se parit iam obtentum nouam delectationem supra illam, quæ datur de obiecto alio. At, si bonitas creata sit motiuum formale diuini amoris, non solùm amatur propter Deum; sed propter se ipsam: ergo, eâ iam possessa, gaudium Dei crescet, saltem extensiuè, supra gaudium, quo Deus in se ipso quiescit. *Tertiò* arguitur. Nõ est obiectũ formale amoris eà bonitas, quæ nõ potest amari nisi propter aliud, si enim solùm propter aliud amari potest, nõ amabitur propter se; sed purè ratione alterius: idq; est esse obiectũ materiale purè. At bonitas creata nequit à Deo amari nisi propter Deum: ergo bonitas creata nequit esse obiectum formale diuini amoris. Minor probatur. Tum, quia tota bonitas creata est bonitas medij in ordine ad Deum, vt vltimum finem: medium autem, vt medium, non est amabile nisi propter finem. Tum, quia bonitas creata non potest amari à Deo, nisi vt honesta. Nam indignum esset sanctissimam, & rectissimam Dei voluntatem versari circa obiectum ab honestate prascindens. At in Deo idem est amare obiectum, vt honestum, & amare illud, vt sibi vltimo fini consonum. Nam in mente diuina perfectissimè, & expressissimè perspiciente obiecta non est aliud, & aliud esse obiectum honestum, & sibi fini vltimo consonum: ergo bonitas creata non potest amari à Deo, nisi vt ipsi Deo cõueniens, & consequentèr nõ nisi propter Deum.

28 *Ad primum* ex num. 26. respond. De ratione obiecti formalis non est esse specificatiuum intrinsecum amoris, nempè aliquod ex prædicatis intrinsecè constituentibus amorem in tali specie, vt patet in nostris actibus charitatis habentibus pro motiuo formali bonitatẽ Dei, quæ tamen non est intrinsecè constitutiua ipsorum. Est tamen de ratione obiecti formalis esse specificatiuum intrinse-

cum, vel extrinsecum; adæquatum, vel inadæquatum amoris, nempè extremum, per ordinem ad quod dignoscitur amoris species ex toto; vel ex parte. Nihil autem absurdi est, quòd intrinseca prædicata amoris diuini partim dignoscantur ex bonitate creata, ad quam terminatur, maximè cum etiam ex parte dignoscerentur ex illa, tametsi obiectum esset merè materiale. *Ad secundum.* Non omne formale motiuum diuini amoris est centrum, in quo diuina voluntas quiescit; sed illud, quod, vt actualiter possessum a diuina voluntate, necessarium est, vt illa in statu connaturalissimo, & iucundissimo exittat: & quia solus Deus sic se habet, tametsi creaturarum bonitas sit ratio intentionaliter mouens Deum ad amorem creaturarum, ideo quanuis harum bonitas sit motiuum formale diuini amoris; sola tamen bonitas Dei est centrum, in quo voluntas Dei requiescit.

29 *Ad confirmationem* concedenda est maior, quia gaudium Dei de se ipso, & gaudium Dei de creaturis existentibus non distinguuntur distinctione sufficiente ad constituendum numerum *vnius*, & *alterius* gaudij iuxta dicta num. 17. Negauda tamen est minor. Ad cuius probationem ex num. 17. præter quàm quòd bonitas creata non amatur à Deo *propter se ipsam*, significando his terminis amari sistendo in ipsa præscindendo ab eo, quòd amor referat ipsam in Deum; sed significando ipsam amari à Deo, ita vt ipsa, & non sola bonitas Dei sit ratio intentionalis, vt ipsa ametur à Deo, de quo ad argumentū sequens) resp. Tūc obiectū, quod amatur propter se, parit, si possideatur, nouū gaudiū augēs gaudiū præcedens, quādo subiectū animās nō est incapax eius augmenti: vnde, quanuis Deus amet creata bonitatem propter ipsam, hæc iam possessa non auget gaudium Dei supra gaudium præcedens de se ipso, quia Deus illo gaudio præoccupatus incapax est, vt reddatur lætior, & gaudentior. Tum, quia nihil denuo aduenire potest vel constituens cum præcedente gaudio maiorem intensionē lætitiæ, vel numerum gaudiorum, iuxta doctrinā sæpè citatā. Tū, quia sicut propter eminentissimam Dei infinitatem melius Deo non est complexum ex Deo, & creaturis, quàm Deus secundùm se, quanuis illud cōplexum sit plures res, quàm Deus secundùm se; sic non est Deo iucundior existentia eius complexi; quàm Dei secundùm se, tametsi gaudium de complexo sit gaudium de pluribus rebus. Porro, vt in sententia arguentium, potest Deus non solùm necessariò gaudere in se ipso; sed contingenter

in

in creaturis existentibus, licet propter Deū; neque impeditur gaudiū cōtingens, quāuis Deus se solo tam conuenienter se habeat, quā cum creaturis; ex alijsque principijs ipsi explicāt, gaudium contingens nullā verā additionem facere supra gaudium necessarium, cur non poterit ex principijs, quæ in hoc n. tetigimus, non tolli gaudium de bonitate creatâ propter se amatâ; tolli tamen veram additionem supra gaudium Dei in se?

30 *Ad tertium* ex n. 27. resp. Potest bifariam intelligi, nō posse obiectum aliquod amari nisi propter aliud. *Primò*, quatenus ratio intentionaliter mouens ad amorem nequeat esse nisi aliud adæquatè distinctum ab obiecto: & obiectum, quod sic se habeat, erit purè materiale. *Secundò*, quatenus amari nequeat nisi relatè ad aliud; ita tamē, vt propria ipsius bonitas; respectiua tamen ad aliud, sit ex toto, vel ex parte ratio intentionaliter mouens ad amorem; & obiectum, quod sic se habeat, non erit purè materiale; sed etiam formale, vt ex superioribus constat. Hinc potest diuinus affectus respicere bonitatem creatam tanquā obiectum formale, quia proprium *esse* talis bonitatis potest esse ratio intentionaliter mouens ad affectum diuinum, licet non attacta nisi relatè ad Deum. Neque aliud cōficiūt minoris probationes, quia licet creaturæ nō aliter amentur à Deo nisi relatè ad ipsum Deum, vt ad finem vltimum, cui decētes sunt (in quo sensu possunt dici mediæ) hoc tamen non obest, quominus ipsarum bonitas sit ratio intentionaliter mouens ad amorem diuinum, vt patet ex cap. 2.

DISPVT. XXIV.

Concordia virtutum moralium diuinarum cum præiactis principijs.

HÆC disputatio necessaria est ad pleniorem lucem præcedentis.

CAP. I.

An virtutes morales Deo repugnēt ratione obiecti formalis, quod essentialiter respiciunt?

1 HIc plures fusè disputāt de amicitia stricta Dei erga creaturas rationales: sed quia difficultas hæc propriè pertinet ad tract. de Charitate, remissā illa, variisque dicendi modis ad eum locum, dicemus solùm in præsenti, quæ necessaria sunt ad firmitatem doctrinæ traditæ disput. 23. suppono primò, virtutes volūtatis, de quibus nunc, alias dici Theologicas; alias morales. Theologicæ sunt, quæ intrinsecè respiciunt Deum tanquam motiuum formale, propter

ter quod eliciuntur affectus, qui oriuntur ex ipsis. Sic virtus Charitatis supernaturalis erga Deum dicitur virtus Theologica, nam affect⁹ charitatis eliciti ex ea virtute respiciunt intrinsecè bonitatem diuinam tanquam obiectum formale motiuum, propter quod tales affectus exercentur. *Morales* sunt, quæ honestatem aliquam creatam, proindeque à Deo distinctam, respiciunt intrinsecè tanquam motiuum formale, propter quod exercentur affect⁹ eliciti ex ipsis. Sic virtus misericordiæ dicitur moralis, quia respicit intrinsecè tanquam motiuum formale honestatē auxiliandi misero, & sic in alijs. Quare, vt benè notat P. Ripalda de charitate disp. 31. sect. 6. n 56. virtus moralis non sumitur nunc prout distincta à naturali, nempe prout se exercēs per liberos, & honestos actus; nō per necessarios. Nam etiam virtus Theologica charitatis se exercet per actus liberos; sed sumitur prout à Theologica cōdistincta, nempè prout nō habet purè pro obiecto formali bonitatem diuinā; sed habet pro obiecto formali honestatem creatam.

2 Suppono secundò. Virtutes morales sunt, quæ imperfectionem importāt ex parte subiecti, vt castitas, quæ importat corporeitatem, quippè quæ tendit ad effrenatos carnis impetus coercendos: obedientia, quę importat inferioritatem, & subiectionem ad superiorem, aliçque plures: has verò non esse in Deo, in quem nulla imperfectio cadere potest, indubitatū est. Dubiū est, an præter virtutem Theologicam Charitatis sint virtutes aliquæ morales ita ab imperfectione præscindentes, vt possint Deo conuenire? Suppono tertiò ex tract. de Bonitate, & Malitia humanorum actuum. Non sufficit ad operandum honestè id præstare, quod aptum est, vt honeste fiat; sed id præstare ex motiuo formali honestatis, & eādem proportione ad operādum honestè in tali, vel tali virtute non sufficit id præstare, quod aptum est, vt ex tali virtute fiat; sed præstare illud ex motiuo talis virtutis. V. g. ad operandum honestè honestate iustitiæ non sufficit soluere debitum; sed soluere ex motiuo formali seruandi æqualitatem debitam. Id, quod eo tract. ex August. Arist. & ratione probatur.

3 His positis, difficultas controuersiæ præsentis nascitur ex præcedente disp. Ex quâ formatur hoc argumentum. Ad exercitium virtutis moralis requiritur velle obiectum creatum honestum propter honestatē creatam. At Deus vel non vult obiectum creatum honestū propter honestatem creatam; sed solùm propter bonitatem Dei; vel in ordine ad hoc, vt eius volitio sit purè Theologica, perinde se habet, ac si tale obiectum vellet ex

ex solo motiuo bonitatis diuinæ: ergo Deus non exercet virtutes morales. Minor probatur. Nam iuxta disp. præced. si Deus non vult obiecta creata propter solam bonitatem diuinã, saltem non aliter amat ipsa, quàm ex complacentiâ in diuinâ bonitate, quia sunt Dei opera diuinæ bonitati congruentia. Hoc autẽ purissimè est esse eiusmodi amorem Theologicæ Charitatis: ergo vel Deus vult obiecta creata propter solã bonitatem Dei, vel perinde Theologice, ac si propter illã solã amaret. Cõfirmatur, & explicatur. Si creatura velit exhibere cultum Deo, non aliter quàm ex cõplacẽtia in bonitate diuina, quia tali bonitati cõgruum est coli, talis amor nõ pertinet ad virtutem moralem religionis; sed ad Theologicam charitatẽ erga Deum. Cum igitur Deus ex disp. præced. non aliter velit obiecta creata, quàm ex complacentia in diuina bonitate, quia ipsi sunt congrua, planè fit, purissimè talem amorem esse Theologicæ charitatis.

4 Quamobrem Theodorus Smising. tom. 1. tract. 3. disp. 3. q. 2. solùm eminentèr; non verò formalitèr, & propriè Deo tribuit virtutes morales. Cõtra ipsum tamen stant cæteri Theol. Omissis ad tract. de Charit. solutionibus, quas alij adhibent ad hoc argumentum occasione exponendi strictam Dei amicitiam erga creaturas rationales, vt solutio mihi verissima planè percipiatur, notandum est primò. Ad exercitium virtutis requiritur quidem, vt tale exercitium inducat eius virtutis motiuum; nõ tamen vt excludat motiuum alterius virtutis. Sic, si ex complacentia in bonitate Petri amem illi vehementèr suam conuersionem, quia ipsi conuenientissimam, exerceo sanè benevolentiæ amorẽ erga Petrum, tametsi eodem actu ex complacentia in bonitate Dei amem eandẽ conuersionem, quia Petrum cõuerti decet diuinam bonitatem. Nã in hoc euentu non minus essẽt iniquę Petri querelæ contra me, ac si non exercerem amicitiam erga ipsum, quàm in euentu, quo mea voluntas per duplicem actum prædicto modo se haberet circa conuersionem. Noto secundo. Non sufficit ad exercitium virtutis tendere circa virtutis materiam, & eandem attingere propter illud, quod *re ipsa, & identice* est aptitudinalitèr motiuum eius virtutis. Nam subleuare miseriam inopis, cum sit opus Deo gratum, est aptitudinalitèr motiuum charitatis erga Deum. Tamen, si quis eleemosynam exerceat, vt subleuet miseriam inopis; & interim immemor sit, an id opus sit gratum Deo, non exercet virtutem charitatis erga Deum; sed solùm erga proximum.

5 Hinc noto tertiò. Ad exercitiũ virtutis requiritur, vt eiusmodi

modi exercitium tendat in materiam virtutis propter virtutis motiuum, vt tali determinatè modo apparens, adeò vt sic apparere sit ratio se exercendi circa talem materiā. Rem explicat adhibitum exēplum. Eleemosyna est materia, supra quam cadit motiuum misericordiæ, quia supra illā cadit esse subleuatiuā miserorum: est etiā materia, supra quam cadit motiuum charitatis erga Deum, quia supra illā cadit esse gratam Deo. Ad hoc tamen, vt versetur circa ipsam affectus pertinens ad virtutē misericordiæ, opus est, vt talis affectus tēdat in ipsam, vt apparentem sub expressione subleuatiuæ, &c. adeò, vt sic apparere sit ratio eius volitionis tendentis in eleemosynā: & similiter ad hoc, vt versetur circa ipsam affectus pertinens ad virtutem charitatis erga Deum, opus est, vt talis affectus tendat in ipsam, vt apparentem sub expressione gratæ Deo, ita vt ratio eius affectus sit apparere eleemosynā, vt Deo gratā. Hinc fit, si affectus tēdat in materiā, supra quam cadit motiuū duarū virtutum ac deinde sic tendat in eam materiam vestitam eis rationibus motiuis, vt in ipsam tēdat, prout eo determinato modo, & expressione apparet eis rationibus vestita, quæ requiritur ad eas virtutes, tunc talis affectus, non ad alteram duntaxat; sed ad vtranque virtutem pertinebit. Ex quibus.

6 *Conclusio sit.* Non solùm Deus se exercet per actū Theologicæ charitatis erga se ipsum sed per actum, qui pertinet propriè, & formaliter ad alias virtutes morales. Hoc probo claritatis gratiâ in amicitia diuina erga iustos. Tametsi omnis affectus, quo Deus vult iustis donum beatitudinis, sit affectus, quo Deus ex complacentia in sua bonitate vult tale donum, quia diuinæ bonitati congruū; cum hoc tamen constat primò, tale donū esse iusto conuenientissimū, vt patet. Secundò, apparere Deo expressissime, vt conuenientissimū iusto. Tertiò, cōplacere in homine iusto. Tandem, eiusmodi cōplacentiā, & notitiā expressissime notificantem Deo, tale donum conuenientissimū esse iusto, rationē esse talis affectus; quo pacto possunt aliæ formalitates Dei esse rationes aliarū: in his enim omnib⁹ nulla oppositio ex cogitabilis est, vt simul idem affect⁹ ex cōplacentia in bonitate Dei velit tale donū, vt cōgruū diuinę bonitati. Vtq; ex prænotatis cōstat, in his cōsistit eum affectū non solùm esse charitatis Theologicæ erga Deū; sed etiā beneuolentiæ, vel amicitiæ moralis erga creaturā: ergo Deus suā voluntatē exercet, non solùm per actum spectantem ad charitatē Theologicā; sed etiā per actum pertinentē ad alias virtutes morales. Supersedeo alijs vsque ad

7 Hinc

7 Hinc patet ad difficultatē propositā n. 3. Negatur minor. Ad probationē dicatur. Ly *non aliter* sumi potest dupliciter. Primo excludendo amorem diuinum, qui nō amet obiecta creata, vt congrua diuinæ bonitati, & ex complacentiâ in hac bonitate, & hic sensus est verus. Nā, vt constat ex eâ disp. omnis affectus diuinus circa obiecta creata tendit ad ipla, vt congrua Dei bonitati ex complacentiâ in ipsâ. Secundò excludendo tendētiam in obiecta creata ex cōplacentiâ in bonitate creatâ; quia motiuo talis, vel talis virtutis vestita apparent per notitiam attingentem tale motiuū sub expressione requisitâ ad eam virtutem: & hic sensus, qui deberet esse verus ad excludendas virtutes morales, est fallus. Nam, vt dicebamus, Deus amat iustis beatitudinem v.g. ex complacētiâ in ipsâ bonitate iustorū, eāq; beatitudinē ipsis amat, vt ipsis conuenientissimam, & quia sub expressione sic conuenientissimæ apparet. Hinc patet ad confirmationem: casus enim in illâ positus potest bifariam intelligi. *Primo* sic, vt ratio eius affectus præcise sit apparere obiectum sub hāc expressione * Cultus hic est cōgruus diuinæ bonitati * & tunc affectus, qui ex complacētiâ in bonitate Dei tēdat ad cultum ex hac precisa ratione, purè erit charitatis Theologicæ. *Secundo* sic, vt ratio eius affectus etiā sit apparere obiectū sub hac expressione * Honestū est talem cultū exhibere diuinæ excellentiæ * & tunc affectus, qui ex hac ratione tendat ad actum, erit religionis moralis. Hæc nunc latis de hâc difficultate.

CAP. II.

An Deo repugnent exercitia virtutū moraliū ratione libertatis ad ea exercitia præ quisita?

8 AGitant hanc difficultatem RR. Societatis. Suppositis principijs, ex quibus illa defendit, conabimur eā superare. Pono primo, satis cōmunē esse tēsētiā (an sit vera, definietur trac. de merito) quæ defendit, ad exercendā virtutē cum laudabilitate morali, nempè cum laudabilitate desumpta ex eo, quòd hoc exercitium præstet, qui potest nō præstare, non sufficere libertatē, vi cuius hoc exercitium non aliter omitti potest, quàm ponēdo aliud, omnibus pensatis, prorsus æquale. Ratio est, quia in ordine ad non æstimandū aliquid titulo libertatis, perinde est illud efficere cum necessitate non aliter omittēdi ipsum, quàm per positionem æqualis; ac ipsum efficere cum omnimoda necessitate non omittendi. Vulgare exēplū est in illo, qui necessitate cōstrictus esset tibi conferendi vnum, vel alterum ex duobus argēteis æqualis prorsus æstimationis: hic enim homo in ordine ad hoc, vt non fiat tua gratitudine dignus, quòd tibi libere concesserit argen-

gen-

genteum A. perinde se habet necessitatus ad illud, vel argenteũ B. concedendum, ac si omnino necessitatus esset ad cõferẽdũ A.

9 Pono secundò ex disp. 19. Deum non ita exercere suũ actũ liberũ, vt eum suspendere possit per purã omissionem ipsius; sed solùm per aliũ actum positiuum liberum inconiungibilem cum illo. Pono tertiò, omnes actus liberos Dei esse æquales in genere honestatis moralis. Ita cõmunius Theologi, quamuis cõtrà sentiant P. Herice 1. p. disp. 20. c. 5. n. 31. P. Ripal. tom. 2. ce supern. disp. 74. num. 40. & 41. P. Arriaga in 1 p. disput. 27. sect. 4. subl. 2. P. Bernal. de Incarn. disp. 3. sect. 1. à nu. 13. Nostra positio sic probatur. Genus honestatis moralis in actu secũdo est genus exercitij liberi circa obiectũ decens naturã rationalẽ, ita vt tale exercitium, titulo positi nõ necessariò, subiectũ, quod per illud exercetur, reddat amabile secũdũ rectã rationẽ. At in isto genere nullus actus liber Dei superat alium: ergo in isto genere nulla est inæqualitas in actibus liberis Dei. Maior verissima est ex tract. de bonitate, & malitia. Sicut enim bonitas physica actus respectiuè ad subiectum physicè se exercens per ipsum cõsistit in actu physico, prout titulo entitatis physicæ reddit tale subiectũ physicè bonũ, pulchrũ, & amabile; sic stat bonitas moralis actus respectiuè ad subiectum liberè se exercẽs per talem actum in exercitio libero, prout titulo libertatis ei adiunctæ, reddit tale subiectum bonũ, pulchrũ, & amabile secundùm rectã rationem. Minor probatur: quia Deus nullo actu libero potest esse verè, & propriè amabilior, quàm alio. Nam Deus eo præcisè, quòd sit constitutus in esse Dei, est cõstitutus in amabilitate simpliciter absolutè, & essentialiter infinita, de cuius ratione est ita esse plenam, vt incrementum non capiat.

10 Explicatur, & cõfirmatur. Licet actio externa, per quam Deus producit Angelum, sit physicè melior in genere causandi, quã actio externa, per quã producit formicam, tamen nulla ex eis actionibus ex vllo titulo superior est alterâ in genere bonificãdi Deum: quia hoc esset Deũ in casu vnius actionis, ratione talis, vel talis prædicati eius actionis, esse meliorẽ, quã in casu alterius actionis; idque pugnat cũ necessitate, vt Deus sit in omni casu infinitè simpliciter, & essẽtialiter bonus. Ergo, eriã admisso (de quo nunc nó curo) decretum Dei de Incarnatione exequẽda esse physicè melius in genere causandi, quã Incarnationis nolitionẽ; tamen nullus ex his actibus liberis, titulo libertatis cõiunctæ cum alijs suis prædicatis, poterit esse superior alio in genere bonificandi Deum: id enim esset Deũ in casu alterius ex illis actibus, titulo libertatis eius act-

esse

esse meliorẽm, quã in casu alterius, quod implicat. Cum igitur actus liberos esse inæquales in genere honestatis moralis sit esse inæquales in genere, titulo libertatis, honestãdi subiectum; plane sit, non esse in eo genere inæquales: & alioquin posset Deus electionẽ exercere minus consultã à diuina sapiẽtiâ, eiusdemq; cõsilio, vel quasi consilio de honestiori electione resistere. Sed quia hoc tãtum nunc libamus, vt explicentur vires difficultatis statim proponendæ, doctrinãq; huius positionis fusiùs expendimus tract. de Essentia, & attributis, vbi de æqualitate, vel inæqualitate prædicatorũ Dei, omittimus nunc probationes alias, & argumenta Autorum, quos citauimus n. 9. de quibus loc. cit.

11 Pono tertiò. Non solum cõuenit Deo laudabilitas physica, cuiusmodi est illa, vi cuius potest laudari, quia sapiens, omnipotens, æternus, &c. sed etiam moralis, vi cuius potest laudari, quia honestissimè exercens suã libertatem. Tũ, quia hoc, ex ipsis terminis, tã clarè importat perfectionem sine imperfectione, vt oppositum Deo tribuere dissonũ, ac durum appareat: quamuis fuerint RR. qui nostræ positioni restiterint. Tum, quia in sacris literis solenne est electiones diuinas, vt sanctas, & iustas laudare: sanctitas autẽ, & iustitia operũ, & electionum est moralis honestas. Psal. 144. vers. 17. *Iustus Dominus in ōmnibus vijs suis: & Sanctus in omnibus operibus suis.*

¶ His positis, ecce difficultatem. Ea libertas ad actũ est insufficiẽs, vt actus euadat moraliter honestus, quæ nõ est libertas ad omittendum actũ per aliud exercitiũ minus bonum ipso actu. At, vt cõstat ex prænotatis, libertas Dei ad suum liberum decretum non est libertas ad omittendum hoc decretum per aliud exercitium minus bonum eo decreto: ergo est insufficiens, vt tale decretum euadat moraliter honestum. Plures sunt excogitatæ solutiones ad hanc difficultatem superãdã, quas opportunè expendimus tract. de essentiâ, & attributis, videriq; possunt apud nostros RR. maximè apud P. Aldrete de Incarn. disp. 3.

12 Nõnullis retrò annis trac. de bonitate, & malitia in proœmio viã aperui, quę mihi nõ displicet, tametsi cuidã ingenioso neotherico displicuerit. Ea est. Moralis æstimabilitas actus in eo stat, vt affectus tendens liberè ad obiectum honestũ, quia honestũ, sit æstimabilior cũ libertate exercitus, quã, cæteris paribus, sine libertate. At sic se habet quilibet actus liber Dei, tametsi libertas Dei solũ sit ad extrema prorsus æqualia: ergo, etiã hoc concesso, moralem habet æstimabilitatẽ. Minor, in qua est difficultas, probatur, & explicatur in decreto libero creandi mundũ (idem dicatur in alijs) Nam hoc decretũ

eo

eo ipso, quòd vltra prædicatum decreti diuini circa mundum ex motiuo honestatis habet esse liberum, habet non esse decretum diuinum purè chymæricum, ac fictum in mente cõcipientis, cuiusmodi est hoc decretũ. * Decretum circa mundũ ex motiuo honestatis existens in Deo omnimoda necessitate * At eo, quo constituitur in ratione decreti diuini veri, ac realis condistincti à chymærico, redditur, cæteris paribus, æstimabilius, quam sine tali cõstitutiuo: ergo, vt exercitũ liberè, redditur, cæteris paribus, æstimabilius, quã sine libertate.

13 Ex his videtur dispar ratio, cur actibus creatis nõ veniat æstimabilitas moralis, si libertas ad ipsa præcisè sit ad exercitia prorsus æqualia; secus autem actibus diuinis. Nã, si creaturæ actus cũ ea libertate factus conferatur cũ actu quoad reliqua pari; procedente tamen ex necessitate antecedente determinata ad ipsũ, nõ erit ille çstimabilior, quã ille; quia nulli momenti videtur ea libertas, vt actum ex ipsa procedentem reddat æstimabiliorem alio de cætero parem ex omnimoda necessitate antecedente prouenientẽ; secus autẽ accidit in actibus liberis Dei propter rationẽ traditã; semperq; habenda præ oculis est hæc propositio. * Libertas refundẽs in actum bonitatẽ moralẽ est illa, quæ actum ex ipsa prouenientẽ reddit æstimabiliorẽ respectiue ad aliũ ex suo conceptu obiectiuo quoad reliqua parẽ prouenientẽ ex necessitate antecedẽte determinata ad ipsum. ¶ Ex his occurrendum est difficultati propositæ n. 11. distinguendo maiorẽ. Tunc enim insufficiẽs est ad hoc, vt actus euadat moraliter honestus, libertas, quæ purè est ad æqualia, quando talis libertas non reddit actum ex ipsâ prouenientem æstimabiliorem relatè ad actum omnino necessarium, & quoad reliqua parẽ ex suo cõceptu obiectiuo; secùs quando se habet modo opposito: & quia hoc opposito modo se habet libertas Dei in ordine ad ipsius actꝰ liberos, consequens est, eam libertatem sufficientẽ esse ad hoc, vt actus, per quẽ exercetur, euadat honestus moraliter.

14 At possunt nonnulla opponi. *Primò*. Non est laudabilis in genere moris, qui tantã impedit honestatem, quãtã ponit. At, qui solum est liber ad actus incõpossibiles æqualis honestatis, tãtã impedit honestatẽ exercens hãc libertatem, quãtã ponit; quia ponendo vnũ actum, excludit aliũ æqualis honestatis: ergo, qui solũ eo modo est liber, non est laudabilis in genere moris exercens eam libertatẽ. Cum igitur Deus eo tantum modo sit liber, iuxta concessa, planè fit nõ esse laudabilem in genere moris. Maior probatur. Non est laudabilis in genere moris, qui nullũ progressum facit in viâ perfectionis moralis.

talis. Qui autē tantā impedit honestatē moralē, quātā ponit, nullum progressum facit in via perfectionis moralis, nullatenus eā promouet. Secundò probatur ea maior. Qui liber est ad duo extrema incōpossibilia inæqualia, nō est laudabilis in genere moris eligens minimū, quia magis procederet in honestate non eligens tale extremū: ergo, qui se exercet tātā impediens honestatem, quātā ponit, non est laudabilis in genere moris: quia, sicut est contra laudabilitatē in genere moris ita segerere, vt magis tollatur honestatis, quā ponatur; ita etiā adeò no promouere honestatē, vt tantum impediatur, quātum ponitur. Confirmatur. Quia non est laudabilis in genere perfectionis moralis, qui præstat in eo genere minimum, quod potest.

15 Resp. distinguēdo maiorē. Nō est laudabilis in genere moris, qui tātā impedit honestatē, quātā ponit. In genere laudabilitatis ex titulo promouendi honestatē: vera est maior. In genere laudabilitatis maioris æstimabilitatis, cæteris paribus, ratione libertatis relatè ad actum ex suo cōceptu obiectiuo similē quoad reliqua; necessariū tamen: falla est maior, vt constat ex dictis: & concessa minori, distinguendum est eadē distinctione cotequens. Vnde nō fit, Deū nullā esse laudabilē moralī laudabilitate; sed non esse laudabilē câ laude, quæ datur titulo promouendi honestatē per electionē liber. Nō est autē imperfectio, sed sūm. Dei perfectio hâc laudabilitate carere: quia id prouenit ex eo, quòd in nullo euētu possit min⁹ bene eligere, quā in alio. Hinc nō vrgent probationes maioris, quæ tantū excludunt laudabilitatem moralē fundatā in promotione honestatis; nō vero aliā laudabilitatē moralē. Ad cōfirmationē similitèr respōdetur. Qui ex his, quæ potest præstare, non potens omnia relinquere, præstat minimū, quod potest, nō est laudabilis laudabilitate morali fundatâ in promotione honestatis; benè tamen fundatâ in titulo iam assignato.

16 Oppones secūdò (omissis argumentis, quibus probari solet inæqualitas electionū diuinarū, quia nūc nō disputamus de hoc; sed æqualitatē supponimus) De ratione actus moralis honesti est in genere morali reddere bonū, & amabile subiectū, quod exercetur per ipsū, vt dicebam⁹ n. 9. Actus autem liberi Dei in nullo genere Deum bonificāt, quippè quem supponūt in omni genere optimum. Resp. Actus liberi Dei iuxta disp. 17. imbibūt *quasi* duo, quæ nō simplicitèr, sed diminutè, secūdū quid, & aliqualitèr sūt duo, & amorē diuinum necessariū, per quē omne bonum propter omne mōtiuum bonū placet Deo simplici affectu necessario; & terminationē liberā efficacē ad tale obiectum v. g. Incarna,

nationē. *Primū* nō ſupponit Deū cōſtitutū in ratione boni; ſed cō ſtituit. *Secūdū* præſtat, vt ea bonitas pertineat iā nō mere ad genꝰ phyſicū; ſed etiā ad morale. Tamen ſi autē hoc ſecūdū quodāmodo ſupponat Deū conſtitutū in ratione optimi, nullū inde ſequitur inconueniēs, quia hoc ſecūdū non bonificat niſi ratione primi, quod imbibit; ſed præcisè præſtat, vt ea bonitas iam pertineat ad genus morale in ordine ad tale obiectum.

17 Opponit tertiò R.ⁿ cuius memini num. 12. Eo præcisè, quòd extremū electū nō ſit æſtimabiliꝰ omiſſo, perinde ſe habet in ordine ad imputationem, ac ſi nō eſſet liberū, ac proinde nō erit honeſta moraliter eiꝰ electio. Actus autē liber, quē Deus eligit, nō eſt ęſtimabilior eo, quē omittit. Ex dictis diſtinguēda eſt maior: eſt enim verū æquiualere nō libero in ordine ad hoc, vt non magis promoueat honeſtatē moralē, quā actus neceſſarius. Falsū autē eſt æquiualere nō libero in ordine ad hoc, vt ex libertate nō fiat, cæteris paribꝰ, ęſtimabilior, quam alius actus ex neceſsitate. ¶ Opponit quartò, implicari terminos, quādo dicitur, decretum Dei reale eſſe chymæricō ſimile in cæteris præter libertatē: quia omne chymæricū, quatenꝰ chymæricū, eſt diſsimile reali. Reſp. implicatoriā eſſe realē ſimilitudinē chymærici, & realis. Etſi autē hoc ita ſit, nihil prohibet fingi quādā chymæræ ſimilē intēlonalitèr enti vero præter quā in aliquo prædicato. V. g, fingatur ſic, * Deus nō omnipotēs in reliquis ſimilis Deo omnipotenti * Hoc autē nobis ſufficit. Sicut enim ex eo quòd, hac poſitione ficta retenta, benè arguatur hic Deꝰ imperfectior noſtro, proinq; in noſtro omnipotētiā potiꝰ, quā eius carētiā cōducere poſſe, & formalitèr ad perfectionē noſtri Dei; ſic ſimiliter, ſi fingamus ſic * Decretū diuinū neceſſariū ſimile decreto vero in reliquis præter libertatē * bene arguetur, hoc figmēto retento, decretum hoc imperfectius eſſe, quā liberū nunc exiſtens, & cōſequenter huius libertatē per ſe & formaliter cōferre ad æſtimabilitatē ipſius.

18 Opponit quintò. Vel inſtituitur comparatio decreti liberi ſola libertate ad æqualia cū decreto neceſſario, pręcindēdo ab huius impoſsibilitate; vel inuoluendo talē impoſsibilitatem? Si hoc ſecūdū: ſequitur, eā cōparationē ad intentū noſtrū eſſe inutilē. Nā ea cōparatio inſtituitur ad diſcernendū, nū decretū diuinū nunc exiſtens æſtimabilius ſit ratione prædictæ libertatis, quā decretū illud neceſſariū. Nihil autē ad hāc diſcretionē cōfert eſſe æſtimabilius alio decreto, vt impoſsibili; ac proinde vt nullā ęſtimabilitatē importāte. Nā quilibet actus neceſſarius ſiue Dei, ſiue creaturæ, quāuis nō honeſtus moralitèr, æſtimabilior eſt decre-

creto impossibili. Iã, si cõparatio primo modo instituatur, cadit noster discursus. Nã, si decretum diuinum liberum sola libertate ad æqualia æstimabilius est nomine huius libertatis simili decreto necessario, præscindẽdo ab huiꝰ impossibilitate: ergo nõ est probãda maior illa æstimabilitas ex impossibilitate decreti necessarij. Præterea: ergo etiã in creatis sola libertas ad æqualia sufficiet ad honestatẽ moralẽ, quippe talis libertas sufficit in Deo, etiam præcisa impossibilitate decreti necessarij simili libero in reliquis præter eã libertatẽ. Ad hæc: Turpis erit moraliter actꝰ cum sola libertate ad æqualia, quia cũ hac erit detestabilior, quàm similis alius sine illa.

19 Resp. Cõparatio nostra instituitur cũ decreto necessario, nõ quidem præscindendo ab eo, quòd eius necessitas inferat impossibilitatẽ eius decreti; sed retinẽdo talẽ necessitatẽ cũ vi illatiua talis impossibilitatis. Non tamẽ propterea inutilis est ea cõparatio ad dijudicãdũ, decretũ liberũ Dei nunc existens æstimabilius esse ratione suæ libertatis, quã esset exercitũ necessario. Sic quia *Deus non omnipotens* est Deꝰ imperfectus, & chymæricus, bene hinc discernimus conducere per se ad summã Dei perfectionẽ esse omnipotẽtẽ. Vnde, sicut ficto Deo non omnipotente, & abstrahendo ab eo, quòd hinc inferatur defectus summæ perfectionis, non posset probari Deũ esse omnipotentem, quia carentia omnipotentiæ pugnet cũ sũma perfectione; modo autẽ bene probatur, Deũ esse omnipotẽtẽ, retentis his terminis * Deus non omnipotẽs * cũ vi illatiua defectus sũmæ perfectionis; ita, ficto decreto diuino necessario circa mundum; & abstrahendo ab eo, quòd ea necessitate reddatur imperfectũ, & chymericũ, nõ poterit probari decretũ nunc existens esse liberũ ex eo, quod talis necessitas impossibilitatẽ, & imperfectionẽ dicat; secus ea necessitate retẽta cũ sua vi illatiua imperfectionis, & impossibilitatis. Vbi pro excludendis, quæ in argumento miscentur, obserua primò aliud esse nõ esse vbiuis vtilẽ, vel necessariã libertatem, vt aliquid sit æstimabilius extremo chymærico: & hoc est verũ, quia plura nõ liberalia sunt æstimabiliora chymæricis. Aliud in decreto diuino circa mũdũ nõ esse vtilẽ, & necessariã libertatẽ, vt sit æstimabilius decreto necessario chymærico: & hoc est falsum, vt patet ex dictis. Obserua secũdo. Actus materialiter honesti, & actꝰ materialiter turpes, ideo cum sola libertate ad æqualia nõ sunt in creaturis moraliter honesti, ac turpes, quia talis libertas non est in creaturis ratio, vt eiusmodi actus sint meliores, vel deteriores alijs omnino necessarijs, & in reliquis præter eam libertatem similibus.

Oppo-

20 Opponit sextò. Tametsi decretū liberū ratione libertatis ad æqualia sit æstimabilius, quā esset decretum necessariū; tamē ex ea libertate non haberet decretū honestatē moralē: sicut neque actus necessarius, quo Deus se amat, est honestus moraliter, quanuis reddatur æstimabilior ratione suæ necessitatis, quæ est perfectio simpliciter simplex, quàm sine illâ. Nam ad honestatem moralem sufficit solū æstimabilitas ita operanti libera, vt pro suo arbitrio possit præstare, quod neq; in se ipsa detur, neq; in æquiualenti. Resp. Sicut essentia diuina, quāuis ratione suæ necessitatis non sit minus æstimabilis, quā decretū diuinū ratione suæ libertatis, non est iuxta aduersarios, bona moraliter in actu secundo; sed bona naturaliter; secus autem decretum, quia hoc habet æstimabilitatē, ex aduersarijs, per libertatem ad inæqualia, prout iuxta ipsos requiritur ad æstimabilitatē moralem; sic dico ego, amorem necessariū ratione æstimabilitatis ex ipsius necessitate prouenientis, non quidem moraliter; sed physicè esse bonum: decretum autem liberū esse bonū moraliter ratione libertatis, etsi solū ad æqualia, propter rationem sæpè datam.

21 Demum alij arguēt, nō repugnare in nobis actum honestū, & essentialiter liberum cum sola libertate ad æqualia. At hic actus nō esset moraliter honestus, quia nunc admittimus. non sufficere in nobis libertatem ad æqualia ad honestatem moralem; aliunde, iuxta nostrum discursum, esset moraliter honestus: esset enim ratione libertatis melior se ipso exercito necessariò, quippe ipse necessariò exercitus esset chymæricus: ergo nostra ratio nō subsistit. Resp. De ratione libertatis exhibentis actui moralem honestatem est, vt ratione talis libertatis superet actus quilibet alium in cæteris ipsi parem, & non liberum. Nam alioquin actus moraliter honestus posset non esse melior alio non honesto moraliter, & in cæteris ipsi æquali, quod falsum est. Actus autem creatus, de quo in argumento, quanuis sit melior se ipso exercito cum necessitate; nō tamen ratione suæ libertatis excederet quemlibet necessarium in cæteris ipsi similem, præter libertatem. ¶ Hæc satis de Voluntate Dei, in cuius gloriam vtinam cedant, necnon Beatissimæ Virginis Mariæ sine labe originalis Conceptæ, Sanctorumque omnium.

(*)

FINIS.

INDEX.

ALPHABETICVS RERVM selectiorum, quæ in hoc opere continentur. Littera D. disputationem. N. numerum significat.

A.

Amor.

Amor necessarius, quo Deus suâ essentiâ, sualque perfectiones amat, & amor, quo prædictũ amorem amat, non sunt distincti virtualiter intrinsecè; benè ramen extrinsecè ratione nostra. disp. 8. n. 3. & 4.

Qua ratione possit dici liber amor, quo Deus se amat. d. 9. n. 1.

Cur amor necessarius, quo Deus se ipsum amat, non sit minus perfectus in ratione voluntarij, quàm si esset liber. Ibid. n. 8.

Deus se amat necessariò etiam quoad indiuiduationẽ actus. d. 9. n. 13.

Potest Deus amare amore stricto suos actꝰ liberos, quà liberè terminatos ad obiectum; imo & creaturas. d. 11. n. 73.

Præter desiderium, & gaudium datur in voluntate alius affectus, qui vocari solet amor strictus. d. 10. n. 15.

Amor strictus non differt ex parte obiecti; sed præcisè ex modo tendendi à gaudio. Ibid. n. 16.

Amor strictus componibilis est cum desiderio, necnon cum gaudio. d. 10. n. 28.

Amor strictus potest versari circa bonum non solum respectiuè ad aliquod suppositum, cui ametur tale bonum; sed etiam modo absoluto, & in ipso bono sistente. Ibid. n. 35.

Variæ amoris stricti explicationes reijciuntur. Ibid. à n. 44.

Amor strictus definitur. Ibid. n. 83.

Possibilis est amor strictus de aliquo obiecto identificatus cũ gaudio; secus cum desiderio de eodem obiecto. Ibid. n. 85.

Diuinus amor nequit præscin-

dere inter formalitates in sensu reali, & intrinseco penitus identificatas. Ibid. n. 24.

Actus liber Dei.

Quicunque actus liber Dei videtur posse dici consistere in habitudine non necessaria Dei ad obiectum, neque simpliciter distincta, neque simpliciter identificata cum entitate necessaria Dei; sed ante operationem intellectus ab ea entitate distincta distinctione diminuta, & cum eâdem entitate identificata identitate diminuta. d. 17. n. 5.

Iuxta prædictum dicendi modum, actus liberi Dei sunt increati negatiuè, imò, positiuè loquendo, sunt increati; non tamen plene, & simpliciter; sed solum diminutè. Ibid. n. 19.

Positiuè loquendo, non sunt plenè, & simpliciter substantia Dei; sed solũ diminutè. Ibid. n. 20.

Etiam iuxta prædictum dicendi modum, actus liberi Dei nequeunt sumi abstractè, & cõdistinctè à Deitate. Ibid. n. 19.

Quidquid in actibus liberis Dei est simpliciter vitale; quidquid simpliciter volũtariũ, est ipse actus necessarius Dei. Ibid. n. 22.

Deus non producit physicè, neq; realiter simpliciter, neque virtualiter intrinsecè suos actus liberos. Ibid. num. 23.

Deus producit moraliter productione morali diminutâ suos actus liberos. Ibid. n. 23.

Cur in creatis necesse sit, quòd amare liberè addat aliquid propriè, & simpliciter substantiæ creatæ volenti; secus in diuinis. Ibid. n. 25.

Actus liberi Dei secundũ suũ abstractum accepti perfectionẽ simpliciter infinitam important. d. 18. n. 17.

In concreto accepti transcẽdẽter perfectionem simpliciter infinitam important. Ibid.

Vt concretè accepti non sunt infinitè simpliciter perfecti, si ly *sunt* significet identitatem plenam cum perfectione simpliciter infinita. Ibid.

Actus liberi Dei sunt aliquomodo non perfecti physicè infinitè simpliciter. Ibid. n. 18.

Affectus diuinus.

Diuisiones diuinorum affectuũ. d. 22. per totam.

Appetitus.

Non datur in Deo appetitus innatus, adhuc disiunctiuus, circa creaturam, vel carentiam eius. d. 2. n. 8.

Etsi Deus intrinsecè connecteretur cum possibilitate creaturarum ipsis intrinseca, adhuc tamen non haberet appetitum innatum erga illas. d. 2. n. 14.

Deus

Deus necessariò complacet in bonitate creaturarum possibilium. Ibid. n. 17.

Deus nō appetit innatè extrema indeterminatè necessaria; benè tamen necessitatem indeterminatā ipsarū. Ibid. n. 29.

Attributa Dei.

Qua ratione intellectus, voluntas, aliæque perfectiones Dei sint, vel non sint attributa superuenientia essentiæ diuinæ iam præconstitutæ. disp. 3. à num. 64.

Quomodo essentia Dei includat, vel non includat formaliter ratione nostrâ attributa diuina; & quomodo, etiam formaliter, includatur in ipsis. Ibid. n. 68.

Amicitia.

Amicitia sumitur & laxè, & strictè. d. 9. n. 35.

Amicitia strictè sumpta quatuor conditiones requirit. Ibid.

Quælibet persona diuina verū, & proprium amicitiæ strictæ amorem exercet erga aliam. Ibid. num. 45.

Amicitia non requirit redamationem sumptam pro nouo amore alteri amori distincto correspondenti. Ibid. num. 49.

Amor Spiritus Sancti respectu Patris, & Filij participat conceptum primarium, & essentialem amicitiæ; non tamen secundarium amicitiæ nostræ correspondentem. Ibid.

Ad rationem amicitiæ non requiritur distinctio amantis ab amato in naturâ; sed sufficit distinctio in personalitatibus. Ibid. n. 49.

B.

Beneuolentia.

Vide *Amor.*

Bonitas, & bonum.

Qua ratione verum sit, quòd veritas intrinseca obiecti sit obiectum formale assensus; non autem amoris: contrà verò, bonitas intrinseca obiectum formale amoris; non assensus. d. 10. n. 21.

Circa bonum cognitum, vt possibile, versari possunt affectus amoris stricti, & gaudij; qui tamen habeant pro motiuo diuersas rationes; non verò vnam, & eandem, etiam in mente amantis. d. 11. n. 59.

Circa bonum cognitum, vt absens, potest versari amor strictus. Ibid.

C.

Complacentia vide *Peccatum.*

Cognitio, & cognoscere.

Qua ratione potius sit verum Deum se amare, quia se cognoscit; quàm è contrà. d. 5. c. 2. per totum.

Non implicat cognitio creata, quæ diuersum concretum cognoscentis constituat absque nouæ cognitionis accessione, solo aliquo adueniente, quod cognitio non sit. d. 16 n. 24.

Creatura.

Implicat creatura omnium maxima in perfectione. disp. 14. n. 3.

Implicat species infima entis creati omniū minima in perfectione. Ibid.

D.

Decretum.

Discrimen inter decretum purè intentiuum, & executiuum. d. 21. n. 35.

Non repugnat decretum efficax purè intentiuum, tametsi per illud decernatur tale obiectū singulare, vt tali singulari actione faciendum. Ibid. n. 37.

Decretum circa rem creatam se se ipso essentialiter dependens à decreto purè intentiuo eiusdem rei, nequit esse decretū immediatè executiuum eius rei. Ibid.

Circa fines non pendentes à libertate creata potest Deus habere decretum efficax purè intentiuum distinctum ab executiuo; non tamen necessè est, quòd habeat ea duo decreta, vt tales fines perducantur ad executionem. d. 21. num. 40.

Desiderium.

In quo consistat decretum liberum Dei. Vide *Actus liber Dei.*

Natura desiderij à peritur. d. 10. à n. 1.

Realis absentia boni non requiritur ad desiderium; requiritur tamen, & sufficit absentia intentionalis positiua; secus negatiua. Ibid. n. 4. & 5.

Absentia boni desiderati est obiectum intrinsecè spectatum ab actu desiderij. Ibid. n. 13.

Desiderium distinguitur à gaudio non solùm ex modo tendendi; sed etiam ex parte obiecti inadæquati. Ibid. n. 14.

Desiderium, & gaudium eiusdē obiecti possunt in eodē subiecto coniungi. Ibid. à n. 29.

Desideriū non solùm potest versari circa bonum respectiuè ad aliquod subiectum, cui ametur; sed etiam modo absoluto, & in ipso bono fiente. Ibid n. 35.

Non potest Deus habere propriè desiderium circa res creatas, suosque actus liberos. d. 22. n. 50.

Displicentia.

Potest Deus displicere in peccatis nunquam extituris. d. 12. n. 18.

Vide *Peccatum.*

Distinctio.

Distinctio rationis non opponitur identitati virtuali. d. 3. à num. 6.

Exponitur vtraque distinctio rationis, scilicet, rationis ratiocinantis, & rationis ratiocinatæ. Ibid. à n. 38.

Non datur distinctio virtualis intrinseca inter intellectionē necessariam, & amorem necessarium Dei. d. 5. à n. 41.

Etiam admissâ distinctione virtua-

tuali intrinseca inter intellectionem, & volitionem necessarias Dei: hæc non produceretur physicè virtualiter ab illâ. d. 6. à n. 6. Produceretur tamen moraliter virtualiter. Ibid. à n. 28.

Distinctio realis, alia est absolutè, & simpliciter talis; alia secundùm quid, diminutè, & aliquo modo talis. d. 17. n. 4.

Essentia, & Existentia.

Vt aliquid sit de essentia alicuius rei, non sufficit quòd sit vtrũque primarium cõstitutiuum eiusdem rei; neque quòd sit primarium constitutiuum ipsius simpliciter idem cum illa. d. 3. à n. 19. Quid sufficiat. Ibid.

Existentia disiunctiua vnius, vel alterius ex extremis contradictorijs contingentibus duplex est: alia physica in esse rei; alia intentionalis in esse veritatis, quarum quælibet multiplex est. d. 2. à n. 23.

Quæcunque existentia contingenter conditionaliter, quatenus sic existentia, non habent ordinem prioritatis, & posterioritatis intrinsecè, & ex parte rei; sed solùm concomitanter se habent. d. 8. à num. 33.

F. *Fidelitas.*

Fidelitas est virtus ad alterum, qui sit alter in natura; nec sufficit quòd sit alter in personalitate. q. 9. n. 49.

Finis.

Explicatur, in quo stet finem esse obiectum primarium; media verò secundarium respectu actus, qui indiuisibiliter est intentio finis, & electio mediorum. d. 5. n. 39.

Forma.

Forma connaturalissimè vnitur subiecto, cur præstare nequit suos omnes effectus formales, modò præstet aliquem. d. 11. num. 66.

G. *Gaudium.*

Ad gaudium requiritur præsentia intentionalis positiua boni consistens in notitia boni, vt præsentis. d. 10. n. 5.

Præsentia boni, de quo capitur gaudiũ, se tenet ex parte obiecti intrinsecè attracti ab ipso gaudio. Ibid. n. 13.

Gaudium nõ solùm potest versari circa bonum respectiuè ad aliquod subiectum, cui ametur; sed etiam modo absoluto, & in ipso obiecto sistente. Ibid. n. 35.

Gaudium potest esse prius obiecto, de quo capitur, non solùm prioritate temporis; sed etiam prioritate originis. d. 11. n. 69. & 70.

Vide *Desiderium.*

Identitas.

Identitas realis, alia est absolutè, & simpliciter; alia secundùm quid, diminutè, & aliquo modo talis. d. 17. n. 4.

Non identitas integra, & comple-

pleta alicuius cum alio ſtat bifariam. Ibid. n. 14.

Infinitum.

Verius eſt, vniuerſaliter loquendo, non poſſe dari ſimul exiſtentes in Deo formalitates infinitas virtualiter intrinſecè diſtinctas, ita diſpoſitas, vt vna reflectat ſupra aliam in infinitum. d. 8. n. 5.

Implicat infinitum cathegorematicum. d. 14. n. 3.

Intellectio.

Inter intellectionem neceſſariã, & amorem neceſſarium Dei nulla datur diſtinctio intrinſeca. d. 5. à n. 41.

Iuſtitia.

Iuſtitia eſt virtus ad alterũ, qui ſit alter in naturâ; nõ tamen ſufficit, quòd ſit alter in perſonalitate. d. 9. n. 49.

L. *Libertas.*

Quid ſit libertas cõtradictionis; & quid libertas contrarietatis. d. 19. n. 1.

Libertas contradictionis ſumitur bifariam. Ibid.

M. *Motiuum.*

Motiua formalia diſsimilia, ſiue realiter, ſiue ratione diſtincta arguunt in actib⁹ illa reſpiciẽtib⁹ diſtinctionẽ ſpecificã, vel quaſi ſpecificã, quando aliunde tales actus ſupponũtur realiter, ſaltem numericè, diſtincti. d. 10. n. 47.

Motiuum amoris eſt ratio intẽtionalis amandi. d. 23. n. 4.

Motiuum amoris neceſſarij, totus Deus. n. 5.

Bonitas creata poteſt eſſe motiuum inadæquatum diuini amoris. n. 9.

Quoties Deus amat creaturas, oportet bonitatem etiã creatam eſſe motiuum. n. 14.

Deus eſt finis *cui* amat creaturas. n. 17.

Quomodo ſolus Deus ſit finis vltimus. Ibid. Vide *Virtus.*

N. *Neceſſitas.*

Quid ſit neceſſitas metaphyſica? quid phyſica? & quid moralis? d. 14. n. 1.

Non eſt in Deo talis neceſſitas moralis ad productionẽ optimi, vt ex illa per cõſequentiã metaphyſicè legitimã inferatur, Deum non eſſe Deum omiſſâ electione optimi. d. 14. cap. 2 per totum.

Nõ eſt in Deo neceſſitas moralis ad producendã aliquã creaturã, ex eo præcisè, quòd præſtet alteri creaturæ inferiori, quãdo vtraq; eſt in ſerie, cui repugnat optimũ. Ibid. n. 41.

Ad nullũ indiuiduũ creabile determinatè in ſingulari acceptum datur in Deo neceſſitas moralis abſoluta. Ibid. n. 42.

Datur in Deo neceſſitas moralis ad aliqua, quæ de ſe ſunt contingentia, præſtanda ex ſuppoſitione, quòd alia contingentia præſtiterit. Ibid. n. 43.

Veroſimilius eſt, dari in Deo neceſſitatẽ moralẽ abſolutã ad ea rerum genera, quorũ perfectio

fectio cõpensari nequit per alia genera rerum. Ibid. n. 56.

O. *Odium.*

Habet Deus circa peccata odiũ auersiuum propriè, ac formaliter dictum. d. 22. n. 57.

Potest Deus circa peccata concipere odium abominationis formale, & proprium. Ibid.

Deus habet proprium, & formale odium contra peccatores, quà tales. Ibid. n. 58.

Deus concipit proprium; ac formale inimicitiæ odium contra peccatores. Ibid.

Omissio.

Nequit dari in Deo pura omissio libera. d. 19. n. 14.

P.

Possibile, & Possibilitas creaturarum.

Possibilitas necessaria creaturarũ alia est actiua, & formalis; alia passiua, & radicalis, & vtraque identificatur cum prædicatis necessarijs Dei. d. 12. n. 8. & 10.

Deus amare potest non repugnãtiam necessariã creaturarũ, imò & peccati, si talis non repugnantia stet in carentijs necessarijs. Ibid. n. 11.

Potest Deus complacentiam habere erga creaturas possibiles, exceptis peccatis præscindendo ab eo, quòd vnquam extituræ sint. d. 12. n. 14.

Qua ratione creaturæ purè possibiles dicantur habere bonitatem intra statum possibilitatis. d. 12. n. 26.

Deus necessariò cõplacet in bonitate creaturarũ possibiliũ, necessarioque displicet in peccatis possibilibus. d. 13. cap. 1.

qua ratione stet in Deo complacere necessariò in creaturis possibilibus, & eas libere decernere decreto absoluto, & efficaci. d. 13. n. 12.

Deus connectitur cum creaturis possibilibus quoad formã, vel quasi formam, quâ necessariò constituuntur in esse possibilium; non verò quoad subiectum, seu quasi subiectũ, quod denominatur necessariò possibile. d. 13. n. 15. & 16.

Præcisio.

Duplex est præcisio vnius rei ab alia; altera non identitatis realis; alia non significationis, & non expressionis in suo conceptu formali. d. 10. n. 45.

Prioritas.

Prioritas rationis multifariã dici potest. d. 21. à n. 2.

Ex prioritate, & posterioritate, quoad existẽtiam absolutam inter aliquos euentus nõ infertur prioritas, & posterioritas inter ipsos quoad existentiam conditionatam illorum. d. 8. n. 34. & 35.

Productio.

Impossibilis est distinctio realis inter extrema diuina, inter quæ non datur oppositio realis producentis, & producti; possibilis tamẽ distinctio virtua-

tualis, vbi nō datur oppositio virtualis producentis; & producti. d. 16. n. 49.

R. *Radix.*

Omnis radix alicuius effectus habet aliquod prædicatum, quod ad producendū, vel inferendum effectum sit fœcundum, super quod fundetur formalitas radicis: idque exemplis ostenditur d. 10. n. 49.

Scientia diuina.

Scientia libera attingens existentiā Petri, v. g. in decreto efficaci producēdi illū, præcedit intrinsecè, & ex parte rei vt causa ad existentiam Petri; secus formaliter ratione nostra. d. 8. n. 26,

Scientia libera præcisè attingēs existentiam Petri in se ipsa, & non in decreto, non præcedit vt causa, etiā intrinsecè, & ex parte rei ad existentiam Petri; sed esset concomitans illā ordine causalitatis. Ibid. n. 27.

Scientia diuina terminata independenter à decreto actualiter exercito ad omnes euentus contingentes conditionatos est vnica simplicissima, adhuc virtualiter, formalitas. Ibid. n. 32.

Traditur ratio, cur Deus scientia simplicis intelligentiæ creaturarum illas causet; secus scientia visionis ipsarū. d. 11. n. 72.

Spes.

Non est in Deo spes propriè dicta. d. 22. n. 50.

Spiritus S.

Volitio, qua Pater, & Filius producūt Sp. S. etiā pro priori, quo præcedit ad Spir. S. est gaudiū plenissimè constitutū de existentia Spir. S. vt exercita pro posteriori originis. d. 11. n. 68.

V. *Voluntas, & Voluntarium.*

Volūtas diuina sumpta pro capacitate proxima volendi distinguitur ratione nostra ab essentia Dei. d. 3. cap. 4. per totum.

Quādo voluntariū liberū perfectius sit in ratione voluntarij, quàm voluntarium necessarium. d. 9 n. 8

Verbum diuinum.

Verbū diuinum nō distinguitur realiter à Spir. S. neq, est realiter illum producens ex eo, quòd intellectio actiua essentialis Dei virtualiter intrinsecè sit distincta a volitione actiua essentiali, seu hanc virtualiter producens. d. 4. n. 17.

Verbū diuinū generari à Deo per intellectū, & nō per volūtatē verū est in sensu formali; falsū verò in materiali. d. 4. n. 21.

Ad rationem Verbi non sufficit procedere à Deo via intellectuali potius, quam affectiua. Ibid. n. 22.

Qua ratione distinguitur à Spiritu Sancto. Ibid.

Virtutes morales non repugnāt Deo ratione motiui formalis. d. 24. cap. 1. per totum.

Neque ratione libertatis requisitæ ad moralitatem. Ibid. c. 2.

FINIS.

Bibliotheca Universitatis

2.017